PERKINS LIBRARY

Duke University

Rare Books

CARMINA

ILLUSTRIUM

POETARUM

ITALORUM

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS SECUNDUS.

Bottari, G.G. ed.

FLORENTIÆ. M DCC.XIX.
Typis Regiæ Celſitudinis, apud Joannem Cajetanum Tartinium, & Sanctem Franchium.

Superioribus permittentibus.

CATALOGUS

ITALORUM POETARUM

Tomi Secundi.

E
RBR
V.2

Bagnai Joannes Maria. pag. 1.
Balbus Hieronymus. 9.
Baldinottus Bartolomæus. 20.
Baldinus Bernardus. 23.
Bambaſius Asdrubal. 24.
Barbarus Hermolaus. 25.
Barberinus Maphæus. 26.
Barlectanus Franciſcus. 87.
Beatianus Auguſtinus. 101.
Beccatellus Antonius. 109.
Bellus Lucius. 117.
Bembus Petrus. 118.
Bentius Triphon. 145.
Benvolentius Fabius. 147.
Bernius Franciſcus. 149.
Beroaldus Philippus. 155.
Beverinus Bartolomæus. 157.

Bi-

Bigus Ludovicus. pag. 215.
Binus Joannes Franciſcus. 249.
Bizzarrus Petrus. 250.
Boccaccius Joannes. 257.
Bocchius Achilles. 333.
Bonaccurſius Ludovicus. 361.
Bonamicus Lazzarus. 366.
Bonamicus Joannes Franciſcus. 392.
Bonciarius Marcus Antonius. 393.
Bonfadius Jacobus. 414.
Bonhomus Joannes Franciſcus. 418.
Bonifacius Joannes Bernardinus. 423.
Bononienſis Gaſpar. 424.
Bonſius Lælius. 424.
Bordinus Joannes Franciſcus. 425.
Borgia Hieronymus. 427.
Braccius Bernardus. 438.
Brandolinus Aurelius. 439.
Breſſanus Joannes. 453.
Brichius Petrus. 463.
Brixianus Franciſcus. 483.
Brutius Nicolaus. 497.

CAR-

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

JO: MARIÆ BAGNAI
BURGENSIS.

In diem feſtum Divo NICOLAO *dicatum.*

SI qua pias animas æterna pace fruentes
Mortalis gemitus miſerabilis aura fatigat:
Commotum precibus noſtris te vota decebit
Perferre ætherei jamdudum Regis ad aures,
Ac tandem feſſis impetrare ocia rebus.
Sat pœnæ dedimus, ſeu quiſquam ora impia ſolvit
In ſuperos, ſeu quis ſanctas ferus exuit aras,
Sive adeo prudens aliter violare ſacratum
Non timuit numen Satis heu, ſatis hauſimus antehaç
Supplicii, qui tot civili tabe peremptos

376485

Vidimus egregios cives, tot funera diri
Congeſta in morbi rabie, tot cladibus actos.
Quin etiam hoſtilis furor hæc ad mœnia ſæpe
Incurſans, ſecuit fruges, villaſque nefandis
Ignibus incendit, vexavit corpora vulgo,
Non ſemel hic obſcœna fames, lacrimabile monſtrum,
Effice, pacato tot noſtra incommoda vultu
Reſpiciat pater Omnipotens, finemque labori
Ponat, & afflictæ per te jam mitior urbi
Optatam referat poſt nubila tempora lucem.

In Grammatici artem.

Cum reſonet ſtrepitu, fœtorem exhalet, & æſtum,
  Hanc Stygii regis quis neget eſſe domum?
Mille hic pœnarum facies: anguſtus, & horrens
  Carcer, & ingreſſos limine abire nefas.
Hæc mala tum cumulo labor intolerabilis explet,
  Quem faciunt durum præmia nulla magis.
O ſtudium imprimis mihi deteſtabile: felix
  Te tandem poſito plus quater efficiar,
Scilicet extrema vexatum fingere clade
  Qui cupit, hic debet fingere Grammaticam.

In humanam calamitatem.

Quid viget in terris adeo imbecille pigrumque,
  Quin facile accedens ſtamina noſtra ſecet?
Vel nos exiguo reſtinguet aranea morſu,
  Paſtaque ab ignaris inferet herba necem.
Quam multos noctu pituita repente necavit?
  Quot ſubito afflixit corpora fœdus odor?
Noſtra adeo fragili pendent de ſtamine fata,
  Ut pigeat noſtræ, ſuppudeatque vicis.
Et tamen in ſuperos crudelia ſolvimus ora,
  Et violat ſanctos impia lingua Deos.
Non ſat erat miſere jam jam moritura tenere
  Corpora, quæ poſſent mille ſubire neces?
Inſuper accedit dementia ſumma, furorque,
  Vivitur hinc ipſis durius arboribus.

In COSMUM MEDICEM *Magnum Etruriæ Ducem.*

Jam tum naſcenti verax tibi dixit Apollo,
Urbis, Coſme, tuæ ſplendor, & Orbis eris.
Egregium hoc nomen merito tibi fata dedêre,
Coſme, decus Tuſcæ ſedis, & Auſoniæ.

In Imperium.

Qui putat imperium gravius, vel firmius eſſe,
Quod vis conciliat turbida, quam quod amor:
Prorſus hic a recto, me judice, longius errat,
Si ratio vera eſt, judiciumque meum.

De cura Principis.

Privatos etiam labor, & ſua cura fatigat:
Quidnam illi, cunctos qui regit unus, erit?
Si tanto regitur nobis domus una labore,
Cura graves populos quanta regentis erit?

In Ova.

Judice me nihil eſt gallinæ dulcius ovo:
Quin etiam hoc ipſum ſuſpicor eſſe Jovem.
Ova mihi dum ſint, ſuperorum menſa valebis:
Dulcius eſt ovum nectare, & ambroſia.

In Amorem.

Eſt, qui peſtiferum virtuti credat Amorem;
Eſt qui parte putet qualibet eſſe bonum.
Idque probabilius ſapientibus eſſe videtur,
Nil foret in terris, ſi periiſſet Amor.

In Liberalitatem.

Inſtar ſervitii eſt, ſi quid debetur amicis;
Mox ſiquidem juris non licet eſſe ſui.
At ſi quid dederis, alter tibi ſerviet. Ergo
Delige te dominum, mancipium ne velis.

In Bellum.

Triſtia cum liquido pendebunt nubila cœlo,
Aut pluvia, aut aſper turbo timendus erit.
Nunc propè nos ardent tam ſæva incendia belli,
Ut metuam nobis nunc genus omne mali.

In Maledicos.

Sunt, qui continue reliquis maledicere tentant:
Hoc hominum placuit commonuiſſe genus:
Ut bene ſi crebrò cupiant audire, quieſcant.
Jam ſua noſſe adeò ni malefacta velint.

In Autumnum.

Peſtifer Autumnus jam vexat corpora noſtra,
Nec ſemel una videt funera multa dies.
Decrevit fortaſſe Deus punire ſceleſtos,
Humanum & crebra plectere morte genus.

In Corporis & animi Sympathiam.

Corporis, atque animi tanta eſt conjunctio noſtri,
Ut ſit communis lætitia, atque dolor.
Utque malis animi vexantur corpora curis,
Sic animum graviter languida membra premunt.

Ex prima cantilena Petrarcæ.

Hos affert ſecum mea nunc inſania fructus,
Ut vitæ pigeat, ſuppudeatque meæ:
Et plane ut videam, quæcumque hic blanda videntur,
Eſſe brevis ſomni proxima imaginibus.

In Quietem.

Quem via confecit, requie ſua membra viator
Reſtituit, melius quo grave tendat iter.
Sic vos defeſſos ſtudiis, ſerieque laborum
Huc jubeat firmos longa redire quies,

In Luxum.

Si quo noſtra olim langueſcunt corpora morbo,
  Suſtinet hanc cauſſam luxus, & ebrietas.
Non tempeſtates, nec triſtia ſidera nobis
  Obſunt; quiſque ſui eſt cauſſa, & origo mali.

Ad Juvenem.

Deſine frugiferum juvenis profundere tempus,
  Quo facile ad laudem quærere multa potes.
Dura quidem ſpecies virtutis prima videtur,
  Poſt tamen invenies dulcius eſſe nihil.

In quoſdam Juvenes.

Non probo vos juvenes: riſu me primus inepto
  Offendit: ſed tu mollior, ille levis.
Temperet a riſu primus: gravis alter: honeſto
  Conſulat extremus: ne mihi diſpliceant.

Sententia Heſiodii.

Sponte ſua prudens qui diligit optima, plane
  Optimus, & magno proximus ille Deo eſt.
Ille etiam bonus eſt, audit qui recta monentem:
  Qui neutrum præſtat, peſſimus eſt hominum.

In Fortunam.

Fortuna imbelles animos violentius urget:
  Fortibus & ſævas abſtinet illa manus.
Ergo omnis fati rabies vincenda ferendo eſt.
  Hoc genus haud ſolita eſt fors agitare virum.

In eandem.

Fortuna, & fatum nihil eſt: olim omnia certa
Conſtituit ratione Deus: nec frondibus arbor
Illius injuſſu tegitur; nec crine vel uno
Nudatur caput æterno ſine numine noſtrum.

In Juſtitiam.

Ut reliquas cœli ſtellas ſplendore latere
Cogis, Phœbe, tuo, ſic ſplendida ſemita vitæ
Juſtitiæque decus reliquos obſcurat honores.

De vitandis noctis periculis.

Eſt ſapiens, quicumque fugit diſcrimina noctis,
Qua gladii incurſant, & gravis umbra nocet.

De Virtute.

Virtutis clypeo caſus duri excipe tela:
Fors etenim fortes tollere ad aſtra ſolet.

De Voluptate.

Eſt cupienda tibi, ſed cum virtute, voluptas:
Et vitia, & ſordes ſunt fugienda tibi.

In Riſum.

Infantes animos riſus teſtatur ineptus:
Non eſt ſtultitiæ clarius indicium.

In Sermonem peritum.

Noſtra velut modici confirmant membra labores,
Sic natura animos ſermo peritus alit.

In Patriam ſuam.

Mœnibus a noſtris belli furor omnis abeſto,
Cordaque civili ſeditione vacent.

In Carmina.

Carmina qui ſpernit, pecudes imitatur, & urſos,
Quos prohibet feritas dulce ſitire melos.

Dulciſſima quies.

Quam juvat in viridi recubantem ſtertere campo,
Paginea tremulum fronde movente ſonum.

In

In Pecuniam ex Græco.

Numme pater colacum, peperit te cura, dolorque
Te tenuiſſe, metus; te caruiſſe dolor.

In Sermonem.

Vaſcula tinnitu, ſed nos ſermone probamus:
Hoc noſtri eſt ſummum pectoris indicium.

In hominum curas.

Quid cæco ſtudio miſer
Quæris ſollicitas opes?
Quid pectus properas tuum
Novis urere curis?
Cur mentes hominum trahunt
Faſces, & Tyrium decus?
Nec quantum lateat vident
Sub ſplendore veneni?
Secura immodicæ ſtipis
Non movit dominum quies:
Regumque aſſiduè premunt
Duri corda labores.
Hic felicia tempora,
Hic dulces peragit dies,
Cui non ambitio, aut amor
Somnum ſordidus aufert.
Rerum, dum liceat, ſtudet
Uſura interea frui,
Secum conſtituens, ſibi
Nil certi fore quicquam.
Quæ natura ſeverior
Noverca, impoſuit mala
Nobis, conſilio levans
Forti pectore perfert.
Si flat aura ſecundior,
Prudens lintea contrahit:

Idemque excipiet trucem
Imperterritus Auſtrum.

Ad ſuos Juvenes.

Quid fugacia ſubdoli
Ceſſas ocia temporis,
Cum ſis junior, optimo
Impartire labori?
Curſu volvitur impigro
Annus, & tacito pede
Oſcitantibus accidit
Improviſa ſenectus.
Tum ſtupentia denique
Corda conſilium petunt,
Cum ſalubria lethifer
Spernit pharmaca morbus.
Fruſtrà inſtante ſatellite
Orci, pænitet integram
Ætatem miſerè jocis
Impendiſſe pudendis.
Vobis at virides genæ,
Et ferventia pectora
Jubent nomina gloriæ
Commendare perenni.
Eja, dum ſinit invida
Implacabilis Atropos,
Vitæ curriculum brevis
Longa prodite fama.

HIERONYMI BALBI
JANUENSIS.

Ad Petrum Dandolum.

CUm mihi ſis Pylades, cum ſim tibi fidus Oreſtes;
  Cur ego diſpariſi conditione fruor?
Sunt tibi Cadmeo bis tinctæ murice veſtes:
  Eſt veſtis nigro tincta colore mihi.
Venit Erythræis tibi gemma petita ſub undis:
  At premit articulos vitrea gemma meos.
Sunt tibi Dardaniis radiantia tecta columnis:
  Eſt caſa; quæ caſus indicat una mihi.
Sunt tibi priſcorum numeroſa volumina vatum:
  Eſt mihi pro cunctis: Nux ego juncta viæ
Oſtrea te replent: nos cepa, & ſectile porrum,
  Tu famulos paſcis; vix ego paſco canem.
Si mihi vis Pylades; ſi vis ſim fidus Oreſtes;
  Vel pauper fias; vel dato: *κοίνα φιλῶν.*

In Paulum Aſtrologum.

Noſcit Ephemeridas, Circeaque carmina Paullus.
  Stelligeræ noſcit ſidera clara domus;
Tympana quid Cybeles; numen quid portet Anubis;
  Linigeræque tenet candida ſacra Bovis;
Pullorum quid fibra velit, quæ monſtret Oſiris
  Somnia; quid volucrum turba canora ferat.
Sidera cum teneat; ſecretaque noſcat Olympi,
  Ante pedes quod habet, non tamen iſte videt.

Ad

Ad Franciſcum Ciconiam.

Candida ſublimi crepitare Ciconia nido
  Sueta, mihi quales nunc dedit ore ſonos!
Illa ſitim ſiccis hærentem faucibus ire
  Juſſit; & e noſtro depulit ore famem.
Judice me nuſquam cantator funeris atri
  Dulcius effundit gutture carmen Olor.
Orphea jam Thraces, ſileantque Amphiona Thebæ;
  Nobile ſi carmen garrula dictat avis.

Ad Juliam.

Alba manus, flavi crines, argentea cervix,
  Siderei vultus, lactea colla, pudor;
Efficiunt, ut te cœlo rear eſſe creatam:
  Nam talis nullo tempore forma fuit.
Indomiti mores, damnoſa ſuperbia, faſtus,
  Atroces vultus, ſaxea corda, rigor,
Efficiunt ut te terris rear eſſe creatam:
  Sævitiâ Superi namque carere ſolent.
Quam male commiſit natura injuſta! dediſſet
  Ni tibi ſævitiam, Diva beata fores.

Ad Ponticum.

Eſt, quicumque cupit, congeſto pauper in auro.
  Vis fieri dives, Pontice? nil cupias.

De Se.

Me pharetratus Amor pannoſaque cogit egeſtas.
  Quas cupit hæc, demens negligit alter opes.

Ad Amorem.

Sum tuus; & tua ſum ſæviſſime præda Cupido,
  Et tamen in caſtris torqueor uſque tuis.
Incipiat propriis ſi Mars dare vulnera ſervis;
  Exiguo Mavors tempore ſolus erit.
Nec vis ut moriar, nec vis me vivere; parco,
  Sed tibi; nam cæcus nil niſi cæca facis.

De Marco, Cauſidico avaro.

Cauſidicus centum tenuit ſeſtertia Marcus:
  Sed rapidas furum dum timet ille manus,
Inſomnes longo ducebat murmure noctes;
  Anxius & lapſas ſæpe timebat opes.
Proh dolor! amiſit centum ſeſtertia Marcus;
  Grandia verboſi dum petit arma fori
Nunc, ſecure, potes totas requieſcere noctes:
  Perdere quod timeas jam nihil arca tenet.

Ad Lucam Sextum.

Sexte Camænarum celeberrime Caſtaliarum,
  Candida qui clare nomina lucis habes;
Aurea forma tibi, tibi contigit inclita virtus,
  Et facilis roſeo qui micat ore nitor.
Eſt pudor, eſt tenero gravitas maturior ævo;
  Ingenium pueri nil puerile ſapit.
Creſce igitur: creſcet virtus creſcentibus annis
  Non moritura: vorat cetera tempus edax.

Ad Marianum.

Verſus quos docto fudiſti e pectore ſollers;
  Quos merito quivis tollere ad aſtra poteſt;

Sor-

Sordiduli ſiunt, nec digni laude putantur;
Plus tibi quam ſatis eſt ſi, Mariane, placent.

De Amore.

Ut clavus clavum pellit; ſic pellit amorem
Alter amor; veteres ſic nova flamma faces.

In Paulum Piſcatorem.

Pauper eras (memini) Venetâ piſcator in urbe,
Nigraque ab Æthiopo ſtigmata ducis avo.
Sed vaga ſors luſit, Pario colis atria muro
Structa, & centenus jugera taurus arat.
Pone tamen rigidos faſtus, nec ſanguine natum
Patricio, aut priſca nobilitate putes.
Sors dare regna poteſt, gemmaſque & fulva metalli
Pondera: vile genus nobilitare nequit.

Ad divites.

Quiſquis es, auratos tribuit cui Lydia fontes,
Cui Fagus Eoas pandit opacus aquas:
Dolia cui veterem ſpumant redolentia Bacchum,
Niliacoque nitet rure benigna Ceres:
Cui Ganimedæos tribuit ſors læta miniſtros,
Et Maſſileum virga gubernat equum:
Regna Deæ metuas dubio pendentis in orbe;
Cujus agit celerem ventus, & unda rotam:
Quique Midam ſuperas opibus, Creſumque beatis,
Pendula ſors currum ſi rotet, Irus eris.

Ad Paullum.

Carmina noſtra probas? ſolvam te legibus æquis.
Nil niſi verba refers: nil niſi verba dabo.
Me donis donas: contra quæ munera mittam?
Heu, fortuna meas nubila preſſit opes.

Car-

Carmina quid reddam, Muſarum & Apollinis expers?
  Non bene pro magno munere verba damus.
Ergo animum dono, gemmas qui vincit, & aurum:
  Semina ſic duplici fenore reddet ager.
Nam ſors regna poteſt, fulvique auferre metalli
  Pondera: ſors animum, Paulle, movere nequit.

De Petrâ puellâ.

O manus, ô crines, ô colla, ô lactea cervix,
  O oculi æthereæ ſidera bina domus!
O vox, ô mores ſine ruſticitate pudici!
  O frons, ô primis æmula labra roſis;
Perditis heu miſerum, periturum cernite amantem.
  Cernite me morior: cernite me, morior
Heu morior! pullâ cingatur veſte cadaver,
  Et referant tales marmora ſcripta ſonos:
Hic jacet extinctus teneris Hieronymus annis;
  Duræ cauſſa fuit aſpera Petra necis.

Epitaphium Philelphi.

Itala Cæcropiæ Pallas conjuncta Minervæ;
  Et ſtetit, & cecidit morte, Philelphe, tuâ.

Ad Lucam Ripam.

Deſine divitias natis cumulare ſuperbas:
  Divitiæ parvo tempore namque fluunt.
Non ita præcipites alterno vortice cymbas
  Verſat arenoſo Scylla proterva mari:
Nec ſic incertis agitantur fluctibus undæ,
  Ut ſors inſtabiles impia verſat opes.
Munera nulla valent natis majora parentes
  Linquere, quam laudis nomina clara ſuæ.

Ad

Ad Puellam.

Attrahit ut ferri magnetica gemma rigorem:
Luminibus præceps ſic trahor ipſe tuis.

Ad Pythagoram.

Pythagora, alterno reparas qui ſemina lapſu,
Corporibuſque novis das reduces animas.
Dic quid erit Marcus, Stygiis cum dirus in undis
Corpora Syſiphio pondere ſæva premet?
Quis Marcus? Marcus rabido livore refertus,
Qui Fabii damnat qui Ciceronis opus;
Omnia qui rodit, genuinum frangit in omnes,
Et cui Gorgoneo viſcera felle madent.
Non erit iſte caper; non vaſti bellua ponti;
Non leo; nec taurus quidnam erit ergo? canis.

Ad Joannem de Monte.

Joannes, Clarios nunc cernimus undique vates;
Et decorant omnes laurea ſerta comas.
India dat vates; dat terra Britanna poëtas;
Dat Scythicus, Libycus, Gallus, Iberus, Arabs.
Parvulus ad luſtrum cum primum venerit infans,
Arguto blæſos concinit ore modos.
Quid mirum? tenuit antiquo tempore lauros
Parnaſus: lauros nunc habet omnis ager.

Ad Ægidium Delphum.

Quid tenuem laudas, vates memorande, Thaliam?
Veſtit rugoſum noſtra Thalia piper.
Corvum laudat olor, picæ philomena querelas;
Cornicíſque ſonos unica laudat avis.
Nec tamen expectes, ut ſolvam hæc legibus æquis,
Veridicove probem carmina culta ſono.

Lau-

Laudis egent quæ ſunt mediocria: Livor iniquus
  Commendat verſus, Delphe diſerte, tuos.

Ad eundem.

Lumine captus erat Smyrneæ gloria gentis:
  Squallebat cæco lumine Tireſia.
Vivet Tireſiæ; vivet quoque nomen Homeri,
  Dum novus Eoo ſurget ab axe dies.
Hucque quem cæcum memoras, mi Delphe, coruſcâ
  Mente videt, quantum cernere lynx poterit.

Ad Robertum Gaguinum.

Candida cuncta geris, tibi candida tota ſupellex;
  Candide candenti conſpiciende togâ.
Hæc toga Acidalias ſuperat candore columbas,
  Et quæ Mygdonio marmore tecta nitent.
Quin etiam ſuperat criſtalla, liguſtra, pruinas,
  Lilia, quæ vernâ luxuriantur humo.
Cedit Erythræo quæſita ſub æquore gemma,
  Cedit & Eoi nobile dentis ebur.
Hæc toga ſit primis nivibus licet æmula; mentis
  Attamen indicium candidioris adeſt.

In Mendacem.

Qui fueras totâ mendax notiſſimus urbe;
  Et totâ fueras notus in urbe loquax:
Captus in obſcuro latuiſti carcere clauſus;
  Et meritas pœnas lingua reciſa dedit.
Nec ſatis eſt: ſcribis, quod dicere, Ventule, linguâ
  Sciſſa nequit: ſupereſt, dextera cæſa cadat.

Ad Paullum.

En jacet inſulſi nunc fama ſepulta libelli
  Paulle tui: ceſſas quid miſerande mori?
Carolus Aonii decus & nova fama triumphi
  Te ridet: ceſſas quid miſerande mori?
Te pueri digito monſtrant, juveneſque, ſeneſque
  Exultant: ceſſas quid miſerande mori?
Jam morere, & merito claudas mala fata veneno;
  Una ſalus miſeris eſt periiſſe ſemel.

De primo vere.

Qui Tyrios vexit ſpumoſa per æquora raptus,
  Candida Phœbæis cornua junxit equis.
Squalida fugit hyems; Zephyri rediere ſecundi;
  Sub trabe nectit opus nuncia veris avis.
Ridet ager, veſtitur humus, veſtitur & arbos;
  Induit herboſum terra benigna caput.
Sic rutilæ noſtro creſcunt in pectore flammæ,
  Atque urit pectus ſæva puella meum.
Noſtra tamen major flamma eſt: nam cornua tauri
  Menſe calent; ſemper pectora noſtra calent.

Ad Ambroſium de Cambray.

Vel fuit ille ſacer vates, vel magnus Apollo,
  Nomina qui tribuit Ambroſiana tibi.
Ambroſius paſcit cœleſtia pectora ſuccus;
  Lætatur dulci Juppiter ambroſiâ.
Dulcior ambroſiâ tu nectare dulcior omni,
  Ambroſias vincis, nectareaſque dapes.
Vive diu felix: ſuperans vel Neſtoris annos,
  Sis cunctis dulci dulcior ambroſiâ.

Ad Camillam.

Te colo, te veneror, numquid mea vulnera curas?
  Vulnera non vati perpetienda pio:
Te donis dono: numquid mea vulnera curas?
  Vulnera mortali non patienda viro:
Te modulis celebro: numquid mea vulnera curas?
  Vulnera non ſido perpetienda mihi:
Te fugiam; forſan quod non potuere, Camilla,
  Carmina, dona, preces; id fuga noſtra dabit.

Roberto Gaguino.

Terra prius fluctus; & pontus deſeret undas;
  Aſtra polum, volucres æthera, piſcis aquas.
Quam ſubeant animo, Gaguini, oblivia noſtro:
  Mens habet una duos, mens habitura duos.
Tu mihi ſola fides, animæ pars altera noſtræ;
  Altera lux, alter ſpiritus, alter ego.

Epitaphium Ardolaphi Pini.

Quod ſua cuique dies maneat; quod fama ſuperſit;
  Ardolaphi monſtrat fama, decuſque ducis.
Quem non mille manus poterant, nec mille phalanges;
  Abſtulit hunc cunctis mors adeunda viris.
Caſſide Mars poſitâ, poſitâ luge ægide Pallas.
  Quis credat: Pinum tam brevis urna tegit.

Ad Ambroſium de Cambray.

Non rota fortunæ, non ſidere fata maligno;
  Fregerunt mentem, vir generoſe, tuam.
Jam ceſſit fortuna tibi, jam victa pudore,
  Se facilem tanto præbuit illa viro.
Pellæum ſileat juvenem vaga fama, nec ullus
  Laudibus immodicis Cæſaris acta canat

Cedit uterque tibi; facile eſt ſuperare volentem
Fortunam: adverſam vincere difficile eſt.

Ad Quendam.

Dum te parva ratis, dum te levis aura ferebat,
Et bonus, & placido pectore mitis eras.
Nunc, ubi roſtratâ veheris ſuper æquora puppe,
Turbida ventoſus pectora faſtus agit.
Pendula mens hominum, rebuſque elata ſecundis.
Fallitur, & vanâ credulitate tumet.

Ad Marianum.

Quid vultu, Mariane, truci, quid fronte ſeverâ
Turges? quid tanto pondere membra quatis?
Subter anhelat humus, vaſtoque oppreſſa laborat
Pondere, quod renuat ferre rogatus Atlas.
Sis licet Aoniæ decus immortale cohortis,
Teque colat flexo tota caterva genu;
Faſtidire tamen noli, Mariane, minores;
Inſtabilis metuas ſed leve Sortis iter.

Ad Guidonem a Rupeforti.

Quod tibi centenis renovantur rura juvencis.
Quodque tuum a priſco ſtemma refulget avo,
Quod domus Attalicis tibi ſplendeat æmula gazis;
Non tu, Fortunæ ſed veneranda rota eſt;
Quod tibi ſint mores omni probitate verendi;
Quod ſuperes priſcum relligione Numam;
Non hæc Fortunæ, non hæc ſunt munera Fati,
Sed tua ſunt: omnis laus tribuenda tibi.
Noſtra, animi virtus, noſtra eſt probitaſque fideſque;
Cetera ſub regno ſunt, Dea cæca, tuo.

Ad

Ad Guidonem.

Miſiſti nobis & poma, & carmina, vates,
  Indelibatæ pignus amicitiæ.
Carmina ſic animum paſcunt, ut poma palatum:
  Illa lepore juvant: iſta ſapore placent.
Poma aurum vincunt; vincunt & carmina gemmas:
  Aurum da, & gemmas; deteriora dabis.
Poma nec Alcinous miſiſſet talia nobis
  Carmina nec Clarius tam bene culta Deus.

Ad Camillam.

Nullane te pietas morientis, perfida, tangit?
  Nulla movent animum Numina læſa tuum?
Crudelis, duris multo crudelior urſis,
  Durior & ferro, durior & lapide.
Sævitiâ vincis ſilices, adamanta, feraſque:
  Ut reor, in duro pectore marmor habes.
Non, non humani te progenuere parentes;
  Sed lupus, aut dura rupe leæna ferox.
Et genita in ſilvis, nutritaque lacte ferino,
  Et tibi quæ tribuit ubera tygris erat.
Crudelis, tantos numquam miſerata labores,
  Nunc ſatia noſtris pectora ſæva malis.
Tot mala nam patior, quot cœlo ſidera fulgent,
  Æthera quot volucres, quot vehit amnis aquas.
Si quis erit, cunctos miſerâ qui mente dolores,
  Et genus omne mali noſcere poſcat, amet.

Ad Galliarum Regem, de Venere ipſi donata ab Eq. Renzio.

Quæ donata tibi Venus eſt, Franciſce, volebat
  Illa loqui tecum: poſſe loqui ars dederat.
Sed cum prævertis; mille admirata loquendi
  Eſſe tibi Veneres, muta repente fuit.

De eadem.

Quid ſiſtis celeres gradus? quid aures
Ad vocem adrigis, heus viator? hæc eſt
Fandi neſcia, quippe ſculpta Cypris.
Abi quo properas, abi viator.

Ad Marianum.

Tune ſacros audes infensâ voce poëtas
Spernere, Pierio non bene grate choro?
Saxa, feraſque truces cantu Rhodopejus Orpheus,
Et potuit Stygium perdomuiſſe canem.
Captus Arioniâ Delphin dulcedine vocis,
Illæſum placido tergore vexit onus.
Mellifluo Tyrios Amphion carmine montes
Tranſtulit, & lyricâ mœnia ſtruxit ope.
At tu ſi pergis vates contemnere, dicam,
Durior es ſaxis, durior eſque feris.

BARTOL. BALDINOTTI

PISTORIENSIS.

Ad Nicolaum Fabbronium.

TE juvat inſolitas ruri conſumere vires,
Aſpicere & ſilvas te juvat, atque placet;
Aſt minus hic miror, nam Villa dulcius eſt quid!
Quidque ſaluberius, dulcius atque iterum;
Reddidit hæc annos, meſſes, quibus horrea manant,
Reddidit et Bacchum, vita regenda quibus.

Præ-

Præterea fruges, tum fructus addit amœnos,
Caſtaneas, ſiliquas, cetera datque nemus.
Omnia Rus gignit, nihil ac ſine rure maneret,
Sanctius eſſe nihil ruſticitate vides.
Vivitur hîc dulcis vita, & poſt uſque triumphos,
Tot Romæ partos, hîc Cycinatus erat.
Aſpice Lyſandrum viſentem pergama Cyri
Perſarum Regis poma ferentis ei.
Aſpice quot, totus quos jam ſpectaverat orbis,
Otia Patritii dulcia ruris ament.
Ipſe ego jam villam peterem; tum luſtra ferarum
Alcipiada niſi me tenuiſſet hera.
Heu mihi quos luctus, quæ tu ſuſpiria fundes
Bartolomæe miſer Bononiam repetens.
Quandoquidem menſes, ac anni forte recurrent
Te ſinè, cum nequeant nunc remeare dies.
Ad te veniſſem, nobis, Fabbronie, carum,
Vidiſſem vineam, ruraque culta tua.
Rus habeat corpus, teneat mens Bartolomæum,
Stes igitur ruri, ſed memor uſque mei.
Teſtor, care Deum, dum ſpiritus hos reget artus,
Ipſe ego te memori pectore ubique geram.
Commiſſamque tibi ſpem, tum decus Alcipiadam
Reddo mei, & noſtrum ſalvus uterque ſiet.

Ad D. BLAXIUM DE PERIS.
De recedendo ab amore.

Juſtiniana procul cui noſtrum ſeruit uterque,
Jam thalamis noſtris ſanctio digna manet.
Legibus horreſcit ſolitas conſumere vires,
Nunc animus noſter pondus inane petit.
Neſcio quid vellem, vellem tamen omnia demens,
Omnia nunc eſſent, ſi requieſſet Amor.
Credebam quondam cæco deſiſtere amore
Servus, &, ut dixi, carcere liber ero.
Hei mihi qui virgis jamdudum cæſus amaris,
Cogor in æternum vulnera ſæva pati,

Cæſaris effigies nobis ſe reddit inermem
  Juſtinideſque mihi legis amator abeſt.
Omnia tentavi, ſupereſt, juſtiſſime Blaxi,
  Præſidium ut quæram, conſiliumque tuum.
Ad te confugio, cui paruit uſque Cupido,
  Et Cytherea tibi victa recumbit humi:
Ut doceas artem, qua fallitur aliger ipſe,
  Et qua conqueritur Dælius ille opifex.
Vel ſaltem tribuas quæſo medicamina nobis:
  Ut valeam ſanus dicier inde; precor.
Alcipiada meis nunc venis te medicante,
  Alcipiada mihi ſit, rogo, dura nimis.
Alcipiada, mihi quæ ſe non reddit amicam,
  Obſecro ſitque ferox uſque ſit, atque furens.
O mihi conſilium tribuas, cariſſime Blaxi,
  Conſule, confer opem, præmia digna dabo
Inſuper æternis te laudibus ore canemus,
  Et referam dignum nomen in aſtra tuum.
Aſpicito verſus, nam mittit Bartolomæus
  De Baldinottis fidus ubique tibi.

Ad Nicolaum Fabronium.

Carmina noſtra tibi portant nunc mille ſalutes,
  Ad te comproperat, nunc cito noſtra ſalus,
Sum, Nicolae, memor, cujus jam labitur annus
  Temporis, & rerum quas agitare ſimul.
Sum memor æternum, numquamve perenne latebit
  Quum verus dicar frater ubique tuus.
Heu mihi quod tempus tranſit remeabile numquam,
  Prætereunt anni, præterit uſque dies;
Omnia marceſcunt, & conficit omnia tempus,
  Evanuere duces, ſingula ſole fluunt.
Eſt mihi dulcis amor, de te ardentiſſima cura,
  Spes, requieſque mei labitur aucta magis.
Tu mihi per ſuperos abſens, miſſilia mittis
  Abſenti, verſus cum mihi vis tribui.
Non tua marmoreis dudum jam ſculpta columnis
  Verba abolita manent, ſum memor uſque tui.

Admiror quantumque meum te verſus amorem,
  Ingentem reputant, non tamen invideo.
Nam tua tunc tandem noſtris aboletur imago
  Nexibus, & fient irrita verba mea;
Cum mare non ventis agitabitur, atque procellis;
  Et ſcopulum in mediis navita quæret aquis.
Ante ſolo piſces veſcentur, calce reperta,
  Ante & amara nimis nux fiet eſca ſibi.
Quàm tibi deficiat tam fidus Bartolomæus
  De Baldinottis, unica noſtra ſalus.

BERNARDI BALDINI

FLORENTINI.

De Marchione Marignani.

JAcobus Medices, vel (ſi fas nomina divûm
  Impoſuiſſe viris) Mars jacet hoc tumulo.

In obitum Jo: Pauli Vicecomitis.

Portus fluctivagi quo confugêre poëtæ
  Quaſſatus pelago terque quaterque, ruit.
Major & anguiferæ ſobolis reſtincta furenti
  Fax eſt incurſu, flatibus atque Noti.
Defuncto te, Paulle, ſophis ſpes magna, tuiſque
  Lux ſublata, choris orta ſed eſt ſuperis.

In obitum Paulæ Vicecomitis Beccariæ.

Te genita nova lux terris exorta refulſit,
  Quam tecum eripuit mors truculenta nimis.

Extincta te, Paulla, novus nitor additus aſtris,
  Demere quem ſuperis mors violenta nequit.
Sic vice terreſtris, potuit quam tollere fatum,
  Lucis, inextinctum lumen in axe nitet.

ASDRUBALIS BAMBASII

In Fontem Mauritianum illuſtris Viri
HORATII MALEGUTII.

O Fons Mauritii ſacer,
  Qui mundiſſimus omnium
  Feſſas Mnemoſyne ſatas
  Puris excipis undis,
Dum exercent Malegutii
  Sollers ingenium ſui,
  Seu quærat Sophiæ abdita,
  Sive arcana Deorum:
Jam non Caſtaliæ bibent
  Lymphas amplius algidas
  Vates egregii, at tuas,
  Fons o ſplendide, dulces.
Te nunc tollere laudibus
  Magni delitiæ Jovis
  Vates, quin & honoribus
  Certant invidioſis.
Tu ob Muſam Cocapannii
  Doctam, ponderii immemor,
  Fies purior aëre,
  Scandes & levis æthram.

In eundem.

Hos fontis latices Mauritii ſacros,
  Qui nunc me excipiunt, carmine nobili

Cyc-

Cycnus Ieniit olim
  Ad ſtagna Eridani ſatus.
Hic illum o quoties, Calliope Dea,
  Audiſti arma virûm, bellaque matribus
  Deteſtata canentem
  Clara Mæonidæ tuba?
O ſacra Uranie quot Malegutio,
  Qui ſe illi meritò ſanguine proximum
  Jactat, ſcire dediſti
  Hîc myſteria cœlitum?
Hic o Pierides mî date laudibus
  [Veſtris ſi ſtudui ſemper honoribus]
  Hunc extollere dignis
  Uſque ad lucida ſidera.
At quò præcipitem me furor abripit?
  Phœbæa reſonare hæc domus alite
  Sueta, haud convenit, ore
  Rauco ut perſtrepat anſeris.

HERMOLAI BARBARI

VENETI.

In Rod. Agricolæ tumulum.

INvida clauſerunt hoc marmore fata Rodulphum
  Agricolam, Friſii ſpemque decuſque ſoli.
Scilicet hoc uno meruit Germania; quidquid
  Laudis habet Latium, Græcia quidquid habet.

MAPHÆI BARBERINII

FLORENTINI.

Poſtea URBANI VIII. Pont. Max.

POESIS PROBIS, ET PIIS

Ornata documentis primævo decori reſtituenda.

QUærentem viridi præcingere tempora lauro,
  Labraque Pegaſei tingere fontis aquâ
Me vocat antiquo ſpoliata decore Poëſis,
  Seque ſacrâ formæ luce carere dolet.
Quæ loquitur, tacito mecum ſub pectora volvo,
  Lapſaque ſic recolens tempora jure queror:
Cum viguit morum probitas, ſtudiumque pudoris;
  Admiſit Pindi nil, niſi caſta, chorus.
Priſca novem Muſas ætas in vertice montis
  Frondiferum lauris incoluiſſe nemus;
Has inter finxit modulantem carmina Phœbum,
  Et blandam digitis increpuiſſe lyram:
Fontis & Aonii puro diluta liquore
  Vatum dulciloquos ora dediſſe modos.
Præruptus quid apex montis, placiduſque receſſus,
  Quid lyra, quid Phœbus, Pierideſque monent
Arboreas inter frondes cantuſque volucrum,
  Et faciunt longam quæ loca grata moram?
Semotus rerum ſtrepitu, vulgique tumultu,
  Artibus excultum qua labor urget opus;
Jucundâ ſpecie, fontiſque optabilis undâ,
  Per juga difficilem ſuadet inire viam.
Quam labor optat amans dum fertur in æthera, numquam
  Deciduâ lauri gloria fronde viret.

At-

Attamen obnubens illum ſub nomine Phœbi,
  Virginis hanc Daphnes fabula nota canit.
Quis blando citharæ ſonitu potuiſſe recludi
  Viventi infernæ ferrea clauſtra domus?
Quiſnam Tartareis revocatam credat ab umbris
  Threicii precibus conjugis Euridicen?
Humanos animos donec mortalia vinctos
  Corporis anguſto carcere membra tenent;
Non Stygiis ab aquis, nec Averni clauditur antro,
  Sordibus at ſcelerum mens tenebroſa jacet:
Non Acheronteis furiis agitatur, at Orci
  Aſſiduo premitur ſollicitata metu;
Hanc Erebi e ſepto, merſam caligine culpæ,
  Ut rurſus valeat libera luce frui,
Æmula virtutum ſeptem vis conſona chordis
  Non citharæ plectro, ſed ratione vocat,
Eximios Helicon ſpecioſo cortice ſenſus
  Abdidit, ut gemmas lucida concha tegit.
Ætas poſterior ſprevit, quæ tecta latebant,
  Extera perquirens, excipienſque ſinu.
Dicitur hinc Nymphæ captus fugientis amore
  Phœbus, & amplexu non potuiſſe frui;
Hinc pulchris Orpheus oculis arſiſſe puellæ,
  Pro quâ non timuit Ditis adire fores.
Juppiter ex alto pluvium delapſus in aurum,
  Hac Danaës violat fraude pudicitiam:
Et ſpeciem tauri, plumaſque indutus oloris,
  Polluit Europæ, Tyndareumque thorum.
Quis ferat impuros Venerem, Martemque referri,
  Vulcani captos implicitoſque dolis?
Hinc juvenes proni in pravum, mala ſemina morum
  Hauſerunt animo, peſtiferamque luem.
Proh ſcelus! hanc turpi diffundunt carmine priſcis
  Deterius, fictos qui coluere Deos,
Nomine poſthabito Chriſti, rituque piorum,
  Dum fœdis modulis flagitioſa canunt;
Cultores addunt Veneri, pubemque pudicam
  Dedecorum ſatagunt commaculare notis.

Sic

Sic falſos venerans olim gens impia Divos,
  Qua Crucis in montis vertice truncus erat,
Cypridis erexit ſpiranti e marmore ſignum:
  Hoc &, Adoni, ſimul te colere inſtituit.
O pietas Helenæ! Chriſti ſanctiſſima cultrix
  Hinc Crucis ejectum neſcia ferre decus,
Evertens Veneris cultum, pia ſigna ſalutis
  Egregie ſtructâ præcipit æde coli.
Ter felix Helene, tanto dignata triumpho.
  Proh quantus Veneri nunc renovatur honor!
Carmina perque manus hominum, perque ora vagantes
  Sunt ſtatuæ, Aonius quas polit arte labor.
Quis pravos abiget cultus ope carminis auctos,
  Senſa metro claudens, quæ celebrata juvent?
Cur magis oblectant lauri, felicior arbos,
  Si Crux divini pignus amoris habet?
Orphea cur canimus, penetrantem ad Tartara, victor
  Si ſpolians Herebum Jesus ad aſtra redit?
Te ſpecies mutata trahit? ſpectacula lucis
  Et nivis in Chriſto dat tibi mira Thabor.
O mihi, quæ proſint, liceat diffundere cantu,
  Sectanti veteres quæ cecinere patres.
Auſpice quo? cujus nutum ductumque ſequatur
  Mens mea, præclarum quæ meditatur opus?
Sit mihi dux Moſes, Rubras ad litoris undas.
  Qui ſocios Phario duxit ab exilio,
Arida cum virgæ tactu veſtigia linquens
  Inſterni tutum per freta vidit iter,
Suſpenſoſque maris fluctus hinc inde relabi,
  Abſorptaſque rotas, & Pharaonis equos.
Quas rerum Domino perſolvit carmine grates,
  Dum reſonant hilari tympana quaſſa manu?
Ah pereat, caſtam quiſquis violare Poëſim
  Audet, & e myrto nectere ſerta comis.
Me trahat Iſaciæ cupidum pia gloria palmæ,
  Jordaniſque ſacrâ qui fluit amnis aquâ:
Sceptrifer hic mentem recreans teſtudine vates,
  Rebus in adverſis triſte levabat onus:

Hac

Hac læſi meritam placavit Numinis iram,
  Dum lacrimis mixtas fudit ab ore preces:
Hac mundi naſcentis opes celebravit, & almas
  Divinæ laudes, & benefacta manus.
Jam novus ex imo cordis mihi proſilit hymnus,
  Et chelys Hebrææ me rapit unus amor.
Fallor, an ex animis laſcivi carminis ardor
  Aufugit, & morum tabida peſtis abit?
Sic malus e regis narratur corde Saülis
  Spiritus expulſus corripuiſſe fugam.
Dirige jam dociles digitos Jeſſea propago,
  Dum mea dextra tuo pectine pulſet ebur.
Itala tu mecum pubes, cape nobile plectrum,
  Et monſtrum Iſaciâ perge fugare lyrâ.

HYMNUS AD DEUM.

Arbiter omnipotens rerum ſuprema poteſtas,
Cujus ab æterno dependent omnia nutu,
Labra mihi reſera, vocemque reſolve canenti,
Ut mea lingua tuæ delibet laudis honores.
Tu ſine principio fueras, ſemperque fuiſti,
Quique es, ſemper eris Regum Rex maximus, idem
Optimus, atque tuum Regnum non deſinet umquam
Omnia tu ſapiens noſti, potes omnia quæ vis:
Te nihil ante fuit, terras, mare, ſidera, cœlum,
Quæque ſuo claudit gyro, tua ſola voluntas
Ex nihilo eduxit, fieri ſimul annuit, atque
Protinus extat opus, patuit tunc lucidus æther
En roſeis invecta rotis Aurora diei
Nuncia præcurrit radios, quibus aureus ambit
Sol maris immenſos tractus, quos undique terræ
Protenſis late ſpatiis amplectitur orbis:
Hinc ſaliunt colles, illinc faſtigia tollunt
Aërei montes, ſalebris riget ardua rupes,
Labunturque vagi per prata virentia rivi,
Ac tumidi volvunt parvis e fontibus orti
Spumantes undas fluvii, Pontique frementi

Gur-

Gurgite ſe miſcent, qua plangunt litora fluctus,
Nec tamen excedunt poſitos in margine fines:
Cæruleum per iter veloci carbaſa motu
Ventus agit, pandaſque rates, ac tonſa triremem
Dum crebro refluas ictu ferit æquoris undas.
Quis varios memoret ſquammoſa examina piſces,
Incluſoſque rudis præduro tegmine teſtæ,
Cruſtaceumque genus, pelagique natantia monſtra?
Ut juvat inſidias illis hamove parare,
Aut naſſa per aquas nantes dum pabula quærunt!
Cernimus e ſcopulis evulſa corallia, ramos
Quæ pandunt, minioque nitent diffuſa rubenti:
Succina miramur, quæ Sarmata promit ab undis,
Miramur niveo conchas candore coruſcas,
Quas dives Bengâla ſuo de litore mittit.
At dudum mea mens liquidum ſpatiata per æquor
Evehitur leni ſublata per aëra motu
In vacuas oras, avium quas turba volatu
Hûc illuc peragrant: Aquilæ ſe regia profert
Quâ reliquis præſtat ſpecies, auſuque ſuperbit,
Seu prædæ ſtudio, pugnæ vel amore feratur:
Sic aliæ pugnant doctæ venantis in uſum:
Nam rapidis alis ſectantur, & unguibus urgent
Segnem, quæ fugit, aut roſtro generoſa reſiſtit:
Pennigerum plures cicurum, multæque ferarum
Dulcia divitibus præbent obſonia menſis:
Oblectant aliæ ſuavis modulamine vocis
Attonitas aures; miros Philomela canendo
Ingeminat, variatque modos, ſeu fundat acutum
Submiſſovè ſono concentum, ſive moretur,
Aut properans iteret diverſos gutture flexus;
Et roſtro referens humanæ verba loquelæ
Pſittacus appellat dominum, pueroſque ſalutat,
Iratuſque fremens adſtanti jurgia dicit,
Seu blandum loquitur, gratam cum porrigit eſcam.
Dant aliæ galeis, & equino in vertice criſtas,
Hæ virides, illæ croceas, albaſque, nigraſque,
Cæruleas, fulvas, & rubro murice tinctas,

Artifici præſtant commiſſas undique plumas
Quæ juncta varios aptant compage colores,
Et referunt pictas nativa ab imagine formas:
Divite pennarum pavo ſibi cyclade plaudit,
Dat querulos gemitus viduatus conjuge turtur.
Stagna colunt anates, velox petit ardea nubes:
Has vapor agglomerat, Solis quem vivida virtus
Elicit humentis gravida telluris ab alvo:
Naſcitur hinc ventus, ſeu blandæ ſpiritus auræ
Aëra quæ tenuem præflat, cœlumque ſerenat.
Hinc pluvii verno labuntur tempore rores
Illinit hinc pratis albentes bruma pruinas,
Et nivibus montes tegit, & rigat imbribus agros.
Quam pulchram referant radiantia ſidera pompam
Dum ſuda ducunt hilares in nocte choreas!
Quis celeres Lunæ curſus, Soliſque meatus
Explicet? hinc oritur ſeries, & temporis ordo:
Pomifer autumnus, florens ver, torridus æſtu
Cancer, & algenti caper additus arbiter horæ
Uſque vices mutant, donec novus appetat annus,
Qui ſua per tritum repetit veſtigia callem.
Sic homines, pecudumque greges, armenta feraſque
Fetus alit terræ, & ſervat ſpirabilis aër.
Omnibus unus amor ſocia cum compare junctum
Conjugii fœdus celebrant, ſobolemque propagant.
Humanæ parere jubes hæc omnia menti,
Quam penes arbitrium ſtatuis ſator optime rerum,
Aut veſci velit, aut operis ſervilibus uti,
Pellere ſeu frigus villoſæ pellis amictu.
Candida nec deſunt lini, nec munera lanæ,
Nec qui ſe tenuans orditur ſtamina bombix.
Quam bonus es cœli Rector! tua dextera campos
Fecundat ſegetum donis, dat vitibus uvas,
Dat baccas oleis, apibuſque liquentia mella,
Butirum armentis, preſſique coagula lactis,
Floribus ornat agros, & læti graminis herba
Planitiem, colles, & montes germine veſtit,
Lataque pomiferis replet viridaria plantis,

Ac decorat lauris, & myrti frondibus hortos:
Serpillum areolas, & mollis amaracus ambit,
Quæ cinarã, & maratrũ fundunt, mentamq: crocumque,
Cinnama cum granis piperis, quod fercula condit;
Balſama cum ſtyracis guttis, myrrhæque liquore
Dat felix Oriens, & odori munera thuris.
Quid loquar artis opus, ſeu ducat molliter æra,
Cudere ſeu libeat ſpiranti e marmore ſigna
Vel miro tabulas, telaſque animare colore;
Belgica ſeu jactet pictis aulæa figuris,
Quæ textu vario fulgens interlinit aurum,
Exprimat aut chartis quod nulla obliteret ætas,
Intentique legant ventura in ſæcla nepotes?
Non ego gemmarum ſpeciem, lapidumque decorem,
Non Chalibum quod alit, tellus, celatque metallum
Æris, & argenti, nec maſſam divitis auri
Perſequar, & quidquid medicæ vim ſufficit arti;
Omnibus his hominem ditas, nihil utile quod ſit
Deficit, aut poſſit jucundum optare voluptas.
Quid tamen in nitidas educi luminis oras
Prodeſſet, niſi tu primi quam noxa parentis
Commeruit pœnam, funeſta morte ſubiſſes,
Chriſte nefas delens. Atra ferrugine cœlum
Sol faciem tenebris texit miſeratus acerbum
Interitum, timuit tremefacta fatiſcere tellus,
Inque chaos priſcum timuere elementa reverti.
Dum Crucis in trunco pendens pro ſontibus inſons
Occidis, ut places iratum victima Patrem
Sanguine: tanta fuit noſtræ tibi cura ſalutis:
Vis perimi ut parcas, omnes Clementia fines
Tranſit, ut effuſæ cures contagia culpæ,
Æternique libens repares diſpendia damni.
Poſt triduum e tumulo ſurgens redivivus ad auras
Immortale refers victa de morte trophæum:
Sæpius appares, donec ſermone tuorum
Nutantes animos, & ſacro numine firmas,
Utque rudem doceant quæ vitet, quæve ſequatur,
Et luſtralis aquæ mandas aſpergine tingi.

Quin etiam majus monimentum linquis amoris;
Nomine namque tuo profert dum verba Sacerdos
Rite litans nobis fieri vis eſca, tuoque
Sub vini, & panis ſpecie (mirabile dictu)
Corpore nos paſcis, potas & ſanguinis hauſtu.
Præſcribis peragenda, datis & clavibus unum
Qui cœli reſerare fores, & claudere poſſit
Conſtituis Petrum reliquis, ut juſſa capeſſant.
Mox repetens Patris ſolium, cœtuſque beatos
Pollicitam mittis divini flaminis auram.
Ingruit en ſonitus ſacris & frontibus ignis
Inſidet in linguæ ſpeciem præcordia complet
Divus Amor; Græci, Cares, Partique, Syrique,
Romani, Cilices, Tyrii gens accola Nili,
Quique aderat ſtupet attonitus quicumque loquentes
Audit, & ut poſſunt, inquit, depromere ſenſus
Sermonis patrii verbis quibus utimur omnes:
Spiritus alme, tuo ſic mentes robore munis.
Pandere fida cohors cœleſtis juſſa magiſtri
Incipit, ut vitæ tradat documenta futuræ.
Jam fuerat Chriſti ritus vulgatus in urbe
Antiochi, populuſque ſacro de nomine dictus,
Cum petit Auſonias oras, gentemque Latinam
Aſciti & ſtudio Pauli venerabile Petrus
Chriſtiadum nomen Romanis arcibus infert.
Non illos potuit ſævi terrere tyranni
Imperium, mortiſque metus, diſcrimina rerum
Contemnunt, donec Latiis in Tybridis oris
Immotam ſtatuant effuſo ſanguine ſedem.
Hinc ſeritur Chriſti cultus, lateque per orbem
Terrarum gliſcens cumulat ſe copia meſſis:
Inſidias quamvis ac ſtrages perfidus hoſtis
Miſceat humani generis, tu Chriſte, tuorum
Protegis adſcriptos numero, tu protegis aris,
Qui ſacris puro cordis famulantur amore,
Quique tuas ſubiere vices in munere Petri
Hos regis, & ſervas, ovibus dum pabula præbent,
Inque tuo auxilio fidens pia cura recumbit,

Quo ſine quid poſſent? tu confers robur & auges,
Infenſeſque lupos gregis a præſepibus arces,
Quem ſtygii numquam perdet vis effera monſtri,
Rex meus, & columen, mundi ſator, atque redemptor,
Quæ tibi verba pares valeant perſolvere grates,
Quæve tuas digne celebret facundia laudes?
Addiderit rutilo radios fax cerea ſoli,
Et brevis urna maris citius concluſerit undas:
Quippe tuæ lucis Titan ſcintilla videtur,
Finibus & nullis præſcripta potentia vaſtus
Oceanus, cujus Cœlum vix parvula bulla eſt.
Hic citharæ ſonitum ſiſto myſteria mecum
Dum tua contemplor, memorique in pectore volvo,
O Deus o noſtræ ſpes & pars unica ſortis,
Te veneror, tacituſque colo, te pronus adoro.

IN CHRISTI DOMINI

Natalem Diem.

Naſceris, alme Puer, gelidæ ſub tempora brumæ,
  Nec igne fota mollis excipit torus
Membra tenella; jaces arenti nudus in herbâ
  Inops, rigenſque frigore inter humidæ
Nigrantes noctis tenebras, ſub paupere tecto:
  Tibique deeſt, ubi recumbat occiput.
Ut nos non ſolum doceas, dum linquis Olympum,
  Per hos gradus malorum ad aſtra progredi:
Sed quia nunc iterum Cœli Sol igneus orbem
  Remenſus, aureo ſedens in eſſedo,
Ad nos regrediens tendit, celereſque jugales
  Reflectit, ut ſuam recurrat orbitam;
Ceu Jani eſt annum ſolito de more Kalendis
  Novum auſpicata Civitas Quiritium;
Hinc quoque te nato, nobis felicior annus,
  Puer ſalutis Orbis auctor, incipit.
Quandoquidem vero fulgentem lumine Solem,
  Vetuſta quo fugatur umbra criminum,

Te genus humanum noſcit, veneratur, adorat.
Et excitat ſopore victa lumina.

ANIMUS RESIPISCENS

CHRISTUM paſſum meditando.

Advenit hora, quæ ſalutem deferens,
E mortis umbra dormientes excitat,
Oborta lux noctis tenebras diſiicit,
Fugatque denſam gentium caliginem:
Canit per aëris plagas cœleſtium
Emiſſa vox Dei ſupremam gloriam,
Terriſque pacem nuntiat, dum naſceris
Æterne rerum conditor, mortalium
Clemens redemptor. Uſquequo nos efferet
Caduca ſpes inanium, quæ deprimunt
Mentis vigorem, quo jacente ſpiritus
Ad ima tendit? ipſi nos ſeducimus,
Dum quærimus, quæ blanda ſenſus attrahunt,
Falluntque Larvæ ſubdolis coloribus:
Hos detegis Rex ſiderum, qui pauperem
Subis caſam cœleſte culmen deſerens,
Et his videris alloqui nos vocibus,
Non me micanti purpura ſtratus torus,
Auroque cuna, & margaritis Indicis
Diſtincta, ſed præſepe vile ſuſcipit;
Dum verſor inter aſperas vitæ vices,
Crucemque perfero, & peremptus occido,
Laboris, & doloris exemplum exhibens,
Meo cruore vos redemptos inſtruo.
Quid vita vos voluptuoſa faſcinat
Fulgore luxus, labilique gaudio?
Quid otioſos detinet ſocordia
Agri patentis inſtar umbra, & floribus?
Anguſta, & ardua ducit ad Cœlum via,
Incedit hâc qui limen almum cogitat.

CIRCÆI POCULI ALEXI PHARMACUM.

Inſertæ vario nitore gemmæ
Cum crater micat aureus, rubetque
Stillans nectareo liquore Bacchi,
Quem de purpureis premunt racemis
Præla Celtica, vel ferax Falerni
Promit vinea, dum furens adurit
Sirius canis arva, ſi nivali
Alget frigore, quid petat, vel optet
Qui ſitit, ſibi gratius bibenti?
Sorbens ſi tamen, inſcius venenum,
Quod latet, ſimul hauſerit; quis illum
Dixerit propria perire culpa?
Talis blanda libidinem puella
Excitat roſeis genis, & ore,
Quo nil pulchrius Ida vidit umquam:
Quærunt hanc juvenes, & intuentur
Intentis oculis, amant, & omni
Huic grati ſtudio placere curant;
Noverint licèt hinc luem creari
Vino lethifero magis nocentem.
O noſtram malè providam juventam!
Sciens exitium ſubit, volenſque.
Quæ vis effera fervet in medullis?
Hæc, quidquid rationis auget uſum,
Sugens abripit; implicatque curis
Impuris animum, necatque ſenſus,
Quos dictat bona mens. Comæ decore
Sic arbor ſpoliatur ob tenaces
Amplexus hederæ, peritque languens
Vitali prope deſtituta ſucco.
Clades hinc fluit omnis, omne manat
Genus flagitii. Paris Lacenæ
Captus Hoſpitæ amore, fas fidemque
Lædens, qua prius ipſe ſe, paternum

Hæc regnum face perdidit. Quis ignem
Neſcit e gelidis aquis obortum,
Narciſſi miſeram vicem? Puellas
Quid Pandionias, ſceluſque Terei,
Seu te, Pyrame, flebilemque Tisben,
Vel Phædræ memorem truces amores,
Aut potus magici dolos? Atrocem
Non Circe pateram; ſuis Libido
Magis ſæva, ſequacibus miniſtrat.
Permeſſi merito chorus, ferarum
Sumptis moribus, aſſeclas Ulyſſis
Indutos ſpecie canit ferinâ.
Satis propudii malum, & furentis
Infortunia peſtis e profana
Ac ſacra Hiſtoria patent: loquare
Omnium vice tu revincte Samſon
Fraude feminea. Fero medelam
Morbo quærimus: hanc opus parare
Doloſi madidis liquoris hauſtus;
Hac avertere Judicem ſupremum,
Ne ſui ſuper impios ab alto
Effundat calicis ſeverus iram.
Nos Joſeph fugiens docet tueri
Immunem vitii nota pudorem.
Non placet fuga? te monet fugare
Torris ignibus innocens Aquinas.
Fuga, vel fuge. Non ubique ſemper
Eſt fugæ locus, inquis, & fugantem
Hoſtit illecebris nimis Voluptas.
Blandæ gratia te jubarque formæ
Si potentiùs enſe vel ſagittis
Comminus petet, eminuſve: mentem
His tamquam clypeo tuere dictis:
Permanet ſcelus, avolat voluptas;
Vindex ſubſequitur dolor perennis.

VEXILLUM CHARITATIS

AD NICOLAUM BARBERINUM GERMANUM FRATREM.

In illa verba JOB,

Militia eſt vita hominis ſuper terram.

Quod dixi ſemel, hæreat repoſtum,
Amantiſſime frater, in medullis:
Duros militiæ refert labores
Infelix hominum, fugaxque Vita.
Nam dum pondere corporis gravatur
Chriſti cultor, ut hoſticis ab armis
Se miles tueatur eſt neceſſe:
Juges excubias agens, famemque
Et ſitim toleret, doloſque vitet,
Quos ſub illecebris procax Voluptas
Abdit nequitiæ graves veneno:
Frangat horribilem furentis Iræ
Impetum, Ambitionis & tumultus,
Et his quæ ducibus moventur arma:
Eludatque cuniculos latentes,
Quos pravus fodit Uſus, & Cupido,
Pertinaciter hinc & hinc petentes
Munitam ratione Mentis arcem;
Pro quâ Sobrietaſque, Caſtitaſque,
Ac recti ſtudium, piique mores,
Ductu præſidioque Charitatis
Si pugnent, inimica vis fatiſcet:
Hac ne decipiamur, eſt cavendum.
Nullus eſt magis acer hoſtis hoſti,
Quàm ſit quiſque ſibi, nocentiorque.
Charitas, precor, alma pelle cladem:
Noſtro in pectore fixa nos tuere:
Te ſuperſtite nil poteſt obeſſe:

Nihil

Nihil nos ſine te poteſt juvare.
Tu nobis data cœlitus, labore
Plurimo retineris, atque cura.
Hoc, frater, meditemur, hoc agamus.
Non, qui terque quaterque, miliieſque
Improbis animi obſtitit rebellis
Victor motibus, obtinet beata
Inter agmina Cœlitum coronam;
Si cedat ſemel, & tenebricoſum
Sic victus rapiatur ad ſepulchrum:
Sed fortis, vigilique mente conſtans,
Qui vivens, morienſque non reliquit
Divinæ ſacra Signa Charitatis.

AD JO: DONATUM FRATREM.

Inanis Eruditio ſine Pietate.

Aſſueſcit teneris agens ab annis,
Olim Nauta futurus in periclis,
Inter multiplices maris tumultus
Puppes cernere fluctuantis æſtu
Jactatas pelagi: diu labores
Et duras tolerat vices, peritus
Ut clavum teneat; ſciatque, ſævæ
Dum fremens furit impetus procellæ,
Abſque naufragio ſubire portum.
Bellator Ducis ut queat ſupremi
Fungi munere, per nives, & imbres.
Et ſub æſtiferum Leonis aſtrum
Prodit, evigilanſque noctis horas
Luſtrat excubias, ſitim famemque
Suſtinens: quoties eat neceſſe eſt
In diſcrimina fortis, inter hoſtes,
Inter ancipitis cruenta Martis
Arma, qua furor efferans phalanges
Corporum miſeras ſtrues acervat?
Quem gravat labor, eſt honoris expers.

Hinc, reor, ſtudioſus allaboras
Lycei ſapientiam doceri,
Et flores legere utriuſque linguæ;
Sic, Donate, tibi parit loquenti,
Scribentique, labore & arte multa
Sermo cultus & elegans decorem.
Hæc, ſeu talia ſæpe cogitanti,
Mens hæret mihi; cogor & ſtupere,
Cur omnes cupimus frui perenni
Inter Cœlicolum Choros quiete,
Quæ laboribus eſt paranda: ſegni
Vivimus tamen otio ſepulti,
Sive rebus inanibus vacamus.
Quot ſunt, qui ſatagant inire callem,
Qui deducere poſſit ad ſupremæ
Sortis lætitiam? trahit doloſa
Nos rerum ſpecies; ferax doloris
Gaudium ſequimur: per hæc caduca
Claram quærimus obtinere famam,
Quam tranſmittere poſteris putamus.
Proh vecors hominum genus! quid umbræ
Sectamur leve ſomnium fugacis?
Eſt quidem, fateor, decus, latentes
Rerum percipere & referre cauſas:
Eſto res populi recepta plauſu,
Docte ſcribere, & eloqui diſerte;
Sit decens amor eruditionis,
Sed frondes, pietate deſtitutus,
Oſtentat velut arbor abſque pomis.
In primis igitur colenda Virtus,
Quam Cœli vigor inſerit, fovetque
Menti dia Fides oborta, fructus
Ut det fertilis, & decora: ſacræ
In templo Sapientiæ litare
Hiſce primitiis licet: dicatum
Qui ſe copulat huic, decus piorum
In terris geret; inclitumque nomen;
Sedes hinc Superum petet beatus.

VA-

VANITATIS FUGA ÆTERNITATIS AMOR.

Amica veris aura, frigus aëris
Amabili tepore temperans, humi
Feracis uberem ſinum recluſerat:
Fugarat atra Sol calore nubila:
Erant odora nuper arva floribus:
Recens virebat herba; cantus alitum
Sonorus obſtrepebat inter arbores:
Fluens nitebat unda pura fluminum:
Obambulabat hinc & inde luſitans
Vagis recurſibus genus natantium.
Sed ecce fervidæ furor Caniculæ
Agros adurit, æſtuanſque vitreo
Aquæ dolet liquore rivus exui;
Amat latere piſcis in receſſibus:
Silent aves, & aura muta deficit.
Hyems iniqua jam recurrit; algidæ
Nives ſuperna montium tegunt juga:
Rigata mœret imbre terra: defluit
Fremens in æquor amnis unda decolor,
Vigorque lætus arborum ſtatim perit.
Ut hæc caduca! luxus Orbis ocyus,
Opum doloſa pompa, forma labilis,
Placenſque inanium figura præterit.
Poli ſuperna conſpicemur Atria,
Vel umbra noctis abſit, aut receſſerit
Dies, ut aſtra luce ſemper aurea,
Jubarque Apollinis nitent! nec officit
Globis micantibus, vel æſtus ingruens,
Vel imbribus, geluve bruma ſæviens.
Quid inter hæc, futura non recogitas,
Dies videre diligens bonos, mea
Supina mens, tuæ ſalutis immemor?
Solet nocere ſæpius, quod allicit.
Parens ſit Eva teſtis. Hiſce jugiter

Mo-

Monemur: Omne, quod fugax, relinquere;
Quod eſt perenne gaudium, requirere.

IN ILLA VERBA SANCTI AUGUSTINI.

Inquietum eſt cor meum, donec veniat ad te Deus.

Aurum & voluptas avida corda non explent,
Non dignitas, celebriſque fama nec Regnum,
Seu quidquid eſt, quod accidat magis gratum.
Quid inquietus expetis vices rerum,
Sperans quiete perfrui? bonis nullis
Contenta mens, anguſtiam ſibi quærit,
Adraſte: lævam ſive dexteram ſortem
Hîc obtinere cui datur, gravi cura
Urgetur æque; tentat e malis unus
Emergere, alter altiora venatur:
Uterque ſperat, nec quieſcit, incertus
Quid afferat dies; metuque correptus,
Nunc angitur, nunc ſpem reſumit: at ſæpe
Humana vota ſpes inanis eludit;
Quod pollicetur blanda, ſive non præſtat,
Seu protinus, quod præſtitit, fugax aufert.
Stulti quietem dum labore ſectamur,
Laborioſa creſcit inquies: demum
Nos opprimet labor quietis expertes:
Hæc non moratur humi, plagas colit Cœli:
Eſt in Deo quærenda, cujus eſt donum,
Quo candidas coronat, & beat mentes;
Quas inquies dum ſpe boni erigit veri,
Vicibus ademptas Cœlitum choris addit.

VERA SAPIENTIA
Mortis meditatio.

Mundi Machina fertur ad ſupremum
Occaſum, rapido rotata gyro

Ho-

Horarum: gravida dies & anni
Alvo perniciem gerunt futuram.
Imminet Senibus propinqua lethi
Formidabilis hora: polliceri
Non poteſt ſibi craſtinum Juventus.
Mors enim pede præpes eſt ubique;
Et numquam ſatiata paſcit omnem
Ætatem; Pecudes ſolent in agris
Sic depaſcere floſculos, & herbas:
Sic vorat populata flamma meſſem.
Serio vigilare nos oportet.
Ut deſiderium tenax fugacis
Vitæ faſcinat! ut trahit voluptas!
Ut cor abripit aura blanda plauſus,
Implicat laqueis opum cupido,
Fallit Ambitio, tenetque luxus!
Stulti quid ſequimur caduca? fulgens
Cœli Regia nos vocat; ſed armis
Obniti Pietatis eſt neceſſe
Contra nequitiæ dolos. Profuſi
Victus illecebræ valete: luſus,
Plauſus, pompa faceſſat: hinc ſuperbum
Senſuum vigor impetum remittit,
Hinc vires animus ſuas adauget.
Non ſomno, dapibuſque prægravetur,
Sumat quod ſibi ſat, licetque, corpus;
Sic non lædit ut hoſtis, impetitque,
Sed pugnat ſimul, adjuvatque mentem.
Hoſpites ſumus hoc in Orbe, non hîc
Nobis Patria permanens: Inani
Jactamur ſpecie boni. Peribunt
Tamquam ſomnia cogitationes,
Quæ nos immemores perennis ævi
Luce orbant rationis. Inſtitutis
Mens veræ Sapientiæ dicata
Leſſum cogitet, execrata luxum.
Miles non referet decus triumphi,
Pugnam non meditatus imminentem.

Ve-

Veritati Calumnia ſuccumbit.

Fervidi cordis tumultus, ira, & æmulatio,
Curta res, gravis ſenectus, languor ægri corporis
Spiritus turbant quietem, quam minus non atterunt
Terror hoſtis ingruentis, carcer & captivitas,
Ædibus pelli paternis, ſqualidæ morſus famis,
Quæque ſerpit huc & illuc peſtilens contagio.
Hæc acerba ſunt, ſed angit acrius calumnia:
More noctis obtegentis aërem caligine
Vera cælat, atque ficta ſæpe miſcens, credulam
Audientium doloſa voce mentem decipit.
Fida nulli, perpes aulæ ſuſpicacis aſſecla,
Invidorum culta plauſu, germen aſtus fertile,
Pervicax rixas, & iras nutrit inter Principes,
Non amicos, non propinquos abſque noxa præterit,
Blanda probri machinatrix, fœda fraudis artifex,
Dira criminis miniſtra, cœca dux injuriæ
Nil omittit, aut recuſat aggredi quod expetit,
Sive fas nefaſve prompta perſtat ultrix exequi:
Teſtis eſto tu, Suſanna, quam ſenum mendacium
Jam locaverat pudendæ mortis in diſcrimine,
Tuque dura vincla Joſeph paſſus arte feminæ,
Inque carceris tenebris pæne raptus funere.
Quæ nefandum dextra monſtrum trudat ima in Tartara
Sicut Hercules fugaſſe dicitur Stymphalidas.
Et ſuperba cum cohorte truſus eſt huc Lucifer?
Quis recludat, quæ ſub atro deliteſcunt tegmine
Solis inſtar, qui decoro mane cinctus lumine
Detegens rerum colores noctis umbras diſcutit?
Tu peroſa mentientes pulchra proles temporis,
Pacis altrix, & quietis, velo amicta candido
Deferens facem micanti luce, falſum eliminas,
Ore quippe cum virili Veritas prodis palam.
Labis expers vita cunctis major eſt calumniis?
Integriſque vis iniqua moribus non officit,
Quæ ſubacta, ſive cedat, ſive lædat concidit;

Nam

Nam triumphans poſt labores fertur innocentia
Ad beatum, quo fruuntur cœlites, conſortium.

FELICITATIS HUMANÆ FUGA COELESTIS ADEPTIO.

Prætereunt anni, celeri pede labitur ætas,
  Et vix orta dies non reditura fugit:
Circumdantque brevem variis diſcrimina vitam
  Caſibus: hora gravi nulla timore vacat.
Arentes veluti Boreas ex arbore frondes,
  Sic homines lethi vis inopina rapit.
Nos tamen affixi terræ traducimus ævum,
  Ac ſi mors umquam non obeunda foret,
Exactæque dies ignava per otia vitæ
  Negligat æterna pendere lance Deus,
Prodigus hic auri, ſublimes extruit ædes,
  Quæ vaſta referunt mole Neronis opus.
Tollitur hinc aulæ paries, fornixque decenti
  Se ſpatio profert; porticus inde patet.
Quas animæ afflatu dicas, ſenſuque vigere,
  Ut mira formas exprimit arte color!
Ærea ſigna, lapis Parius, pretioſa ſupellex
  Ut capiunt animos, intuitumque tenent!
Ille colens largo ſolers viridaria ſumptu,
  Gaudet agri donis, ingenioque ſoli,
Vitrea devexis paſſim diffunditur hauſtris
  Lympha, vago ſerpens culta per arva pede,
Quæ circum irriguis deducta canalibus ambit
  Diſtinctas terræ fœtibus areolas.
Hîc frutices creſcunt, frondes ibi germinat arbos:
  En illic flores, veris odora cohors.
Tonſilis herba refert, Eoûm inventa, tapetes,
  Et myrtus varias ingenioſa feras.
Hîc procul a curis pandit ſe purior æther,
  Jucundumque ciet frigus ab arboribus.
Per nemoris ſpirant frondes Zephyritides auræ,
  Quas volucres lætis vocibus excipiunt.

Attamen optata fruſtratus uterque quiete,
  Quæ ſua ſunt ſpernens, expetit id quod abeſt.
Eſt, qui miratus ſortem redeuntis ab Indis
  Cæruleum pinu per mare currit iter:
Nec pavet infido vitam concredere Ponto,
  Ut magnas aliis præſtet adeptus opes.
Aſt alius ſobolis fœtu protendere gentem,
  Conjugiique bono par putat eſſe nihil:
Virginis eximiæ formam ſua gaudia ducit;
  Huic thalamo jungi nocte dieque cupit.
Sunt, quibus eſt blandæ plauſus gratiſſimus Aulæ,
  Et pueri cantus, voxque ſonora lyræ.
Nil illi potius, diro quam gloria bello
  Parta; libens clarum ſanguine nomen emit:
Adſpiratque manu ſceptrum geſtare, per enſes
  Cæde ſibi ſternens, inſidiiſque viam.
O vanas hominum curas, & inania vota!
  Si quis & aſſequitur, quidquid anhelus avet;
Stillantes cribro latices de flumine portat,
  Plenaque rimarum dolia complet aquis.
Non mihi ſint Regum vitæ nec funera teſtes:
  Eſt tua Rex Salomon, pagina nota ſatis.
Pierius reſonet cantus, famulatus abundet
  Promptus, & Aſſyrio ſpiret odore domus:
Quid regale jubar, vel opum quid gloria prodeſt?
  Quid populi plauſus, deliciæque juvant?
Sunt auræ ſonitus, vel opus quod aranea texit:
  Nectunt, ſint quamvis aurea, vincla manus.
Quid decor eſt formæ? veluti roſa ſera ſuperbit;
  Sole oriente oritur, Sole cadente cadit.
Exeritur viridi ſepto, decerptaque floret
  Vivida; ſed ſubito languet, & atteritur.
Lubrica ſors Regni, ſpinoſis anxia curis,
  Inſtabilis fertur vi male nixa rotæ.
Neſciat adverſos caſus, partiſque fruatur
  Tuta, tamen trepido corde futura timet.
Ut ſtipulæ tenuis vaneſcit ab igne favilla,
  Sic micat, & fugiens gloria Regis abit.

Cetera deficiunt, ut aquæ tenuiſſima bulla:
  Sola mihi ſupereſt, qua tumulabor, humus.
O anime infelix, terræ quid munera quæris?
  Te ſibi, te Cœlo condidit ipſe Deus:
Et potes inſanos cordis præferre tumultus
  Æternæ paci, lætitiæque poli?
Hic te pugna manet: victori debita ſolum
  Palma; coronatus, qui bene pugnat, ovat.
Nec fuerit Chriſti miles certamine victor,
  Humanis humeros ſi gravet exuviis:
Sobrius huic aptus pugnæ, per commoda tranſit,
  Degit in excubiis, eſurit, atque ſitit.
Legerat ex acie, Domino mandante, trecentos.
  Quos videt e digitis lambere fontis aquas,
Dimiſſis aliis, Gedeon, quos potus hianti
  Gutture humi pronos flectere crura jubet:
Mox fugat innumeros hoſtes, multiſque peremptis
  Exigua Madian caſtra phalange capit.
Rebus in his fluxis licitus ſe quatenus uſus
  Proferat, unda labris parcius hauſta docet.
Haſce natans per aquas canit, arridenſque Voluptas.
  Ut Siren variis attrahit illecebris.
Me miſerum ſpecies umbræ ludentis in amne
  Decipit, & blandis fallit imaginibus:
Allicit incautum mendax dulcedine cantus,
  Donec recludat funeris ora dolos.
Heu quid agam? Denſâ cingor caligine culpæ:
  Noxius ah nimium diluit ora liquor.
Abripiunt motus animum: ſic membra natantis
  Sæpe trahit vortex, mergit, & haurit aquis.
Ardua res, pravos ſubito deponere mores,
  (Arbiter eſt uſus) ni Deus adſit ope.
Criminis heu quanto preſſus ſub faſce laboro!
  Intentant facies mortis & umbra metum.
Si venerande ſenex, Stridon quem protulit Orbi
  Virtutum ſpecimen, Chriſtiadumque decus,
Tu trepidas, meditans ſupremi temporis horam,
  Quamquam ſis vitæ conſcius innocuæ;

Quas

Quas animo volvam curas, quem jugiter ætas,
  Arguit in ſcelerum ſordibus acta reum?
Terrificæ quoties mortis ſubit ultimus ictus,
  Jure tuis tecum ſenſibus afficior:
Nempe tubæ reſonans clangor mihi perſonat aurem,
  Horrendumque Dei nuntiat ira diem.
Sive legam, capiamve cibum, ſpatierve per Urbem,
  Languida ſeu noctu membra ſopore levem;
Acria concipiens ultoris Judicis ora,
  Anxia mens horret, cor labat, oſſa tremunt.
Parce, precor, Cuſtos hominum, mihi parce precanti:
  Ah tua, Chriſte, tuum dextera perdet opus?
Te mihi redde prius, quam triſtes cedat ad umbras
  Spiritus: ah tutum lux tua pandat iter.
Hei mihi parce, tuum clemens compeſce furorem:
  Quid miſer heu capiam te ſine conſilii?
Nam ſine te mentes humanas nulla ſalutis,
  Veri nulla boni cura ſubire poteſt.
Temporis amiſſi cruciant diſpendia mentem:
  Ah gemat os, plorent lumina, cor doleat.
Hæc via ſola patet: dolor eſt ſociandus amori.
  Ah tua me ſpecies, te mihi jungat amor.
Me tibi jungat amor; Patris qui ſumma poteſtas,
  Terrenumque regis ſidereumque globum:
Tu radiis fulgens perfecti forma decoris,
  Inferis omne jubar rebus, & omne decus.
Attamen anguſta voluiſti clauſus in alvo
  Virginis, humanas natus obire vices;
Et Crucis in ligno configi, ut morte redemptos
  Mortales Erebi faucibus eriperes.
Proh me vecordem! tanto male gratus amori,
  Innitar fluxis, & fugitiva ſequar?
Ah pereat quidquid gemmarum, quidquid & auri
  Dives Arabs, Gangis potor, & Indus habet.
Militiæque gradus, Regumque optata faceſſat
  Purpura, ſeu quidquid ſuggerit ambitio.
Proh pereat luxus, pereat male ſuada voluptas:
  Te ſine, Chriſte, gravi dulcia felle madent:

Te

Te ſine jucundum nihil eſt, nec amabile quidquam:
Ipſi in luce ſua luce carent oculi.
Jucundus labor eſt tecum, fit dulcis amaror:
Tu mihi pax cordi, tu mihi, Chriſte, quies.
Fac precor, ut recolens noctesque, diesque requirat
Te mea mens unum, cogitet, optet, amet.

AD ALEXANDRUM FRATREM.

Qua ratione pravus animi affectus fugiendus, & curandus.

Eſt operæ pretium vexari febre timenti
Corporis, aut quavis noxa prævertere cauſas,
Lædere quæ poſſunt; multo nam læſa labore
Corpora cum languent, reparentur oportet: in ægris
Curandis animis ratio par eſſe videtur,
Si quis, Alexander, trutinet rem lancibus æquis.
Ars medici, quamvis Coo ſit doctior ipſo,
Pharmaca quæ mittunt Indi, ſeu præparat ignis
Eliciens tenues vario de gramine partes,
Seu quidquid produnt effoſſæ viſcera terræ,
Et ſpecies morbi, lecto qui detinet ægrum,
Curatu facilis, quidquam non proficiunt, ut
Incolumis rurſus, fiat, vireſque reſumat.
Si medicos tenuat ſuccos, vitetque medentem.
Impliciti vitiis animi graviore laborant,
Quam corpus, morbi ſpecie: pleroſque latet, ſe
Ægrotare ſuis affectibus indulgentes;
Hinc in deterius noxæ vis effera gliſcit.
Sunt alii, qui percipiunt quo pondere preſſi
Succumbant, cupiuntque mali reperire medelam;
Non tamen, ut valeant, removent quæ lædere cernunt
Scilicet his vitæ nimium ſpes credula celat
Exitium, furtim properans. Tu providus annos
Elapſos meditare, fugax & ut avolat ætas:
Si culpæ ſtimulos ſentit mens excita, noſcet
Quam grave diſcrimen ſubeat, qui vivere pergit,

Exuta ratione, futuri non memor ævi.
Quæ nocuere, ſequi caveas, conſtanſque repelle:
Hoc age perſiſtens; Uſus contrarius uſum
Delet, & infirmis prodeſt, additque vigorem.
Nec præſens te decipiat nocitura voluptas,
Quæ vix orta cadit, vulnus lethale relinquens.
Protinus illecebræ turgentia ſemina tollas:
Senſibus irrepit paulatim, quod placet, & ſe
Inſinuat, mox aſſiduo ſubit altius uſu,
Inſertumque animo, tamquam foret ingenitum, hæret;
Et late ſerpens carioſum erumpet in ulcus,
Ni Ratio primos excluſerit obvia motus.
Hanc igitur ſectans, pronis præcepta ſalutis
Auribus admittas; in primis Numinis almum
Præſidium implores, fugiens quæ noxia cœptum
Propoſitum turbant; facili te calle pericli
Diriget expertem promiſſa ad gaudia cœli.
Impulit hoc teneros pueros, caſtaſque puellas,
Fundere pro Chriſti cultu cum ſanguine vitam.
Non illos acies diſtricti terruit enſis,
Non algor gracialis aquæ, non ungula, & uncus,
Non virgæ, ſævæque rotæ, non ora leonum,
Non crates, non flamma vorax; nec prava jubentes
Deliciis, opibus, vel amictu murice tincto,
Conſilium rectæ potuere invertere mentis.
Sæpius hæc tecum tacito ſub pectore volve,
Quique manet ſontes rigidum cruciatus ad Orcum,
Mœrentes inter tenebras, & mortis in umbra;
Quam; ſit atrox illic ſtridor, quam ſit ferus horror.
Quem non hæc gelido quatiant audita pavore?
Quis ſcit an exorto ſurgentes mane videre
Lucem poſſimus, mare cum ſubit occiduus Sol?
Ultima mortales citius ſeu ſerius hora
Opprimit, interitum, aut vitam latura perennem:
Quos tamen interea fallacia vota fatigant;
Falſis quippe bonis, vel inani ludificant ſpe.
Fac recolas quantum diſtant æterna caducis:
Incipient luxus odium, curæque ſalubres

Pel-

Pellere deſidiem, cœcoſque cupidinis ignes;
Accedet Virtutis amor, quem robore firmat
Cæleſtis favor adſiſtens ex corde precanti.
O utinam cœptis adſit! mortalia quæque
Deſipiunt animis ſancto quos lumine complet
Gratia; perque gradus rerum mens neſcia culpæ,
Corporis obſtantes optans abrumpere nexus
Tranſilit ætheros tractus, Cælique meatus,
Ac penetrans ultra Superum ſe cœtibus infert,
Adſpiratque Dei faciem viſura beari.

ANTONIO CAROLI FRATRIS FILIO.

Virum gravem quatenus Poëſi deceat operam dare.

Pieridum, Antoni cultor, ſacrique Lycei,
Sunt quibus in Cyrrhæ videar ſtuduiſſe receſſu
Plus nimio cytharæ modulis, & Apollinis arti:
Non tamen afficior dictis, quæ vulgus ineptum
Jactat, & ad certam revocantes omnia normam,
Qua ſolum meditantur opes, ſceptroque potiri.
Vos ego compello, Virtus quos inclita veræ
Laudis amatores effecit, ut inſpiciamus,
An ſine labe queat quis munia ſeria blandis
Verſibus, & caſtæ numeris condire Camœnæ,
Quin etiam dulci miſcere ſalubria norit,
Unde ſibi meritum quærat, famamque decoram.
Omnes vobiſcum reprobo, qui carmina præter
Nil ſatagunt, augentque Cupidinis ignibus ignem,
Dum formoſa canunt adamatæ virginis ora.
Quis ferat obſcœno ſparſas modulamine cartas,
Quæ pueros peccare docent teneraſque puellas?
Inſerit infuſum veluti ſub melle venenum
Muſa procax pravos mores in corde Juventæ,
Quæ ſenſim ruit, & leges exuta pudoris
Omne nefas audet, tandem ſe neſcia perdit.
Italiæ nuper quidam ſat notus in oris

Exceptus populi plauſu, dum turpis amoris
Luſibus exilarat ſcenam dulcedine cantus
Allexit pariter natas, hinc turpiter illæ,
Ducentes vitam funeſtant ſeque, patremque,
Qui ſenior demum ærumnis confectus obivit.
Hæc multos trahit ingenio blandita Cupido:
Exemplis vitium facile diffunditur, & ſe
Mentibus inſinuans longe lateque vagatur,
Dum prono ſequitur motu mulcentia ſenſus,
Fallitur, & cupide quærens quæ noxia lædunt,
Itala jam paſſim pubes hac peſte laborat.
Eſt igitur damnanda quidem laſciva Poëſis,
Non quæ caſta pios animos virtutibus ornat,
Iſacioque ſonans celebrat cœleſtia plectro.
Flagitium occidens patrat, non tela, vel enſis,
His decus acquires patriam tutatus & aras.
Carmina quæ juvenes fœdis affectibus arcent,
Et rectis monitis almæ pietatis amore
Accendunt, quis promeritæ fraudaverit aurâ
Laudis? At impediunt tractare negotia Muſæ
Publica dum ſtudio conſumunt tempus inani:
Quin potius recreant mentem quæ viribus aucta
Officium ſumit rurſus quod proficit Urbi.
Cum læves legeret conchas ad littoris oram
Lælius, & victis nomen ſortitus ab Afris,
Non ideo eſt habitus rebus minus aptus agendis.
Laxamenta petunt curæ; per amœna vagati
Culmina Permeſſi duxerunt otia quondam
Inſignes gravitate viri, nec devia munus
Aut opus injunctum ſprevit vel deſeruit mens.
Sacra quibus Pindus precinxit tempora lauro
Pontifices alios inter ſe Damaſus offert,
Cui comes is, Gelaſi, magnæ lux altera Romæ,
Ambroſius quoque Caſtaliis labra proluit undis,
Moribus Inſubres decorans, Albinus, Arator,
Sedulius, Paulus, Paulinus, Proſper, Avitus
Gregorius Saſimis paſtor, Nazanzius heros.
Cum Fortunato Prudentius, atque Juvencus.

Non

Non te, Syneſi, neque te, Cypriane, ſilebo.
Quid reliquos referam Patres, quos intulit aſtris
Innocui virtus animi, cœloque beavit
Aonio celebres cantu dum vita manebat?
Nec virides Pimplæ contempſit regia frondes
Purpura; pro cunctis concentu nobilis almo
Unus erit teſtis Jeſſæ generoſa propago
Jordanis fidicen pius, & Rex optimus idem,
Qui ſemper modulos plectri ſtudioſus amavit
Seu pax alta foret, premeret ſeu bellicus horror
Munere perfunctus regali, uſumque canendi
Dum fidium cordas pulſaret, quem ſemel hauſit
A teneris annis deponere noluit umquam:
Namque Dei nomen Solymas reſonare docebat
Nunc rerum Domino laudes, grateſve rependens,
Nunc veniam erratis, vel opem in diſcrimine poſcens.
Quemque decet lenire ſuos requiete labores.
Si requiem cenſes in Phœbi colle vagari,
Quis vetet, ut fines intra ſpatieris honeſti?
Quam late pateant monui: tu diſpice, cujus
Secteris tuto pede, ſeu veſtigia vites.
Dedecus hoc Muſis, laudem ſibi comparat alter.

LAURENTIUM MAGALOTTUM
Utriuſque Signaturæ Referendarium

Ruſticatum invitat.

Arva madent pluviis, & amabilis aura calores
Jam fregit, celerique fugâ ſe proripit æſtas:
Rura vocant, lætiſque patens in collibus aër.
Hîc recreor, ſpatiorque libens, ubi libera longos
Lumina metiri gaudent obtutibus agros.
Hîc reficit corpus vires, ſeniumque moratur:
Hîc bona ſollicitam tranquillant otia mentem.
Si, Magalotte, placet triſtes deponere curas;
Qua lacus Albanus vitreis diffunditur undis,
Gandulphi Pagus veteris pars altior Albæ,

Excipiet lare nos modico: qui ſufficit uſus,
Quos parvo contenta petit natura. Superbæ
Non ædes, animi requies facit una beatos.
Hanc tibi, quæ cordi, ſolùm parat ardua virtus.
Huc igitur ſecede: bonis, quæ detulit anni
Hora, parenſque ſuâ tellus dat ſponte, frueris:
Nec vitulus lactens, & odoro gramine veruex
Paſtus abeſt: dant ova cibum, piſceſque recentes.
Aucupium juvat? Hîc ſtipulis ager abdit alaudas:
Hîc nutu ſignata canis capienda coturnix
Obtentu retis: lini ſeu fallere nexu,
Seu viſco turdos libeat, venantis in uſum
Eſt nemus aptatum: perdix & phaſidis ales
Non deſunt: capies lepores, capreaſque fugaces,
Quà propè frugiferis tellus fert pabula campis.
Cetera formoſus quæ præſtat commoda collis,
Accipe. Fons gelidum deductus munere Pauli
Fundit aquæ rivum, cordique ſalubrior æther
Influit: huc ſiquidem ſpirans non ampliùs Auſter
Advehit humentes vicinâ è valle vapores:
Uberibus ſegetem glebis, herbaſque virentes
Nutrit humus, nuper cœno lymphaque paluſtri
Obruta. Cum terras oriens lux aurea Solis
Exhilarat, ſummo ducet te ſemita clivo,
Unde lacum ſpectare licet, quem ſcena coronat
Frondea: nam gemini coëuntes more Theatri
Undique protenſo tollunt ſe margine ripæ;
Quas illinc avium ſedes, & quercus & ilex,
Populus hinc ambit, ſociataque vitibus ornus.
Non procul obliquo curvat latus orbita flexu,
Aſſurgenſque novæ templum ſuperimminet Albæ,
Franciſci cui ſacra cohors famulatur: ad aram
Hîc tibi fas Superos in vota vocare, ſacerdos
Dum ſanctè peragit paſſi myſteria Chriſti.
Mox gradiens variò qua tramite dividit hortus
Areolas, miſtoque olerum florumque colore
Pingit humus, nemoris gratas aſcende per umbras,
Eſt ubi montis apex; capiet te mira voluptas:

Si circumſpicias, aſpectu videris uno
Oppida, camporum tractus, ſilvaſque comantes,
Paſcua, clementes colles, vineta, lacumque,
Et maria, & montes, auguſtaque mœnia Romæ.
Nunc age ſolertes protende per omnia viſus.
En prope ſubjectis vites in collibus uvam
Objiciunt oculis, oſtro quæ certat & auro,
Et latices fundit, referunt qui vina Falerni.
Oſtentat Pomona ſuos ex arbore fœtus;
Quæque fluant muſto, promit ſua præla Lyæus.
Aſpice planitiem, gregibus quæ gramina paſſim
Exhibet, & late campos quos præbet arandos,
Ut larga Tyberis diteſcant horrea meſſe:
Quæ populum reſerata beant ſub Principe Paulo.
Hinc etiam diffuſa procul maris æquora cernas,
Quæque ferunt celeres albentia carbaſa puppes:
Cum vitreum radiis dorſum ſol deſuper ambit,
Mobile lucis iter format, miroque nitori
Non impar, quem ſideribus compacta minutis
Aëris in ſudo noctu Via Lactea pandit.
Longius exurgunt altæ faſtigia rupis,
Quam Circe tenuit: pelagi ſe prodit ab undis
Pontia, nunc dumis horrens, & inoſpita; quondam
Chriſtiadum exiliis celebris cum dira premebat
Sævities Chriſti cultum. Vicinus in auras
Prominet Albanus vertex, ubi cæca Quiritum
Eſt ætas operata Jovis Latialis ad aram.
Ardua Soractis cervix ut in aëra fertur!
Apparent Cimini montes, colleſque Sabini,
Et juga Samnitum, ſummas æquantia nubes.
Quam juvat intuitu magnas diſcernere moles
Urbis? ab Exquiliis celsâ teſtudine culmen
Porrigit eximii ſpecies miranda ſacelli,
Quod tibi Chriſtiparens, almi lux prima pudoris,
Addictum poſuit ſtudium, pietaſque dicavit,
Quâ coluit, puroque colit te pectore Paulus:
Cujus opus pulchro ſurgens in colle Quirini
Se Domus extollit, regali condita ſumptu.

Excelſi tholus en Templi ſe proximus infert
Sideribus, pia quod vaſto molimine cura
Pontificum ſtruxit Petro. Te Paule loquetur
Poſteritas, laudemque tuis hanc laudibus addet:
Nam tibi debetur tantæ pars maxima molis.
Sed tua dum vario, Laurenti, lumina paſcis
Proſpectu, rapidos Cœli per inane jugales
Phœbus agens, minuit jucundas altior umbras.
Quæ tamen hac Albam prono petit obvia ductu,
Hinc iter inflectens reduces in limine ſiſtet
Nos via, nec venti flabris nec pervia ſoli:
Arboreis etenim ramis utrimque vireſcens
Explicat umbriferum gratiſſima tegmen eunti.
Poſt epulas dulci dederis cum membra quieti,
Et medium Phœbus cœlum tranſmiſerit axe,
Non procul in ſilvam ſonipes te deferet: illam
Huc illuc greſſu placido peragraſſe juvabit:
Hîc tibi caſtaneæ frondentia bracchia pandunt
Quercubus admiſtæ, feſſoque umbracula texunt:
Sive per annoſos rhedâ vectabere ſaltus,
Qua latè montana patent æquata viarum
Strata rotæ, nemus hac petitur ſpeculumque Dianæ:
Hoc lacui nomen fecit, quæ pura liquentis
Limpha vitri ſpeciem referens, ſinuatur in orbem.
Abditus hîc inter ſilvas eſt creditus ævum
Hippolytus duxiſſe, novo de nomine dictus
Viribus, auxilio Triviæ revocatus ad auras
Æthereas: arcebat equos hinc vana vetuſtas,
Quod pavidis abreptus equis per devia letho
Sit datus Hippolytus. Valeant inſomnia Pindi.
Ut veterum, quæ vera, virûm jucunda recurſant
Mentibus, apta facem rebus præferre gerendis!
Hinc oriens primum Romana potentia fluxit,
Poſt varios caſus, dubiique pericula Martis:
His pater Æneas profugus conſedit in oris,
Quem tandem rapiens abſorbuit unda Numicī,
Filius Aſcanius conſtructis mœnibus Albæ
Dat Regum ſeriem, quorum de ſanguine felix

Romulus auſpiciis æternam condidit Urbem.
Linquimus Ægeriæ lucum, quo provida virtus
Aucta Numæ, populumque rudem belloque ferocem
Formavit ſtudio pacis. Non funere fratrum
Territus, hîc ternos proſtravit Horatius hoſtes.
Immodicis Albanus aquas lacus auctibus olim
Extulerat, nullis manantibus æthere nimbis:
Si ripis emiſſa, maris non influet æquor
Unda lacus, Delphis, inquit, conſultus Apollo.
Romani capient obſeſſos milite Veios:
Permeat hinc ſubiens cæſi per viſcera montis
Jugis aquæ rivus. Species ambeſa theatri,
Stirpibus innatis ſquallet: quater hoſtibus Alba
Ludibrium jacuit: denſis en oblita dumis
Regia, quam poſuit Romani Flavius hæres
Tertius imperii; faſtu qui turgidus egit
Hîc annos epulas inter, mimoſque loquaces,
Deliciis fractus. Jactet nunc ſtemmata gentis.
Ignotos extrema dies inſignibus æquat.
Ingentem ſubitus ſilvam cùm corripit ignis,
Confundunt cineres quercus, humileſque myricæ.
Mitte ſupervacuum cultum, curiſque ſolutus
Eripe te rerum ſtrepitu. Sibi vivere dulce eſt:
Vive Deo, tibi ſic vives. Te ſola ſequentur
Poſt cinerem benè facta: rapit reliqua omnia lethum.

ALEXANDER

ECLOGA.

Quæ ſolita es pecudes inter frondentis in umbrâ
Ilicis agreſtes calamos inflare Thalia,
Linque caſas nemorum, cultuque ornata decenti
Marmoreas Regum turres pete: digna ſonoræ
Voce tubæ Heroum molimur maxima facta.
Non facit atrocem ad Martem rude carmen Avenæ.
Ecquis Alexandri poſſit tam grande ſonanti
Carmine complecti laudes, ut facta canendo

Æquarit? Nec enim tantum Ducis inclita virtus
Cæſaris ingentes animos imitatur, & auſus
Scipiadum, Fabiíve moras: quot protulit umquam
Roma Ducum claras virtutes, excitat uno
In Duce Alexandro Mavors: Thrax efferus, enſis
Fulmineos ictus ſenſit; cùm cærula paſſim
Æquora Turcarum fuſo rubuere cruore,
Quà mare Naupacti fluctu cava littora plangit.
Hîc iterùm fractæ vires Orientis ab armis
Heſperiæ, hîc ſacram captæ videre triremes
Per ſua tranſtra Crucem victricia pandere ſigna.
Acer in adverſos illum rapit impetus hoſtes.
Nulla viro virtus obſtat, vis nulla reſiſtit
Herois gladio: nigras mors explicat alas
Lunigeras puppes ſuper, ac truncata cadentum
Membra cruentati fluitant per marmora ponti.
Helleſpontiacâ Byzanti in ſede Tyrannum
Fama volans tantæ turbatum nuntia cladis
Perculit: huc, illuc, trepidè per compita fertur
Correptum pavidis vulgus præcordia curis.
Quiſque fugam meditans, incertis anxius hæret
Conſiliis. Facile poterat perterritus hoſtis
Ad priſcas Tanais cogi remeare latebras;
Ni fera Chriſticolis vario diſcordia motu
Diſtractis, meritæ rapuiſſet præmia palmæ.
Sic placitum Superis noſtræ ob contagia culpæ,
Gaudentis patrio perfundere ſanguine campos.
Nec tua, Alexander, tantum decora inclita novit,
Qui colit Eoas oras, & clara trophæa
Miratur, captaſve dolet prædaſque viroſque,
Armatámque timet funeſta in prœlia dextram:
Novere Au onii, Batavi ſenſere ſubacti.
Hi magnos auſus animi, metuendaque fortis
Damna manus; illi meritos ex hoſte triumphos,
Et ſummos immortalis Virtutis honores;
Híque tuam noſcent ventura in ſæcula famam,
Quos & uterque Polus, quos Taurus claudit, & Atlas,
Quíque ſua invertunt noſtris veſtigia plantis.

Nul-

Nulla tuas poterit laudes abolere vetuſtas,
Dum Scaldis tumidum rapidis irrumpet in æquor
Fluctibus, & ſtabit celſis Antuerpia muris:
Bellica dum Belgæ ſoboles, nomenque manebit.
Nam quid ego hoſtiles ſumma virtute fugatas
Commemorem turmas, debellataſque phalanges,
Quid fluvii clauſum per aquas iter obice pontis,
Quem ratis incaſſum tentavit perdere nitri
Fœta dolis, juſſaſque ferens in tempore flammas
Seu quid conſilio, pernicique oppida capta
Adventu? vel aquis cinctas & mœnibus arces
Aſſiduis victas ſtudiis, urbeſque ſubactas?
Nec tibi res fuerat tantùm contra horrida Belgæ
Arma, nec adverſus munitas aggere foſſas:
Sæpe Britannorum ſævâ undique circumventum,
Gallorumque acie regio te Belgica vidit,
Ac tria devicto referentem ex hoſte trophæa.
Non tibi tormentis ſævos imitantibus ictus
Fulminis, aut lymphis circumſtagnantibus altæ
Urbis agrum, eſt aditus clauſus; non fluminis undis,
Qua celeres furtim lintres alimenta ferebant
Hoſtibus obſeſſis: victor tantâ urbe potiris.
Qualis in Alpino nodoſa cacumine quercus
Sæpiùs incurſus Boreæ fruſtrata frementis,
Et quamquam inſolito miſcetur turbine cœlum;
Stat tamen immota, & venti vix frondis honorem
Decutiunt: tenues fulmen ſi fortè per auras
Juppiter in quercum contorſerit; illa repentè
Concidit, & campis infert, ſegetique ruinam:
Palantes fugiunt pecudes, pecudumque magiſtri;
Ac ſibi tota timet ſubſultans murmure ſylva.
Talis, ut Herois generoſæ robora dextræ
Senſit Iberorum conſueta evadere niſus,
Cedit, & admittit victorem Antuerpia portis.
Jam pavor excurrit mortis, jam terror oberrat
Exitii. Quid agat? tantis circumdatus armis
Quid tentet? Veniam ſupplex ſibi Belga precatur.
Et licet incenſum valido cor ferveat æſtu:

Tu-

Tu tamen antiquæ Farneſi gloria Gentis
Supplicibus veniam defers, & bile tumentis
Ultores animi ſedas in pectore motus.
Hoc virtutis opus. Nunc ô quantum libet illa,
Nunc tui Alexandri facta inclita Græcia jacta.
Eſt & Alexander Romæ, æque fortis in armis:
Major in hoc; nec enim tantum devicerit hoſtes,
Hoſtibus at victis ſe ſe quoque vincit, & iram.

JULUS

ECLOGA.

Infelix Galatea vagas Minionis ad undas,
Seu ſolis fugeret radios, ſeu ferret opacas
Nox tenebras, raptum crudeli funere fratrem
Flebat, & aureolum vellens de fronte capillum,
Nequidquam hos gelidis ſilvis & flantibus auris
Jactabat quæſtus, animamque vocabat amatam.
Cur dolor heu prohibes in fletum ducere voces?
Sive quid invitis lacrimarum ſupprimis imbrem
Luminibus? mea cur tantùm ſingultibus ora
Mœſta ſonant? juſtis nec dum laxata querelis
Eſt via? Te ne mihi frater tam dirus ademit
Caſus, & ante diem ſæva tibi lumina morte
Condidit? Heu te tam crudelia fata manebant,
Ut tibi fulmineis foret ictibus occubendum?
Horrendo intonuit nimborum murmure cœlum,
Ac ſimul abruptis eliſus nubibus ignis
Excidit: heu ſubito correptus fulminis ictu
Volveris exanimis, lucemque relinquis, Jule.
Ipſaque tam duro caſu concuſſa repente
Frigore corripior pectus, greſſuſque labantes
Heu me deſtituunt: certa vix ſede manet mens.
Accurro tamen infelix, collapſaque membra
Excipio, ſimul & pallentibus oſcula labris
Admoveo, fruſtraque tuo te nomine, frater,
Compello, extremumque animæ fugientis in auras

Ha-

Halitum ab ore lego, & morientia lumina condo:
Et feretro gelidos compono flebilis artus;
Teque rigo lacrimis. Tandem produceris; & jam
Funereis de more viæ longo ordine lucent
Ignibus, implenturque leves lugubribus auræ
Vocibus: atratis cognati in veſtibus adſunt.
Te ſequor hos inter, comitataque ad uſque ſepulchrum
Inferiis mœrens adſto. Pia turba precantum
Circumſtat feretrum: juſtis & rite peractis
Non illaudatum tumulo te condit, Jule.
Ah quid cum febris jactatus ab igne jacebas,
Effudi Superis ſupplex pia vota? quid ora
Reſperſi lacrimis cumulans altaria donis?
Scilicet ut ſævi rapereris fulminis igne;
Nec miſera heu miſerum extremo ſub tempore fratrem
Affari poſſem, & voces audire ſupremas?
Ah dolor, ah lacrimæ! tantas an concipit iras
Nubiferum cœlum? Quid ſi non liber ab omni
Crimine vixiſſes? Nulli mors invida parcit.
Invida mors, fratris cano num vertice crinis
Albebat; dirove dapes aut vina veneno
Dextera miſcuerat, furtim molita piorum
Funera? An in quemquam violentum ſtrinxerat enſem?
Anne fidem Superum ſancto violarat abuſus
Numine? Num templis atros immiſerat ignes?
Heu benefacta nihil, florens nil profuit ætas,
Heu nihil incorrupta fides, menſque integra juvit.
Ah frater mediâ miſer intercepte juventâ,
Quo mœrore, quibus curis me conficis ægram?
Quos acuunt tua fata mihi ſub corde dolores?
Nam poſtquam horriſoni cecidiſti fulminis ictu,
Quamquam ſex denos rutilus ſol extulit ortus,
Biſque ſoror junctis complevit cornibus orbem;
Non tamen ulla meam poſſunt ſolatia mentem
Mulcere, aut cordi infixum ſedare dolorem.
Inviſæ mihi ſunt comites: dant omnia flendi
Materiem, lucemque ſimul noctemque peroſa
Te cupido exquirunt, frater, mea lumina viſu.

Nul-

Nullam fert requiem tacitâ ſub nocte cubile:
Quin noſtris tantum reſonat plangoribus æther;
Et mihi vix primi claudit ſub luminis ortum
Sera quies oculos; buxoque ſimillima campos
Et montes peragro, tellus ubi lampade fulget
Phœbeâ, noſtriſque ſonant nemora alta querelis.
Et cum deficiens mediis vox faucibus hæret,
Ilia ſingultus quatiunt, tepidæque per ora
Volvuntur lacrimæ: & gelidæ jam lumina mortis
Ferreus urgeret ſomnus, ni Delia nuper
[Delia, quæ ſacro vitam caſtiſſima templo
Tranſigit, & veras illi tranſmittere fertur
Præſcia mens umbras, ſeriemque aperire futuri]
Lenibus alloquiis curas, pœnamque levaſſet.
Illa quidem dixit, frater dulciſſime, juſſu
Ætherei Patris, ſummo qui regnat Olympo,
Te loca adiſſe, quibus priſcæ veſtigia culpæ
Omnia delentur, noſterque hinc ſpiritus aſtra
Aſcendit levior, cœlique in parte locatur;
Teque brevi æthereas ſubiturum tempore ſedes:
Sed tantos animi ut meliùs componere motus,
Ac ſolidum poſſim pœnis adhibere levamen,
Spiritus ô fratris tenues labare per auras;
Huc adſis, levis umbra, tuam miſerate ſororem,
Si de te verum prædixit Delia, pande;
Ne mea perpetuò titubet mens neſcia. Sed jam
Huc ades ô cari dulciſſima fratris imago;
Huc ades, aſpectuque tuo ſolare dolentem,
Talia dum jactat, cœlo proceſſerat alto
Humida nox, lateque ſolum pontumque tenebat.
Et licet hîc dederit finem defeſſa querelis;
Non tamen abſceſſit luctus: quin triſtia fletu
Lumina rorabant, ſingultuſque ora ciebant.
Jam verò Heſperias Phœbe properarat ad oras,
Quadrijugis invecta rotis, pronoque ſub undas
Oceani cœlo, vaga ſidera volvebantur,
Cùm tandem madidos irrepſit ſomnus ocellos.

AD VIRGINIUM CÆSARINUM

Cæſarini Ducis Fratrem.

Ruſticari, curas, ac ſtudium intermittere, verum valetudinis præſidium.

Virgini, decus eruditiorum,
Amor Caſtalidum, jubar Quiritum,
Quos veræ bona gloriæ cupido
Pennis evehit aureis ad aſtra,
Quid rerum geris? ut vales? ut oris
Antii recrearis? an tepore
Iſtic aëris, ut ferunt, iniquum
Bruma frigoris impetum remittit?
Floridi tibi veris adflet aura,
Quæ cœlum ſine nubibus recludat,
Ut dulces nemorum queas per umbras
Securus pede libero vagari,
Dum cantu querulo ſtrepunt volucres.
Seu malis placidum maris per æquor
Huc illuc agili vehi phaſelo,
Quem littus prope remus hinc & inde
Impellat facili levique motu:
Squamoſum licet hîc genus tueri
Luſus nectere luſibus; vel hamo
Piſcem ducere. Quàm juvat liquentis
Regni cæruleos obire tractus
Vago lumine, nigra dum per undas
Alis carbaſeis volat carina!
Nec gratum minùs exhibet Theatrum
Tellus gramine læta, quam petulci
Huc hœdi, pecudumque grex, & illuc
Immixti peragrant equis juvenci:
Inter herbida prata ſe virentes
Diffundunt ſegetes ſatis in agris.
Addunt ſe ſuper, eminentque dorſa

Col-

Colles vitiferi: niveſque in altis
Procul montibus albicare cernis,
An non hæc facies ſoli decora,
Proſpectuſque maris patens, & aër
Spiritus reficit, fugatque triſtem
Languorem, capitiſque fluxionem,
Quâ fauces nimium ſoles peruri?
Mitte cum medicis graves medelas:
Curas excute noxias, cupitæ
Valetudinis intimum venenum,
Et caros jubeas abire libros:
Sat te Ciampolus allocutione
Librorum vice detinet. Valentem
(Hæc ſi feceris, ut reor) reviſam
Te brevi. Deus annuat benignus:
Sic vovet tua Roma, ſic Amici.

NON CELEBRANDA SOLUM,

Sed colenda Virtus.

Virtutem meritis ad aſtra tollis
Laudibus, citharæ modos canoros
Aptans, quos pudor, integrique mores
Promunt e probitatis inſtitutis.
Res eſt digna quidem æmulatione,
Approbandaque plauſibus bonorum;
Non tamen fatis ad perennis ævi
Optatam requiem tibi parandam,
Ni ſimul duce gratiâ ſuperni
Numinis benefacta conſequantur,
Quæ pandant ſuperam fores ad aulam.
Has petentibus, hinc & inde paſſim
Obſident iter hoſtium phalanges;
Nempe deliciæ, cupidineſque,
Et quidquid movet, attrahenſque ſenſus
A ſacra Pietatis arcet æde;
Non alunt crocodilon arva Nili

Magis quam ſit amor ſui innocentem.
Tu recti ſtudio, metuque culpæ,
Virtutum cuneum ciens opemque,
Pugna ceu jaculis, & enſe miles,
Qui fortis fugat obvias cohortes;
Sic viam referans, ab hoſte palmam
Non ſolo ſonitu refert tubarum.

RURIS LAUDES.

Ab urbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſque gaudium.
  Quid hîc moramur? Ecce ver vices refert:
  Ad haſce tranſvolant plagas hirundines,
  Strepuntque voce garrulâ, haud gemunt Itym:
  Liquatur alba nix, gelúque ſolvitur;
  Hyems recedit acris, atra nubila
  Fugat Favonius, renidet ætheris
  Serenus ambitus, fretúmque detumet,
  Ratique cærulas recludit orbitas:
  Opes & uda terra veris exerit.
Ab Urbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſque gaudium.
  Novo virent amicta prata gramine:
  Novis & arva ſunt decora floribus:
  Botroſque, pampinóſque vitis induit,
  Fluenſque pura fontis unda murmurat:
  Et inter arborum tenella germina
  Aves canunt, & aura lenis adſonat,
  Eburna ceu chelys, chorúſque muſicus.
Ab urbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſque gaudium.
  Ut inter hæc patentis hauſtus aëris
  Ad ima pectoris ſalubris influit!
  Ut eſt videre dulce, ſive collium
  Aprica, ſive montium crepidines,
  Humum vel herbidam, ſatâmvè cùm ſeges,
  Velut maris tumentis unda fluctuat!

Amœna quàm juvat per arva progredi,
Vel eſſedi rotis, equove devehi
Agri per æquor! ut vigor reſumitur,
Laborque firmat ægra membra viribus!
Ab Urbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſque gaudium.
Suis ibi pudica Muſa luſibus
Libens poteſt vacare, non licentiæ;
Ut arduis in urbe mens ſit aptior,
Gravis faceſſit inde cura, concidit
Moleſta turba litium. Negotiis
Datum ſatis: quid hic moramur? Anxii
Receſſus eſt medela cordis optima.
Ab Urbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſque gaudium.

AD BERNARDINUM CAPPONIUM

En Pater Autumnus, redimitus pulchra racemis
Tempora, pandit humi luxuriantis opes:
Imbre madent virides agri, fit mitior æſtus,
Dum curſu claudit Sol breviore diem:
Ortaque nocturni roris de flatibus aura
Innocuum blando frigore ſuadet iter.
Tu ne igitur celebres, Capponi, linquere colles
Urbis, & es patrium certus adire larem?
O, niſi me patruis retinerent debita juſſis
Obſequia in Tiberis, quod ſecat unda, ſolo?
Non cari deſiderio detentus amici
Cogerer ingratos ducere in Urbe dies;
Non equidem pluviis torrens hyemalibus auctus,
Non oculis raperet te via longa meis:
Seu tellus concreta gelu, nivibuſque rigeret,
Seu flaret Boreas, imbricitorve Notus;
Seu ſqualeret humus camporum arentibus herbis,
Cultaque flammivomus finderet arva Canis:
Non a te pelagi poſſent me avertere fluctus,
Nec maris incuterent mî fera monſtra metum;

Effeta non Scyllæ rabies, non ſæva Charybdis
  Ira, labor nautæ, perniciesſque ratis:
Horrida me numquam terrere Ceraunia poſſent,
  Ut tibi non eſſem fidus ubique comes.
Ora tamen diſtans, non me mora longa, nec ætas
  Arguet ulla tui nominis immemorem.
Quem validè ſtringit præſtanti pollice virtus,
  Neſcius eſt ſolvi nexus amicitiæ.
Sic placitum Superis: poſthac me Roma tenebit:
  Tu ſine me repetes, quos rigat Arnus, agros;
Inclita qua celebrem laudum Florentia famam
  Explicat eximiis patria clara viris,
Te germana ſoror, genitrixque, paterque morantur;
  Spem reliquam ſobolis, præſidiumque domus.
Te tua rura vocant, Minio qua limpidus amnis
  Profluit, & fruſtra ſpumeus albet aqua.
Huc procul a curis, animum quibus implicat aula,
  Te vocat afflicti cordis amica quies.
Ut rerum mutat faciem tibi frater ademptus,
  Quas tibi fert vitæ propoſitique vices?
Heu, quo te procul hinc ſenſu diſcedere cernam,
  Cujus in adverſis eſt mihi nota fides?
Heu, cum quo poſthac animi mihi gaudia, cum quo
  Partiri curas tempus utrumque dabit?
I tamen, aſpectuque tuo ſolare parentes,
  Quos ſubitus nati perculit interitus:
Interitus, quem ſciſsa manu Florentia crines
  Flebilibus fertur collacrimaſſe modis.
Quid renovem luctum funebri carmine? mecum
  Sat flevit querulo triſtis avena ſono.
Non tuus occubuit frater: nam claudere viſo
  Lumina, in æternum ſunt reſerata diem.
Manantes lacrimas cohibe, mentiſque tumultum:
  Poſſumus audentes his graviora pati.
A vicibus duris ætas incæpta, beatæ
  Abdita ſæpè ſinu ſemina ſortis habet.
Quid Regem memorem Cyrum, fortemve Quirinum
  Tibridis expoſitum prætereuntis aquis?

Aſpera quis neſcit Moſis cunabula? Teſtis
Tu Joſeph, fratrum vendita præda dolis.
Non crucient mala nos propero concepta pavore:
Nec ſpes vana avidi ſomnia cordis alat.
Sors ſua quemque manet, quoties mens neſcia vitat
Quæ tolerata juvant, & ſequitur quod obeſt?
Nos decet è Superûm nutu pendere. Pericla
Intrepidè intrepido ſub duce miles obit.
Proderit hæc olim forſan perpeſſa referre,
Tempora cum nobis candidiora fluent.
Interea geminat vires exercita virtus,
In propriâ retinet ſi ſtatione gradum.

IN FONTEM MIRI ARTIFICII.

Largior anguſtâ primum defertur in auras,
Unde magis latâ ſubſilit unda viâ:
Exprimit hinc patulum tenui cratera liquore;
Quid gelidam ſitiens non bibis hoſpes aquam?
Nam cui lympha ſitim mirâ non provocet arte?
Ipſe calix lympha eſt, ipſaque lympha calix.

DE ULYSSIS ALDOBRANDI LIBRIS.

Multiplices rerum formas, quas pontus, & æther
Exhibet, & quidquid promit, & abdit humus,
Mens haurit, ſpectant oculi, dum cuncta ſagaci,
Aldobrande, tuus digerit arte liber.
Miratur proprios ſolers Induſtria fœtus,
Quamque tulit, moli ſe negat eſſe parem.
Obſtupet ipſa ſimul rerum fecunda creatrix,
Et cupit eſſe ſuum, quod videt artis opus.

In Pontici Avaritiam.

Ut parcas opibus, tibi quid non parcis? an umquam
Augendi cenſus terminus ullus erit?

De-

Deſine divitias fulvo cumulare metallo:
  Tam tibi deeſt, quod habes, quam quod habere nequis,
Quid tamen obduras toties, quid, Pontice, jactas?
  Non niſi, qui frugi eſt, poſſidet ullus opes.
Tu mihi dives eris, qui, ne quo tempore partis
  Divitiis egeas, Pontice, ſemper eges?

DE NECE REGINÆ SCOTIÆ.

Te quamquam immeritam ferit, ô Regina, ſecuris,
  Regalique tuum funus honore caret;
Sorte tuâ gaude mœrens neque Scotia ploret:
  En tibi pompa, tuas quæ decet exequias.
Nam tibi non paries atro velatur amictu,
  Sed terras circum nox tenebroſa tegit:
Non tibi contextis lucent funalia lignis,
  Sed Cœli ſtellæ: nænia triſtis abeſt,
Sed canit ad pheretrum Superûm chorus aliger; & mo-
  Cœleſti incipiens voce, ſilere jubet.

DE SANCTO PAULO.

E Cœlo tibi Paule lux refulſit
Aureo radians decore: ſic ſis
Agnus e rabido lupo; ſupernæ
Hinc te miror ut Angelum cohortis.
Me tuum eloquium trahit ſtupentem,
Ac magis ſacra flamma Charitatis.
Raptum ad ſidera te ſilens honoro,
Et cum lacte tuum colo cruorem.
Vana ſpes, temerarius ſit auſus,
Quærens te celebrare: ſat voluptas,
Cum cor exilit ob tuos triumphos.
Rauca vox labiis profuſa: plectro
Qui meo citharæ ſonus cietur,
Non laudis, ſed amoris eſt tributum.

DE PICTURIS GUIDONIS RHÆNI

In Sacello Exquilino S. D. N.
PAULI V.

Ut trahit, ut retinet, defixaque lumina fallit,
  Quod Rhenus celſo fornice pinxit opus!
Pictorem celebras, hæres immotus, & anceps
  Ambigis, an ſculptor, an ſit uterque ſimul.
Sculpta putas, quæ picta vides, ſic undique pulchrè
  Prominet eximiâ perlitus arte color.

AD ULYSSEM ALDOBRANDUM

De ejus admirabili rerum naturalium Hermathena.

Quæ maris & terræ peragravit, & aëris oras,
  Non fluxis opibus mens tibi dives erat.
Sed cui ſat vitam parvo traducere, majus,
  Aldobrande, decus fert tibi parva domus:
Parva quidem, magno pandit tamen æmula mundo
  In vaſto quidquid continet ille ſinu.

AD AUGUSTINUM NERUM PORCILIANI DOMINUM

In flore ætatis extinctum.

Effera mors Floræ paſſim baccata per urbem,
  Funereis nec adhuc exaturata rogis;
Dum quemquam potuiſſe brevem protendere lucem,
  Sive obitum alterius non doluiſſe dolet:
Deliciæ patriæ, decus Auguſtine tuorum,
  Flos juvenum, quo non alter amabilior;
Ne quiſquam mœrore vacet, luctuſvè ſit expers,
  Te, teneros annos non miſerata, rapit.

Inexplebilis mortalium Cupiditas Pietate temperanda.

Vitæ brevem mortalibus
  Nec lætam ſtatuit diem
  Conditor cœli Deus, ut perennem
  Lætitiam recolat futuri.
Humana mens ævi memor
  Nequicquam tamen anxiis
  Implicat curis animum, doloſam
  Dum ſequitur ſpeciem bonorum.
Heu nullus eſt cupidinis
  Illi terminus, aut quies!
  Latius regnet populo Quirini,
  Semper abeſt aliquid quod optet:
Per quodlibet fertur ſcelus
  Sperans quod cupit aſſequi,
  Compos & voti fieri laborat
  Artibus, inſidiis & exlex.
Cædes acervat cædibus
  Fœdans omnia ſanguine,
  Ignibus vaſtat ſegetes, & agros,
  Ac miſeras populatur urbes.
Opus volunt hæc regium
  Credi, & nomine gloriæ
  Obtegunt culpæ ſocii, nefaſque
  Immerito decorant honore.
Plerumque ſic ſe plauſibus
  Perdit turgida traditæ
  Exuens rectum rationis uſum, &
  Quod libuit ſibi vult licere.
Eſt ut quis expleat ſitim
  Regnandi licite, ferum
  Prœlio Turcam petat & receptis
  Victor agat Solymis triumphum.
Hinc Gottifredum bellica
  Virtus, ſed Pietas magis

Clarat inſignem titulis & armis.
Te reſonant juga Vaticani,
Te dixit ætas, quæ fuit,
Magnum, Carole, nec minus
Te pium præſens vocat, & futura
Te celebrem ſuper aſtra tollet,
Dum ſtabit ædes inclito
Petri corpore nobilis:
Hiſce dux laudum cumulo decorus
Se comitem Boëmundus addit.
At o quid Heroum modis
Imis ardua deprimo
Facta Jeſſeis fidibus canenda?
Mente colam, tacitoque plectro.

AD PETRUM CARDINALEM ALDOBRANDINUM

Ferraria recepta.

Inſanienti cùm quatit impetu
Pagos & urbes concitus efferâ
Mars ſævus irâ, quæ tumultu,
Quæve truci vacat ora cæde?
Confoſſa paſſim membra, cadavera
Aggeſta, prædas, damna, ſine incolis
Domos ruentes, & cruoris
Flumine humum videas natantem.
Deſolat agros horrida vaſtitas:
Ac tecta captarum ignibus urbium
Incenſa fumant, & triumphis
Pæne ſuis gemit ipſe victor.
Teſtis tot eheu Gallia cladibus
Funeſta, teſtis Belgica lugubri
Vexata gens bello, tot annos
Se lanians ſibi diſſidentem.
Ferrarienſis, inclita Civitas,
Te clade nullâ, te ſine prœlio

Vide-

Videre Victorem, tuoque
Petre frui cupiere vultu.
Ut, cui ſalutem, pacis & otium
Debere norant, gaudia pectore
Concepta præferrent; Juventus
Nobilium, populique turba
Effuſa portis undique confluit:
Te ſpectat unum, dum tua dextera
Protenſa format fauſta ſacræ
Signa Crucis, Tyrioque fulges
Inſignis oſtro: compita plauſibus
Sonant; ab altis mœnibus ærea
Tormenta, jam converſa in uſum
Lætitiæ, geminant fragorem.
Ut fama primum, rem tibi proſpere
Ceſſiſſe, lata eſt; gaudia neſcius
Celare, ſub lapſu ſilenti
Servitii quaſi vincla, pontem
Excuſſit, alto gurgite liberas
In æquor undas Eridanus ferens.
O fauſta lux Romæ, quotannis
Inſolito recolenda plauſu!
Dum lecta Mavors inſtruit agmina
Utrimque; nullis fallitur artibus
Tentata mens Patris ſupremi,
Propoſitique tenax, & omnis
Terroris expers audet, & acriter
Conſtans Averni devovet ignibus
Ritè execrandum mentis hoſtem
Heu nimiùm malè pertinacis.
Tu juſſus Euris ocior arripis
Iter, phalanges cogis, & expedis
Tormenta, quæ demoliendis
Arcibus exitium minantur.
Mox alta virtus ſe tua militi
Oſtendit, & diffunditur hoſtibus;
Tu mitis affatu, ſagaci
Conſilio, placidoque vultu

Fer-

Ferrarienſes concilias tibi.
Hinc hæret anceps Cæſar, & inſcius
Cui fidat, armis Vaticanum
Depoſitis colit, & veretur.
Nil laudis hujus machina præripit
Flammis triſulci fulminis æmula,
Nil arma, nil aggeſta tellus,
Nil equitum peditumque turmæ,
Ducumque virtus: hæc tibi gloria
Debetur uni, quam neque deterat
Oblivioſi curſus ævi, aut
Pone ſequens nebulis obumbret
Naſcentis atrox hoſtis adoreæ
Livor: futuri non ope temporis,
Utcumque nubes diſſiparis.
Auſonias volitans per urbes
Te fama, laudes te canit in tuas
Effuſa præſens, atque perennibus
Faſtis ſacrat, quem ætas honorem
Poſtera pro meritis rependet?
Lux ô Latini nominis, hoſtium
O terror, ô ſpes unica Tibridis,
Invicte Princeps, ô coruſcum
Purpurei columen Senatus.

AD FRANCISCUM CAROLI FRATRIS FILIUM

Exhortatio ad Virtutem.

Ingreſſe pubis limina lubricis
Calcanda plantis, ſe tibi ſemita
Declivis offert, & doloſo
Pandit iter malefida ductu,
Franciſce, fratris germen amabile,
Ob quem ſub imo condita pectore
Me cura mordet, detinetque
Sollicitum genitoris inſtar;

Sub-

Subſiſtè mecum, nec grave duxeris,
Hinc ex amœnâ, quæ patet, orbitâ,
Ductore me, flectens adire
Per ſalebras Heliconis antrum.
Huc nate greſſus: hîc licet aureo
Phœbi cientis pectine muſicas
Audire chordas, dum canentes
Dulce melos ſociant Camœnæ.
Hic multiformi carmine barbitos
Eburna Parcas ſopit, & eripit
Heroas Orco, quos perenni
Fonte beat comitata Virtus.
Huic obſecutum conſpicis inclitum
In collis almo vertice Theſea,
Quem flexuoſus non fefellit
Tramitibus fabricatus error.
Sic vectus altum per mare ſubdolos
Cantus Ulyſſes dicitur integer
Audiſſe; ſic vitaſſe Circes
Pocula, lethiferas & herbas:
Spectandus hic contemptor anhelitus
Spirantis ignem, divite velleris
Prædâ coruſcat, luctuoſus
Meſſor agri gravis ære, & haſtis.
Conficta Prœto crimina deferens
Conjux necari quem petit, innocens
Hos inter excellit triformis
Bellerophon domitor Chimæræ.
Phœbea laurus frondibus allicit,
Dulcique paſcit nectare Pegaſus:
At noſſe vim nobis negatur
Melle ſub Aonio latentem.
Senſus recludet Cynthius abditos;
Audi canentem: Quem fovet aurea
Virtus in ulnis, ille monſtris
Victor ovat domitis beatus.
Non hunc voluptas mollit, & impetus
Non vincit iræ, quæ violentiùs

Suc-

Succis, & herbis in ferarum
Terga viros, & in ora vertunt.
Ut ecce plaudit Caſtalidum chorus,
Phœbique concors carmina concinit!
Hîc ſiſte rurſum, me petente
Sacra refert tibi verba Chiron.
Incompta quondam, claraque ſimplici
Nitore formæ, talibus Herculem eſt
Affata Virtus, dum procaci
Blanda ſono loquitur Voluptas:
Hæc ſumptuoſo tegmine turgida,
Pexoque mollis crine, micantibus
Ornata gemmis, appetendâ
Sub ſpecie, male caute puber,
Edocta fraudes nectere fraudibus
Te ducit, atris qua ſcatet anguibus,
Dum flore vernans ſe terendam
Perfacili via prona greſſu
Oſtentat: umbras frondibus explicat
Hîc arbor, ales dum canit; ah fuge
Quæ poma pendent, quoſque vitis
Fert gravidis latices racemis;
Hæc pulchra viſu poma necem ferunt:
Hæc, quæ renidet, lumina decipit;
Lethale nam larvata virus.
Purpureo tegit uva ſucco.
Si me ſequeris per loca ſentibus
Infeſta, teſquis horrida, per nives,
Per ſaxa, per montis cacumen,
Sternet iter tibi ferrum, & ignis.
Urêris æſtu, pulvere ſordidus
Pulchro, madebis tempora nobili
Sudore, non fractus labore, &
Magnanimo generoſus auſu.
Evectus alis hiſce per æthera
Tranabis ignem, & lactis iter pede
Premens, coruſcanti micabis
Luce novum decus inter aſtra.

AD CAROLUM FRATREM

Φιλαυτία *fugienda.*

Quam pulchra blande ſenſibus ingerunt
Externa noſtris ſe bona! purpuræ
Qui fulgor! ut formoſa pandit
Virgineum facies decorem!
Ut ardet auri ſplendor amabilis!
Ut ridet aulæ gratia regiæ!
Quot luxus indutus figuras
Attonitum trahit ore vulgus!
Proh quis latentis ſemina toxici
Non hauſit imo corde! Cupidinis
Heu febre jactati proterve
Tantalicis inhiamus undis.
Heu quiſque rurſus, cui placidus fugam
Siſtens, bibendum ſe liquor exhibet,
In fontis eluſus nitore
Effigiem ſequitur fugacem
Narciſſus alter: cæcus amor ſui
Ut obruit vim mentibus inſitam!
Ut fertur excuſſis habenis,
Libera quo rapuit voluntas!
Ut perdit omnes! ſæpe, quod expedit,
Humana neſcit cura capeſſere:
Intenta jucundis canorum!
Imbibit Aonidum leporem, &
Non percipit, ſeu negligit aurea,
Quæ ſenſa Pindus nectare condidit.
O te beatam, cui ſupremi
Sammariæ mulier Magiſtri
Audire vocem contigit. Hydriæ
Oblita, lympham non cupis amplius
Quæ pota non ſedat, ſed auget
Lethiferum ſitientis æſtum.
Hæc frater æquis, Carole, moribus

Imbuta Proles audiat: Integra
Nil mente majus; pars paternæ
Sortis erit ſatis ampla, Virtus.

Pax Allobrogica.

Mentis verendum non acie minus,
Quam bellicoſi robore militis,
Quem nuper excepit ſuperbo
Maximus Eridanus triumpho;
Formoſa pennis quem ſuper aureis
Vexit profundum trans mare Gloria,
Alpeſque, terrarumque tractus
Præpete tranſiliens volatu:
En pace partâ Petrus ab exteris
Oris revertens, eximit Italis
Belli timores, & cupitam
Auſoniæ ſtatuit quietem.
En Româ curas pellit, & explicat
Frontem ſerenam: ſic maris æquora
Cedente vento conquieſcunt,
Tale nitet ſine nube cœlum.
Pendebat anceps mentis, & anxius
Clemens futuri, concita dum gravi
Europa bellorum tumultu
Perniciem pavet imminentem.
Quid moliatur? quid paret? inſtruit
Te, Petre, juſſis, mittit & arduis
In rebus expertus ſagacem:
Tu Rhodani celeres ad undas,
Summi capeſſens grandia Principis
Mandata, tendis qua violentior
Martis recrudeſcit furentis
Ira, novas paritura clades.
Non te rapacis fluminis impetus,
Non ater imber, non juga montium,
Niveſque concretæ, nec Auſter,
Turbine præcipiti morantur.

Te

Te mille votis, te prece proſequi
Non ceſſat altrix Roma, per Inſubrum
Fines agrorum tranſeuntem, &
Allobrogum gelidas per Alpes.
Intenta fixo Gallia lumine
Te ſpectat, & quas auribus hauſerat
Mirata virtutes in ipsâ
Fronte legit, meritaſque laudes.
Mox, qui feroces contudit hoſtium
Turmas, nec acris ceſſit Iberiæ
Henricus armis, efficaci
Eloquio tua ſe trahenti
In vota cedit, cedit & Allobrox,
Quem fronte ſævâ non potuit minax
Terrere Mavors, annuitque
Heſperiæ Dominator oræ.
Ut corda Regum flectis ahenea,
Gravique mulces bile tumentia!
En Roma toto geſtientem
Pectore lætitiam profundens,
Dum te per Urbem non ſine plauſibus
Ad Vaticanum purpureus Patrum
Deducit Ordo: Quid meorum
Maxima pars decorum, quid, inquit,
Probata virtus, ſit licet arduum,
Non ad ſecundum duxerit exitum?
Quo te revertentem triumpho,
Quâ decorem tua facta pompâ?
Non, qui procaci garrulus obſtrepat
Clamore circum milite cingeris;
Delata non viſuntur urbes
Quæ referant ſimulacra victas:
At quiſque narrat, quam tibi gloriam
Addunt inermi Gallus & Italus,
Genteſque, & urbes, quas Philippus
Conſilio moderetur æquo.
Non hîc ſonantem compede Perſea,
Non hîc Jugurtham carceris obſitum

Squalore, non pulſum paterno
De ſolio video Syphacem.
Veſana ſed Diſcordia ducitur,
Quæ ſciſſa pallam, vinctaque ferreo
Nexu catenæ, claudicanti
Membra trahit prope nuda greſſu.
Poſt hanc recenti ſanguine ſordidum,
Et crine cano fert Odium pedem;
Dolenſque ſe loris revinctum,
Dente manus lacerat cruentas.
Hinc Terror, atro corpore luridas
Diſcerptus alas progreditur, face
Subfultus extinctâ; nec amens
Livor abeſt, fera cui ceraſtes
Cor paſcit: illum filia temporis
Velata puro tegmine Veritas
Vultu reluctantem protervo
Subſequitur, quatiens flagellum.

AD JO: BAPTISTAM STROZZAM.

Ejus laudat animum æternitatis inhiantem bonis, & humana faſtidientem.

Curis ſolutum ruris in otio
Dudum beatam degere credidi
Te, Strozza, vitam, dum canentem
Tuscia te coleret, tuumque
Inferrret aſtris nomen; & aureo
Dum te cientem pectine dædalas
Teſtudinis chordas, ſilenti
Obſtupuit pater Arnus undâ.
At nunc videris jure beatior,
Qui pura ſolum gaudia Cœlitum
Reris. Quid in terris rotamus
Siſyphio lapidem labore?
Nil uſque gratum, nec ſatias favi
Dulcem liquorem deficit: abditam

In rebus humanis vel ipſa
Miſcet amaritiem voluptas.
Invecta curru candida ſi præit
Aurora, ſolis ſubſequitur jubar
Nox atra: naſcentem tuere,
Quæ vario micat ore, lunam:
Pars una lumen fundit, & altera
Umbrata mœret; nec vaga terminos
Umbræ coarctat lux, coruſcum
Exerat, aut retrahat nitorem.
Fruſtrà quietem quærimus anxii,
Dum Terra Cœli nos tenet exules.
Quid cœna regali paratu
Prodiga, Sidoniuſque murex,
Quid ſtructa prodeſt marmore Regia,
Seu quidquid auri congerit India?
Quod nuper aſcivit cupitum,
Mox animus fugiet peroſus.
Quem ſæpè victis hoſtibus inclito
Romam triumpho viderat invehi,
Oſtroque præfulgentem & auro,
Dalmaticis Dioclen in hortis;
Faſtidientem mœnia Romuli
Vidit juventus Martia Tibridis,
Mirata privatum ſuperbos
Imperii poſuiſſe faſces.

AD GABRIELEM CHIABRERAM

Carmina Virtuti parere immortalitatem.

Non cuſpis enſis, ſceptraque regia,
Non fulgor auri, non gena floribus
Decora primævis, nec aër
Tuſculus, aut Anienis ora,
Lectove præſtans rore Calabriæ
Dum vernat arbos, non aqua Cluſii,
Quæ manat Etruſco ſalubris

Fonte, diem volucrem morantur.
Lethalis omnes impetit, omnibus
Immitis æquè, forfice quæ genus
Mortale funeſtans adurget
Atropos horribilique vultu.
Quæ penna monſtrum Dædala fugerit?
Vel certa ferro dextra ceciderit
Cruore cervicem fluentem?
Quæve trucem jaculantis arcu
Pythona Phœbi tela peremerint?
Tu laudis œſtro percita, ut alipes
Perſes per auras incruentâ
Cæde potes jugulare. Virtus.
Non hinc, ut olim ſanguine Pegaſus
Cretus Meduſæ, Gloria naſcitur
Innixa pennis, quæ volatum
Pandit ab Heſperiis ad Indos.
Hæc una vates excitat inclitos:
Hæc una fontem, qui juga dicitur
Formoſa Parnaſſi rigare &
Fundere nectareos liquores,
Non unguis ictu Pegaſus elicit.
Chiabrera teſtis tu mihi: Delio
Nam melle paſcit, recreatque
Ingenii tua vena mentes;
Seu fabuloſi moribus inſeris
Inventa Pindi, ſeu calamis canis,
Victricis aut plectro labores
Auſoniæ celebras, Duceſque.
Per te nec Aſcræ collibus invidet
Flores, nec Ætnæ roſcida paſcua
Arnus, nec Iſmeni canorum
In vitreo cupit amne cycnum.
Per te furentem comprimit Africum,
Iraſque Nerei pectine barbitos
Pulſata compeſcit, comeſque
Doridis & Thetidis marinæ.
Pimplæa Dircen Muſa Liguſticis

Mutavit undis, & choreas agit,
Dum curvus in ſalſis canenti
Sternit aquis tibi terga Delphin.

Adulatio pernicioſa.

Cum Luna Cœlo fulget, & auream
Pompam ſereno pandit in ambitu
Ignes coruſcantes, voluptas
Mira trahit, retinetque viſus.
Hic emicantem ſuſpicit Heſperum,
Dirumque Martis ſidus, & orbitam
Lactis coloratam nitore;
Ille tuam Cynoſura lucem,
Seu Scorpii cor, ſive Canis facem
Miratur alter, vel Jovis aſſeclas,
Patriſve Saturni, repertos
Docte tuo Galilæe vitro.
At prima ſolis cum reſerat diem
Lux orta, puro Gangis ab æquore
Se ſola diffundit, micanſque
Intuitus radiis moratur.
Non una vitæ ſic ratio genus
Mortale ducens pellicit: horrida
Hic bella per flammas & enſes
Lætus init, meditans triumphos.
Eſt, pacis ambit qui bonus artibus
Ad clara rerum munia provehi.
Illum Peruanas ad oras
Egit amor maleſuadus auri.
Hunc, ſumptuoſus dum Siculæ juvat
Menſæ paratus, ſpes alit aleæ
Mendacis, ac fundis avitis
Exuit, & laribus paternis.
Nil eſſe Regum ſorte beatius,
Mens & cor æquè concipit omnium,
Quos larva rerum, quos inani
Blanda rapit ſpecie cupido.

Non ſemper extrà quod radiat jubar,
Splendeſcit intrà: reſpicimus nigras
In ſole (quis credat?) retectas
Arte tuâ, Galilæe, labes.
Sceptri coruſcat gloria Regii
Ornata gemmis; turba ſatellitum
Hinc inde præcedit, colentes
Officiis comites ſequuntur.
Luxu renidet ſplendida, perſonat
Cantu, ſuperbit deliciis domus:
Sunt arma, ſunt arces, & aurum:
Juſſa libens populus capeſſit.
At ſi recludas intima, videris
Ut ſæpe curis gaudia ſuſpicax
Mens icta perturbet. Promethei
Haud aliter laniat cor ales.
Cui ſenſa mentis providus abdita
Rex credat? aut quos caverit? omnium
Sincera, ſeu fallax, eodem
Obſequio regitur voluntas.
Fugit potentum limina Veritas,
Quamquam ſalutis nuntia. Nauſeam
Inviſa proritat, vel iram:
Sæpe magis juvat hoſtis hoſtem.
Ictus ſagittâ Rex Macedo videt
Non eſſe prolem ſe Jovis. Irritâ
Xerxem tumentem ſpe, trecentis
Thermopylæ cohibent ſariſſis;
Docentque fractum clade, quid aulici
Sint verba plauſus. Ut nocet, ut placet
Stillans adulatrix latenti
Lingua favos madidos veneno!
Hæc in theatri pulvere barbarum
Infecit atro ſanguine Commodum,
Probriſque fœdavit Neronem, ac
Perdidit illecebris utrumque.
Artes nocendi mille tegit dolis
Imbuta: quis tam lynceus aſpicit

Quod

Quod vitet? Intentus canentis
Mercurii numeris, ſopore
Centena claudens lumina, ſenſibus
Abreptus, aures dum vacuas melos
Demulcet, exemplum peremptus
Exitii grave præbet Argus.

ADHORTATIO AD BELLUM SACRUM.

Vidimus Italiæ campos feralibus armis
Vaſtari, & ſæva cæde madere ſolum.
Cladibus oppreſſas urbes populoſque perire
Eſurie extinctos, peſtiferaque lue:
Abductis regio bobus viduata colonis
Squalebat denſis obſita pæne rubris:
Dum rotat ambabus manibus mors horrida falcem,
Aggerat & paſſim funera funeribus;
Nullus erat ſiccis oculis, plorabat ademptos
Quiſque ſuos, ſociam vir, mulierque virum;
Natorum pia turba patres, prolemque parentes,
Mœrebat tellus tecta cadaveribus.
Armorum ut ſtrepitus noſtris procul eſſet ab oris
Fundebant omnes vota, preceſque Deo.
Poſcebant culpis veniam, pacemque rogabant
Poſſe rati reliquis ſic ſupereſſe malis.
Audiit Omnipotens gemitus, voceſque precantum,
Peſtis abit, frugum copia, Paxque redit.
Attamen Arctois prorumpens nuper ab oris
Danubii vaſtat Martius arva furor:
Vindelicas populatur opes, everſaque delet
Injectis facibus templa, ſacraſque domos.
Jamque minax Italas prædari cogitat urbes,
Sed ſcelus avertit provida cura Dei.
Dum paribus pugnant animis utrinque phalanges,
Et vario cæſus vulnere miles obit,
Gotticus ecce cadit duro rex ſaucius ictu,
Sic Erebi limen trans ſtyga vectus adit.

Interea ſparſæ redeunt ad ſigna cohortes
  Cæſaris, & rurſus bella movere parant,
Denique poſt varios caſus Rex inclitus heros
  Fernandi ſoboles accit ad arma Duces.
Inſonat extemplo lituus, clangorque tubarum,
  Inque feros hoſtes agmina denſa ruunt.
Occurſant equitum turmæ, peditesque ſariſſas
  Obtendunt, ſurgit mortis ubique metus.
Fit pugnæ facies atrox, ferroque viciſſim
  Se perimunt, fuſo terra cruore natat.
Hoſtiles fugiunt acies, victorque triumphat
  Catholicus miles, captaque ſigna refert.
Vicit io Cæſar, fauſtis & gaudia cœptis
  Spes augens pacis publica vota fovet.
Optatos tamen eventus Diſcordia turbat,
  Jamque piæ mentes damna futura timent:
Quæ rapiunt animos cupido molimina motu
  Quos decorat Chriſti nomen, & una fides?
Nulla queunt veſtros diſcrimina lædere fines,
  Si vos unanimi fœdere jungat amor.
Conjugii vinctos nexu vos publica flectant
  Commoda: quó tandem vos gravis ira trahet?
Percipit hæc prono ſenſu, gaudetque Tyrannus
  Tracius, & noſtris incubat uſque malis,
Ignivomas aptat puppes, meditatur & arma
  Chriſtiadum toties perniciosa plagis.
Nunc etiam Solymis arcet, ſacroque ſepulchro,
  Qui vera Chriſtum relligione colunt.
Nec repetunt ſegnes armis venerabile templum,
  Quin ſe diſſidiis, & ſua regna terunt.
Provocet Ambraciæ memores nos gloria palmæ,
  Sentiat & noſtras Biſtonis ora manus.
Nos armet pietatis amor, roburque miniſtret,
  Ut meritas pœnas gens inimica luat.
Fac precor o Deus, ut coëant in fœdera Reges,
  Fidenteſque tua nos tuearis ope:
Hæreſis infeſtas frangat tua dextera vires,
  Diſſipet & Turcas, Odriſiaſque rates.

Tu Deus Omnipotens juſti ſis ſanguinis ultor,
Perde truces hoſtes, qui fera bella volunt.

FRANCISCI BARLECTANI
VOLATERRANI.

JOANNI CARDINALI MEDICEO.

SUb genitore tuo dum viximus omnia nobis
Divitiæ, ingenium, fama, decuſque fuit.
Ocius hoc rapto quidquid fuit ante benignum,
Utile quodque mihi, protinus omne fugit:
Jam veterem patris fidumque agnoſce clientem
Sub nato detur quod patre dante fuit.
Quæ ſequor invitus, quæ mentem animuſque fatigant,
Jura abſint, cedant juſſibus illa tuis.
Obſequii ſignum paſtorum carmen habeto
Exiguum eſt munus, maxima noſtra fides.

ECLOGÆ ARGUMENTUM,

Seu potius narratio quædam.

Creverat in ſylvis, interque armenta gregeſque
Argeus paſtor nec mœnia noverat urbis,
Urbis, quæ magnos tribuit mox viſa dolores
Innumeras lacrimas, gemitus, ſuſpiria, luctus,
Dum nummos quærit, dum tentat ditior eſſe
Vendendos huc forte ſuos advexerat hædos,
Heu libertatem miſero ſed pulchra Lycoris
Eripuit, damno lucrum ſuperante reviſit
Incuſtoditas alta ſub rupe capellas,
Armenta & denſas paſſim luſtrantia ſilvas

Nec mora conſortem precibus compellat Evandrum
Commendat pecus omne ſuum, commendat ovile,
Odit & agreſtem vitam, longoſque labores
Damnat paſtorum, mores ad ſidera tollit
Urbanos, ſtatuit poſt hac numerare futuros
Lætus in urbe dies; ſocius tunc rite renarrat
Civiles curas, fraudes, arteſque, doloſque
Felicem, placidamque magis teſtatur Evander
Paſtorum vitam, dulcem ſolatur amicum
Hortaturque velit ſtultum hoc expellere votum.
Ille graves tandem, clauſaſque in pectore flammas
Detegit, ingeminat lacrimas dum nomine mollem
Intactam, roſeam, niveamque Lycorida narrat,
Dilectam nimium: quod cum percepit Evander,
Qua valeat ratione ſuas extinguere flammas
Edocet Argeum, ducitque in prata ſodalem,
Ad quæ ſæpe ſolet diva incomitata venire,
Nunc dulces avium cantus, crebroſque volatus
Obſervans, manibus nectendo florida ſerta,
Ac poſtquam monuit quæ ſint ſervanda, receſſit.
Reſtat amans, quæriturque horas incedere tardas
Expectans, una atque aures & lumina pandit
Nec fruſtrata diu nota hæc ſibi prata Lycoris
Sola petit, lacrimas, gemitus ſpernitque preceſque
Argei, celerique fuga ſe contegit alta
Sub ſilva, miſerique horrendos audit amantis
Clamores, mœſtis accitus vocibus, Ecce
Myrtilus accedit: cauſſam cognoſſe doloris
Exoptat; dolet ille magis, ſociumque repellit,
Amiſſam Argei tandem cognovit amicam
Myrtilus inſtando, docuitque ut munera Phœbo
Spondeat, hic, inquit, poterit tibi reddere divam.
His dictis, armenta petit, præcepta ſodalis
Argeus ſervat; Phœbo dat vota libenter,
Apparet tandem dilecta Lycoridis umbra
Inventam precibus multis exorat eandem,
Pollicitos Phœbo lætus perſolvit honores.

Evan-

Evander, Argeus, Myrtilus Paſtores, Lycoris Urbana.

Evan. Undique cæruleas jam ſæva canicula meſſes
Exurit: grata jam jam pecus omne ſub umbra eſt,
Nec dum paſtorum quiſquam vitare calores
Ilicea ſub fronde jacens, nec tergere fronte
Sudorem, dulces nec ad undam carpere ſomnos
Curat, ſed miror non dum rediiſſe ſodalem
Ex urbe Argeum; ſegnem nam novimus illum
Numquam. Pol pingues ſecum illuc contulit hædos,
Quos potuit vendiſſe citus, nec cauſſa morandi
Ulla fuit, ni forte prius decreverit urbem
Non ante hac viſam lætus perquirere totam;
Expectabo igitur, ſtratuſque ſub arbore membra,
Optata potiar, dum venerit ipſe, quiete.
Arg. Quis mihi feſtinus, quis venerit obvius inquam
Optanti? cui cura boum, cui cura tuguri
Sit noſtri? qui ſervet, oves, ſervetque capellas
Errantes per campos paſſim, & gramina læta?
Quique domum paſtas jam ſole cadente reducat?
Nam me cura major cœpit: Præſtate ſecundi,
Præſtate o ſocium divi, mihi protinus adſit
Ex ſociis aliquis; me grata Lycoridis ora,
Me dulcis dominæ ſermo, me numen in urbem
Optatam revocant; anno mihi longior hora eſt.
Evan. Quæ nam dira meos, quæ nam vox invida ſomnos
Turbavit? ſcelus hoc quis nam committere tantum
Eſt auſus; preſſa qui demum voce refugit?
Quicumque ille fuit, ſtatui cognoſcere tandem;
Aſſurgo, latebras omnes ut lumine luſtrem;
Quo ſe feſtinans, quo ſe celer ille recepit?
Forſitan Argeus rediens ex urbe jacentem
Non me conſpexit, greſſuque armenta petivit;
Sed tamen is procul a nobis veſtigia ferre
Non potuit, quamvis properaverit; ecce videre
Nunc ipſum videor; certe eſt, agnoſco ſodalis
In-

Inceſſum; ſed quid nunc huc, nunc reſpicit.
Accedam, cauſamque moræ cognoſcere tantæ
Curabo; jam ſiſte gradum ſpes una ſalutis,
Vitæ dimidium, curarum dulce levamen
Arg. Hem quis adeſt nimiū, nimiūque optatus Evand
Offers te nobis, felicem numina divum
Te ſervent, longum felix ducaris in ævum
Evan. Quæ nam cauſa diu, quæ nam te prava volupta
Abſentem tenuit? quo nam tibi cura receſſit
Lanigeri pecoris, niveos oblite juvencos?
Arg. Non ego (ſed doleo) niſi nunc optabilis urbis
Mœnia cognovi, niſi nunc innotuit illa
Urbis vera quies, quam ſi fortuna dediſſet
Perſpexiſſe prius, curas, longoſque labores
Spreviſſem noſtros, quos poſt hac ferre recuſo.
Ex quo noſtra tuæ mandamus ovilia curæ
Cornutumque pecus; tua ſit mea curta ſupellex,
Et tibi percepti cedat pars maxima lucri.
Ipſe urbem repeto; tibi ſint ſolatia ſilvæ
Dumoſi campi, rupes, ac flumina, montes.
Evan. Falleris heu nimium correpte cupidine cæca,
Qui noſtræ urbanam tentas præponere vitam,
Qui falso graviora putas incommoda noſtra
Urbanis curis, quibus eſt non ſævius ullum;
Heja, age, ſollicitam tolle hanc de pectore curam
Turpibus & votis miſeram precor exue mentem.
Arg. Alloqueris littus, paſtorum munera credis
Algores, æſtus me poſthac velle ſubire,
Cui nullam feſſo liceat ſperare quietem?
Noli dilecto ſcelus hoc ſuadere ſodali.
Evan. Audi pauca precor, fidum ſi noſcis Evandrum
Si non grata minus ſunt & tua commoda nobis
Ipſa qua fruimur divorum munere vita.
Pauca tibi ex multis referam civilia damna,
Quæ te forte latent, quæ tu majora putabis
Paſtorum curis, tunc te cognoſſe beatum
Ceperis, & propria contentus vivere ſorte,
Erroreſque hominum dementum, vanaque vulgi
Som-

Somnia damnabis, ſemper diverſa probantis
Ingentes (fateor) cingunt nos undique curæ
Perferimus pluvias, æſtuſque, famemque, ſitimque,
Non tamen hæc linquenda puto, quærendaque nobis
Dura magis, multi nam ſunt & in urbe labores.
Arg. Lauda aliis ſortem, dictiſque ad ſidera tolle
Hanc noſtram; obſerva, foveas & deſere numquam:
At mihi ne facilem fruſtra ſuadere labores,
Quam novi cunctas longe ſuperare periclis;
Durior hac equidem nulla eſt, nec ſævior ulla
Sors hominum, nam quem tam crebro fulmina terrent?
Aut cui nulla domus? quis tot perfunditur inquam
Imbribus? aſperior cui victus? ſtrata minuſve
Mollia? Cui major cunctis in rebus egeſtas?
Inſomnes taceo noctes, paſtoribus uſque
Sub dio peragi; placidæ penituſque quietis
Expertes; illis quodque eſt reticebo perenne
Exilium, nulla qui certa ſede vagantur
Conjugis ignari; quo nil mortalibus ipſis
Dulcius; heu nimium ſortem hanc ſum paſſus iniquã;
Hanc tu collaudes, hanc tu tuearis Evander,
Hac lætus vivas, & deteſtare colentes
Infeſtas urbes, lethi qui prole parata
Exultant, ludunt, extollunt munera divum,
Excelſas habitant ædes, cultiſque teguntur
Veſtibus, & lautis ornant convivia menſis.
Feſſa ſubhinc molli deponunt membra cubili,
Nec remorata diu facit hoc pulcherrima conjux
Amplexu vincens hederas, lenique columbas
Murmure, dilecto dum figit conjugis ori
Oſcula, dum dulces ſperat ſuſtollere natos,
Cenſeo profecto nihil eſſe beatius illis.
Evan. Deciperis longe, nam quos tu rere beatos,
Hi prorſus miſeri, nec quicquam triſtius ipſis;
Flebilius nihil eſt, toto nec durius orbe.
Quid miſerabilius laribus quam degere avitis,
Atque ita ne dubites vitæ præponere lethum,
Hoſtes dum patriæ circumſtant mœnia telis
Dum

Dum ſtringunt enſes urbis rerumque potiti
In dulces natos, ſponſas, caroſque parentes?
Dum natas ipſas ſtuprant, matreſque pudicas
Vi ſubigunt, fœde cogunt violare pudorem,
Quid cenſes gravius? vel quid tibi tale videtur?
Arg. Nil lacrimabilius, nihil eſt crudelius iſtis,
Hæc tamen eveniunt certe graviſſima damna.
At nos aſſiduo capimur, premimurque labore.
Ev. Hæc ſi rara putas, audi; nam multa docebo
Crebra magis, poteris quæ tu cognoſcere in horas
Ingrediare ſemel, totamque excurre per urbem
Occurret tibi nempe nihil, niſi turpia dicta,
Inſidiæ, innumeræ fraudes, & crimina dira,
Sermonum nebulæ, cædes, mendacia, furta,
Periuri teſtes, corrupti judicis ora,
Prætorum nimia ambitio, ſævæque rapinæ,
Lugenteſque boni, admiſſo gaudentes iniqui
Crimine; multi etiam credentes fœnore nummos
Occurrent; miſerum perfuſi cæde Tyranni.
Arg. Sunt hæc dura nimis, ſunt & vix mente ferend
Evan. Plurima adhuc reſtant, quæ tu graviora putab
Non paucis annis & nos habitavimus urbem,
Dum calidus viguit circum præcordia ſanguis.
At poſtquam fædas hominum cognovimus artes
Mœnia qui inhabitant, confeſtim antiqua reviſi
Munera paſtorum, quondam non jure relicta
Experto igitur crede, nec vana loquenti;
Et quem nulla latent animi cordiſve ſecreta
Urbanæ turbæ nequeo non vera referre.
Arg. Quæ noſti, paucis abſolve, ego cuncta probabo.
Ev. Artificum nolo longos numerare labores;
Non quos aſſidue juris legumque periti
Algores peragunt, æſtus, faſtidia, curas,
Longas dum vigilant noctes, ramoſa volentes
Scandere, & heu nimium nodoſa reſolvere jura;
Nolo etiam illorum quam multa incommoda ferre,
Qui diſciplinas alias ſectantur, & artes
Non rigidas, quæ ſi dictis abſolvere vellem
Cun-

Cuncta meis citius terras umbraret Apollo.
Illa itaque omittam, repetamque domeſtica tantum
Tædia, & infandas turbas; rixaſque docebo
Uxores natoſque inter, ſervoſque doloſos
Exortas; quanto credis mœrore premantur;
Dum patres miſeri captos valetudine dira
Dilectos cernunt natos, vel claudere vitam?
Heu quoties quoties lacrimoſos pectore rumpunt
Clamores, propriam quoties odere ſalutem,
Vel ſi contingat molles, hebetes, & inertes,
Vel dulcis patriæ turpes genuiſſe rebelles.
Quid de conjugibus dicam, quas plurima reddit
Dos tumidas, genus elatas; & forma maritis
Suſpectas; turpis facies, & gratia parva
Inviſas, harum lingua nil triſtius uſquam:
Convitiis torquere viros, multiſque querelis
Numquam deſiſtunt, dapibus commixta venena
Apponunt, ita nam ſuadet dilectus adulter.
Arg. Quid narras? quæ mira refers, quæ turpia geſta?
Ev. Obteſtor, quæ nota mihi, quæ plurima vidi.
Arg. Nobile conjugium cenſes, vinclumque jugale
Ergo pollutum, & penitus Junone relictum?
Ev Hoc ego non auſim, ſed tantum ſæcula, mores
Corruptos dico; nam quantum rere pudicam
Eſſe magis, veterem quæ reddit & ore Sabinam,
Illa virum fallit, fœdoque indulget amori!
An hæc ſæva putas, an hæc tu triſtia cenſes?
Arg. Ipſe equidem cives non tanta peſte teneri
Credebam; tanta non & gravitate malorum:
Ev. Jam ne igitur gaudes? oblata & ſorte beatus
Vivi? Quid retices? an hæc æqualia noſtris
Eſſe malis cenſes? longe an graviora videntur?
Illi animo ſubeunt curas, & mente laborant;
Corpore nos tantum; molliri incommoda noſtra
Aſſiduo poſſunt uſu, civilia nullo.
Arg. Difficilem (fateor) ſortem cultoribus urbis
Dii conceſſerunt; verum magis ardua noſtra eſt.
Ev. Non recte ſentis, noſtros conferre labores

Ten-

Tentas urbanis, mihi nunc ſermone relatis?
Non hoc judicium, verum dementia magna eſt.
Arg. Sat tecum ſapui, mihi nunc inſania grata eſt.
Noſtra iterũ armenta, & pecudes tibi, mulctra, capellas
Commendo, celereſque canes; Ego mœnia quæro
Ev. Quo pergis, demens? audi; jam comprime greſſum;
Expecta; paucis quæ magna omiſimus urbis
Damna, tibi referam; ſententia noſtra placebit,
Hæc cum tu noris, propria jam ſorte quieſces.
Arg. Tu fruſtra immobilem conaris flectere mentem,
Nec morbi cauſam noſcis; nec noſcere cures,
Nil laturus opis; noſtris hanc pellere venis
Mœnia ſola valent; nequeo ſine mœnibus eſſe.
Ev. Fictis me alloqueris verbis? hæc unica mens eſt?
Hic unus nobis animus? vel nolle duobus
Atque unum? mea rara fides hoc poſtulat at te?
Erraſti prorſus, vereque injuria magna eſt,
A te facta mihi; nec munere functus amici es.
Arg. Nolo hoc des vitio, nam protinus omnia noſſes
Si te ullam peſti noſſem præbere ſalutem
Poſſe meæ; vulnus ſive hoc ſanabile noſſem
Arte tua; grato quod poſſet femina tantum
Lenire aſpectu, vel dulci, humilique ſuſurro;
Hæc ſibi me vinxit; ſola hæc me ducit in urbem;
Hanc ego ut obſervem ſolam, mihi fata dedere,
Sidera dum cœlum geſtabit, pondera tellus.
Ev. Hæ ſunt difficiles curæ, longique labores,
Quos fugis? ah demens, tolle hunc de mente furorem;
Tolle inquam, & Veneris contemnas ſubdola regna.
Decipiare cave; blando nam dulcia vultu
Præmia promittet; ſed poſtquam vincula collum
Nexa præment; ſævas tunc tu cognoveris iras,
Indomitoſque animos, omni pietate carentes;
Aſſiduas fruſtra lacrimas tua lumina mittent;
Fruſtra etiam inficiet fœdus mæſtiſſima pallor
Ora tibi; numquam placida potiere quiete.
Effuge, nexilibus ne te conſtringere nodis
Poſſit; lethifero nec te paviſſe veneno.

Arg.

Arg. Jam mihi, jam capto nulla eſt fugiſſe facultas;
Sed (quo vera loquar) quando mihi magna daretur
Non fugerem; minime lædunt quæ vincla petuntur.
Evan. Heu nimium doleo, quod te ſæviſſima peſtis
Cœperit; at quæſo Veneris fallacia poſtquam
Regna ſequi eſt animus; talem ſecteris amicam,
Quæ tibi non diſpar, quæ mollia rura frequentet,
Cui fuerit donaſſe ſatis vel florida ſerta,
Vel lac concretum, vel humi naſcentia fraga,
Aut avium prolem, aut cervi leporiſve fugacis;
Quæ tenero quandoque ſedens in gramine tecum
Obſervet ſolito paſcentes monte capellas;
Atque urbana precor placeat tibi femina numquam,
His nam nulla fides, aurique immenſa cupido;
Hæ flores ſpernunt, lac, hædos, carmina, muſas;
His neque ſat fuerit vel tota armenta dediſſe.
Arg. Hanc vidiſſe placet, viſa hac contentus abibo;
Evan. Ex quo firma tuam premit hæc ſententia mentem,
Saltem ne taceas optatæ nomen amicæ
Dic mihi, quæ dura miserum te compede vinctum
Detinet; ut ſi qua poſſim ratione juvare
Non ſecus ac ſemper me ſorte utraque paratum
Cognoscas; mortem pro te qui lætus obirem.
Fare, age, ne dubita! tacitus tibi notus Evander.
Arg. Me vinctum retinet; me pulchra Lycoris adurit;
Illa mihi præſtare poteſt, & demere vitam.
Evan. Hanc novi, & cunctas forma ſuperare puellas
Non dubito; civis ſola hæc non vivit avara;
Lethor ſorte tua, qui talem es nactus amicam;
Hoc etiam lætor, quod ſit mihi magna facultas
Edocuiſſe modum, quo tu potiare cupita.
Arg. Quid ceſſas? nunc, care, vales oſtendere quantum
Diligis Argeum; Pietas mihi certa, fideſque
Nunc tua ſe promet; nunc, nunc mihi deprecor adſis;
Affer opem miſero, nec ſint tua munera tarda;
Qua valeam ratione meum lenire dolorem,
Jam precor, oſtendas, ut pergam doctus ad urbem.
Evan. Mœnia nolo petas; propius dilecta Lycoris
Oc-

Occurret; vicina tibi ſunt prata petenda,
Quæ dominæ ſunt nota tuæ, quæ ſæpe reviſit,
Purpureos tenui flores ut deligat ungue,
Aut avium cantus, ſuſpenſa ut combibat aure.
Arg Quin curſu celeri protinus, quin pergimus illuc!
Evan. Pergamus; tu noſtra ſimul veſtigia ſerva.
Arg. Quam longo diſtant curſu, quæ prata renarras?
Evan. Non longo; variis diſtincta floribus ecce
Apparent; pedibus jam jam nos illa prememus.
Arg. Perge celer, celeri paſſu te conſequar ipſe.
Evan Prata tenes tandem dulci notiſſima divæ;
Hic tu conſideas, illam taciturſque moreris,
Cujus ego adventum celerem promitto futurum.
Interea docto diſpone in pectore verba,
Ne videare rudis, dum mollem affaris amicam.
Ipſe armenta peto nullo cuſtode relicta.
Arg. I felix, ſemperque Deus tua vota ſecundet.
Quis nam hominum Argeo, quis fortunatior eſſet?
Obvia ſi cupido mihi detur ſola Lycoris?
Sed cur tam ſegnis notiſſima prata reviſis?
Cur deſiderium miſeri ſuſpendis amantis?
Accelera dilecta precor, nec falle morantem
Argeum; cui nulla quies, cui nulla voluptas
Te ſine, nulla ſalus præſtatur, gaudia nulla.
O me felicem, procul ecce optata Lycoris
Incomitata venit, veſtemque induta nivalem;
Sed quid continuit greſſum? me forte ſequentem
Extimuit; propius dum venerit illa tacebo.
Lyco. Verba equidem accepi, nomen reddentia noſtrum
Dilectæ forſan comites, quas valle ſub ima
Deſerui, dulci volucres dum voce canentes
Inſequor, adventu optatæ lætantur amicæ.
Quid moror? accedam vocis quo murmura ducunt.
Arg Ne fugias dilecta; mane; te lædere nolo;
Servitium ſed dulce tuum, tua dulcia juſſa
Opto diva ſequi; fugitur ſic improbus hoſtis,
Imbelles aquilam, penna trepidante, columbæ
Sic fugiunt; audi; fidum cur ſpernis amantem?

Siſte gradum tandem, precibus jam vincere noſtris
Ut ſuperas omnes forma, & probritate puellas,
Sic omnes ſuperare debes pietate Lycoris.
Conſequar, aut moriar; ſed me quia pera fatigat
Hanc rapiam collo, viridique in gramine linquam.
Me miſerum, apparet nuſquam quo diva receſſit?
Quo pergam quærens, aut quis mihi deteget illam?
Nullus adeſt; inimica mihi ſunt numina divum
Omnia; mortales quidquid natura creavit.
Inviſum divis ſcelus eſt me ducere vitam.
Quid faciam ignoro; moriens an obſequar illis,
An dominam exquiram ſylva hac fortaſſe latentem?
Illi animam tribuere mihi, mea diva perennem
Reddere ſola poteſt; quærenda eſt denique diva,
Divinum munus poterit namque ipſa tueri.
Myr. Horrendas noſtræ hinc aures hauſere querelas
Paſtoris miſeri. propriæ dubiique ſalutis;
Non tamen hunc video, ſonitus nec redditur ullus.
Heu vereor ne ſera nimis ſuffragia noſtra
Adfuerint comiti; comitem nam credo fuiſſe;
Sed motus quoſdam perſpexi frondis; adibo;
Et ſi vivit adhuc, dictis lenire dolentem
Conabor, gelidumve ejus tumulaſſe placebit
Corpus, vitales ſævus ſi effuderit auras.
Quid quæris paſtor? vel quid tibi cauſa doloris
Eſt tanti? narra quidquid te lædit amico.
Quin jam ſurde manes? carus tibi Myrtilus adſum,
Me ne Argee fugis? num tu mea negligis ora?
Arg. Myrtile, diſcedas, ſi qua pietate moveris
Dilecti comitis; noſtros tua verba dolores
Accumulant; nimium tua me præſentia lædit.
Myr. Obſequar; at primum mœroris noſcere tanti
Decrevi cauſas, aliquod tibi nempe levamen
Attulero; concede precor; tibi nulla negavi
Umquam; Tu noſtram cognoſti ſemper utramque
Sortem; tu mœſto ſolamen ſæpe fuiſti;
Cur me nunc ſpernis? communem, ſæve, dolorem
Cur retices? effare tuas & detege curas;

Ne vereare animæ pars o dulciſſima noſtræ;
Ne lacrima; nec tanta tuo ſuſpiria rumpas
Pectore: ſollicitæ fugias & tædia mentis.
Arg. Poſtquam noſſe cupis, quæ ſit mihi cauſa doloris,
Expediam paucis; tu forte Lycorida noſti.
Myr Hanc multi cecinere mihi ſuperare puellas
Urbanas omnes, forma, probitate, lepore;
Sed vidi numquam, quamvis vidiſſe cupivi.
Arg. Lubrica me facies ejus, laſcivus ocellus
Devinxit, miſerum nunc me ſæviſſima temnit.
Nuper, dum comites quærit per prata, ſaluto;
Illa fugit celeri planta, me pone ſequentem
Deludit, ſe fronde tegit, nec cernitur uſquam;
Amiſſam doleo, & fruſtra reperire laboro.
Myr. Conſilium ne ſperne meum, nam recta monebo.
Arg. Non ſpernam, ſed tolle moras, ſiniſtra levare
Tædia, ſi noſtras geſtis extinguere flammas.
Myr. Hanc, quia te ſpernit, linquendam cenſeo divam.
Arg. Non me recta mones; tunc ipſe Lycorida linquam
Extremus noſtros linquet cum ſpiritus artus. (rant;
Myr. Nymphæ etenim innumeræ noſtris in montibus er-
Harum quæque tuam pietate Lycorida vincit,
Et forma; poterit mitis lenire dolores
Nympha tuos; nympham potius tibi ſume ſequendam.
Nec dominam urbanam poſthac ſectere ſuperbam.
Arg. Hæc mihi ſola placet vita, & mihi carior ipſa eſt.
Spernere ne doceas; ſed qua ratione potiri
Hac valeam; dilecte mihi rem Myrtile gratam
Sic feciſſe potes, ſic noſtras pellere curas.
Myr. Hanc mihi nulla datur ſævam reperire facultas;
Sol tantum prodeſſe poteſt & ferre ſalutem;
Sol quem nulla latent, Sol qui mortalia curat
Omnia; dilectam poterit tibi reddere divam.
Arg Heu vereor ſurdas precibus ne præbeat aures
Ipſe pater Phœbus, quin et mea munera temnat.
Myr. Phœbum collauda; Phœboque altaria pone;
Hunc votis cumula, & precibus tibi redde ſecundum;
Hic te felicem efficiet, requiemque laborum

Hic tibi præſtabit; Deus eſt mitiſſimus ipſe;
Hunc tu vel texta lauro placare corona,
Aut agna poteris caſta, mollive capella.

Arg. Hoc ego conſilium laudo, monitiſque libenter
Jam parebo tuis; proque his te ſemper amabo.
Sed, quo non tardus valeam perſolvere vota
Ad noſtros accede greges, huc, Myrtile, portes
Intactam pecudem: faciles mihi Phœbus amores
Interea reddet; lætus tunc ſacra litabo.

Myr. Non ante hac umquam, nec nunc tua juſſa morabor
Quo mandas propero. Tu Phœbum mente teneto.

Arg. Fixus corde manet; corde hic non excidet umquam.
Quattuor o docto qui ſignas tempora curſu,
Verno purpureos flores & gramina præbens;
Æſtivo ſegetes, Autumno mitia poma;
Candenteſque nives, glaciemque & frigora brumæ,
Aſpice me miſerum, cupidoque Lycorida redde
Amiſſam, noſtrum jube ne ſpernat amorem;
Tunc teneram feriam poſitis altaribus agnam;
Sed ſi diteſcam niveos mactabo juvencos,
Phœbe, tibi, & ſacrum ponam de marmore templum.
Sed videon' umbram? Certe eſt (ni fallor) amantis
Umbra meæ; placidas precibus Sol præbuit aures.
Huc propero. Quo diva fugis? me reſpice tandem.
Sæva nimis; noſtro tandem ſatiare dolore.

Lyco. Ah paſtor paſtor, nondum vis ſiſtere cœpto?
Sat te pertulimus, nimiumque pepercimus auſis.
Stulte, tuis; ſatius fuerit repetiſſe relictum
Armentum, quam velle meum violare pudorem,
Quem fruſtra multi, quorum genus emicat altum,
Tentavere proci; firmam tu flectere mentem
Poſſe meam credis? terræ viliſſima proles.

Arg. Ipſe tuis (fateor) penitus ſum laudibus impar,
Et generi, nullus ſed me probitate, fideque
Mortalis vincit; non & tua diligit ullus
Ora magis; nullique tuæ ſtat cura ſalutis,
Et famæ major, nullum reperire loquacem
Poſſes, diva, minus; generis mea damna rependo

Dotibus ingenii, nec ſperni, diva, mœremur.
Lyco Pergis adhuc, nec quæ ſubeas diſcrimina noſcis?
Mille repente aderunt, qui tingant tela cruore
Mille tuo; qui in fruſtra ſecent, & ſingula membra,
Vulneribuſque locus deerit; ſi pectore vocem
Vel tenuem mittam; tibi nec fuga proderit ulla.
Arg. Si me faſtidis, mortemque exquiris amantis,
Hoc tu ſola meum ferrum ſub pectore conde.
Si pro te pereo, per te periiſſe juvabit.
Lyc. Heu heu me miſeram jam turpes pectore curæ
Verſantur caſto; jam mens ſuccumbit amori.
Tandem victa, tibi, paſtor dulciſſime, tandem
Concedo, jam luce magis mihi carus, & ipſe es.
Sed doleo non poſſe diu ſermone potiri,
Aſpectuque tuo; me curva in valle ſodales
Sollicitæ expectant; fortaſſe & jure queruntur.
Quod ſim tarda nimis, penituſque oblita reverti.
Has ego nunc repetam proprio ſtimulata pudore;
Tuque vale interea, noſtri non immemor ignis.
Arg. Hoc mihi diva modo concedis? fallere amantem
Artibus his tentas, atque his ſeducere verbis.
Non vivent ſine te comites, urbemque reverti
Te ſine non poterunt? certe hæc aſtutia magna eſt.
Si ſocias repetiſſe cupis: ſi diligis & me,
Concede mecum, ac molli ſub fronde quieſce
Tantiſper, teneram portat dum Myrtilus agnam;
Inde petas comites, tibi curva in valle relictas.
Lyco. Jam præcede, ſequor, numquam tua juſſa retardans.
Arg. Quis nam hodie paſtor, quis fortunatior inquam
Me vivit? Phœbo vel quis me carior ipſi?
Obvius at cupio mihi detur Myrtilus, auctor
Lætitiæ tantæ, nec non adiutor Evander.
Myr. Eia, quid ſtamus? cur non accedimus illuc?
Evan Siſte, Argee, gradum, nec curſu falle ſodalem.
Arg Quis me pergentem revocat? vos ipſe volebam,
O dulces comites: noſtis mea gaudia? noſtis?
Myr. Omnia; ſed quo nam diſceſſit ſola Lycoris?
Arg. Illa ſuas viſit ſocias; at ſæpe reverti huc
Pol-

Pollicita eſt nobis; noſtrumque fovebit amorem.
Jam felix valeo dici, jam ſolvere vota
Debemus Phœbo; Phœbo jam poſcitur agna.
Myr. Attulimus; Phœboque piam conſtruximus aram.
Arg. Hanc video, & laudo fuerit quod maxima utrique
Cura mei; hoc reſtat, mecum quæ ſacra paraſtis,
Perficite; hanc læti mecum concedite ad aram;
Sed teneram ferro dum nos jugulavimus agnam,
Excuſſum ſaxo ſacratis frondibus ignem
Accende, & puras afferto, Myrtile, lymphas.
Myr. Diſpoſita jam cuncta Deo, quid ſacra moramur.
Arg. Subnixi terram mecum procumbite ad imam;
Quilibet & mecum Phœbeum numen adoret,
Dum noſtra excipiat, quæ ſolvimus ordine vota.
Surgite jam læti; placuerunt munera Phœbo;
A Phœbo noſtri non umquam cura recedet.
Tandem quiſque greges omni cuſtode carentes
Securus repetat; placidus ſic juſſit Apollo.

AUGUSTINI BEATIANI

VENETI.

Verona ad CLEMENTEM VII. *Pont. Max.*

MAgne pater, regere imperio cui Tibridis arces,
Et datur immenſum ſacris terroribus orbem
Concutere, atque minis pavidas compellere mentes
Huc illuc hominum, monitis parere negantum:
Ex quo jam noſtras implevit nuncius aures,
Tot fractâ tantiſque tuis virtutibus omni
Invidiâ, ad ſacræ lectum moderamina puppis,
Debita jamdudum te celsâ in ſede locatum
Tergemino auguſtum caput irradiaſſe tiarâ;

Protinus exorta aſſueto majora ſonabant
Gaudia per populos, imiſque illapſa voluptas
Pectoribus curarum oblivia grata ferebat.
Principe te rediiſſe fidem, rediiſſe videbant
Juſtitiam, terris tanto poſt tempore viſam.
Speſque erat, exhauſtam poſt tot fera funera Martis,
Poſtque tot avectas externo milite prædas,
Principe te, Italiam extinctis requieſcere bellis
Poſſe, & in antiquas ſe rurſum extollere vires.
Quis tot prætera populis, regniſque ſuperbum
Detentorem Aſiæ, jam cœlo, undiſque minantem
Audeat inſurgens bello tentare, queatque,
Tu niſi Dux venias, auctorque in prœlia Reges
Concordes ſtabili firmatos fœdere ducas?
Gaudebam hæc animo reputans: ſed publica præter,
Privatim ipſa tamen nil quo lætarer, habebam:
Cum ſponte egregium Juvenem, virtutibus auctum,
Illuſtrem ingenio, inſigni pietate decorum,
Præſtantemque animi, qualem non ulla tulere
Sæcula, nulla ferent, noſtris qui rite, modoque
Præſideat ſacris, poſſit qui noſtra tueri
Commoda, tale nihil nobis ſperantibus offers.
Scilicet hoc unum eſt, quo vulnera noſtra coirent,
Quoque habeat felix tandem fortuna regreſſum.
Quæ flammæ tulerint, inimicus & hauſerit enſis,
Dum fera tempeſtas noſtros ſæviret in agros;
Nota tibi, & noſtro reor ingemuiſſe dolore.
Maxima ſed lapſis tribuis ſolatia rebus,
Hunc præeſſe meis talem cum civibus ipſe,
Nil poſcentem amplo Juvenem dignatus honore
Juſſiſti & Venetas decoraſti præſide terras.
Cui ſimul atque ingens te concedente poteſtas
Obtigit, ac ſubiit tantarum pondera rerum,
Dulcius, aut illuſtre magis nihil eſſe putavit,
Quam dare divitias, & magna merentibus ultro
Præmia, quærendique animos exſolvere curis;
Præſertim cordi quibus eſt, inviſere ſedes
Muſarum, ambitione procul, ſtudiiſque Minervæ

Altius innixos, laudata per ocia vitæ,
Uſque ſub extremum pulchro ſe offerre labori,
Adſpice doctorum numerum, qui caſta frequentant
Limina certatim Juvenis, Parnaſſia tamquam
In dubiis reſponſa petant prudentia verbis
Illius eſt, & tanta fides, ea gratia fandi,
Ut nil unquam hominum audierint exactius aures.
Quodque magis mirum eſt, totâ tibi mente receptum,
Dilectumque adeo, tumidum præcordia regno,
Nil quicquam quod non deceat, feciſſe videmus:
Tu licet invidiam ſuper his, hoſteſque requiras.
Ergo hunc præpoſitum nobis, ubi numine Divum
Fama tulit, jam candidius ſplendeſcere ſoles,
Dulcius ire dies cœpere, & gramine campus
Veſtirì inſueto, telluſque effundere flores
Viſa novos, quos nulla prius conſpexerat ætas:
Ipſa etiam arva, ſitu poſito ridere, comaſque.
Silvarum æthereas tractare licentius auras.
At genitor vitreo Benacus flumine, gazâ
Regali decorat pendentia pumice tecta.
Convocat huc Nymphas, vicinaq; flumina, menſaſque.
Inſtruit, atque una dapibus veſcuntur opimis.
Curribus hinc agitant animos, ubi gaudia vecti,
Mille cient varios ſpacioſa per æquora ludos.
Dumque cient, ſpectant præſtanti corpore Nymphas,
Quarum præcipuos oſtentat vultus honores,
Æthereumque decus; veteres hic ſuſcitat ignes,
Concipit ille novos, nec dum bene ſuetus amori
Ingemit, & mediis uri miratur in undis.
Interea crebris reſonat clamoribus æther,
Splendida dum paſſim Clementis nomina læto
Omine concelebrant, & cœlo laudibus æquant.
Mox Gibertum omnes contentâ voce ſalutant,
Atque ſua ut veniat viſurus regna, precantur.
Clementem ingeminant, Gibertum littora reddunt,
Turbantur fremitu fluctus, colleſque reſultant.
Hoc igitur refero ingentes tibi nomine grates
O decus, Auſoniæ ſpes ô fidiſſima gentis.

Verum etiam his unum, juveni quæ magna dediſti,
Unum oro adiicias, roſeo inſignita galero
Tempora fulgentem nobis, pater optime, mittas.
Inſignes Juvenis mores, ſanctiſſima vitæ
Acta ſuæ noſti, totiens expertus amorem,
Ingenium totiens ſpectatum rebus agendis,
At tibi quam fidus fuerit, quam pectore conſtans,
Læta receſſiſſet cum jam fortuna; fatentur
Auguſtus Cæſar, populi moderator Iberi,
Quique regit toto diviſos orbe Britannos:
Quos ſimul eloquii dulcedine mulſit, utroſque
Protinus æterno addictos tibi fœdere junxit,
Quos æſtus animi, quos pertulit ille labores?
Mutatis cum vectus equis ſæviſſima Rheni
Frigora, Belgarumque nives, vaſtique procellas
Æquoris, & vitæ manifeſta pericla ſubiret.
Hæc meritis Juvenis, precibus da munera noſtris.
Neve negare queas; tibi ſunt exempla Senatus
Adriaci proceres; viden huic ut pectore toto,
Toto animi affectu adſenſum tribuêre petenti?
Qui licet hoc poſſint tibi conceſſiſſe videri,
Sic te oculis geſtant, tua ſic decreta volenti.
Accipiunt animo, magnum tamen omnibus illum
Undique, & omnigenâ Juvenem virtute micantem
Allicere officiis, ac promeruiſſe putarunt.
Præcipue Venetis Grittus qui præſidet oris,
Quo nec conſilio melior, nec juſtior umquam
Sceptra tenere manu potuit, rerumque potiri.
Cujus tanta viget majeſtas regia vultu,
Tantus honos, ut non aliâ gravitate ſedentem
In ſolio rear æthereo dare jura Tonantem.
Novit enim patriæ imperio concordia tecum
Commoda quanta ferat, nec non te novit amico.
Quid ſperare queat, trepido cum ardere tumultu
Contingat Latium, vel ſi terraque marique
Terreat Illyricas Turcarum exercitus urbes:
Non tanto aſpiciam Venetos terrore ſolutos
Juſtitia, & placida populos in pace tueri,

Nil

Nil niſi tuta ſuis meditantes ocia terris?
Tu potes hoc cœlo Clemens demiſſus ab alto,
Ut regeres rite unus relligionis habenas,
Quam fœde oppreſſam, rabidoque ſub hoſte labantem;
Suſtentare diu propriâ virtute valeres.
Tam pia quis duce te, quis te tam ſancta jubente
Induere arma neget, certæque occumbere morti,
Si ſit opus? cum ſic decus immortale per orbem,
Adquiratque ſibi ſtellantis gaudia regni,
Hic ubi fortunæ vis deperit improba, nec jus
Ullum habet in nobis duri violentia fati;
Atque dies ubi, nulla datum quæ finiat ævum.
Tu modo rumpe moras, & jam fer pectus in hoſtem:
Ire jube inſtructas acies, & prœlia poſcant,
Neve animum regis memorata potentia frangat.
Nos adeo [ſit fas nos dicere vera] tremendum
Fecimus ignavi, tot digna, indigna relatu
Qui tulimus, nec quidquam animos injuria movit
Degeneres, nil jam antiquæ virtutis habentes,
Ergo tempus erit cum victo ex hoſte triumphos
Inclita te niveis invectum Roma quadrigis
Ducere ſublimem ad ſacrata palatia cernat,
Curarum, atque impendentis ſecura pericli.
Tu vero interea, Juvenis, quem clara ſub alta
Sidera fama vehit fotum applaudentibus alis,
Cujus Caſtalidum chorus, & meditatur Apollo
Egregium decus æternis intexere chartis:
Sive paras animum in ſolitas demittere curas
Principis eximii, quocumque ut tempore gratus
Muneris accepti, gratus videaris honorum:
Sive tibi oblatas mavis inviſere gentes,
Vero namque tuam, quæ Dii precor omnia firment.
Nos, in te ſolum qui lumina jecimus, in quo
Noſtra ſalus poſita eſt, ſpes & fundavimus omnes,
Excipe tot ſævis bellorum fluctibus actos,
Atque tuos feſſo ſubeuntes remige portus.

Ad Petrum Bembum.

Ex animo quoniam Gibertum diligis, atque hunc
  Æquari cœlo laude merere putas;
Immenſum eximio juvenis lætatus honore,
  Neſcio quid ſolito grandius ore ſonas.
Et peream, veterum niſi tu contendere ſæclis
  Noſtra jubes, Veneti gloria, Bembe, maris.
Quam bene non alio Gibertus carmine dici;
  Hoc alius nemo carmine dignus erat.

Ad Matthæum Gibertum.

Multa Deum humano generi tribuiſſe videmus,
  Numquam hominis poterat quæ meruiſſe labor.
Innumeras ideo poſitas ſibi poſſidet aras,
  Et Deus in toto cernitur orbe coli.
Tu quoque cum meritis dederis mihi plurima nullis,
  Quis, Giberte, mihi te neget eſſe Deum?
Dicere ſed noſtrâ hoc ſi relligione vetamur:
  Supra hominem certe te coluiſſe licet.

Ad eundem.

Altera lux Medicum, nutu qui temperat orbem,
  Nec virtutis habet præmia digna ſuæ,
Signatum ſummo te cunctis lætus honore
  Prætulit, & meritis non tamen æqua dedit.
Nec dabit, ut tribuiſſe tibi velit omnia magnus
  Hic Giberte Deus, cui dare tanta licet.
Finge tuos tamen æquari mercede labores:
  Quo faciat, fidei non habet ille ſatis.

Ad eundem.

Quam debere putem tibi, ſi Giberte requiris:
  Quantum animo, atque animâ, me dare poſſe, datur.

Ve-

Verum animo atque anima quando tibi reddere quantum
 Debeo, non nullo tempore poſſe puto.
Saltem aliqua ut meritis referatur gratia tantis;
 Hunc tu, jure tuo, ſume animum, atque animam.

Ad Leonem Fuſcum.

Extinctum Aonio defles dum carmine Bembum,
 Quod toto doleas pectore, Fuſce, doces.
Quippe (velut ratio jubet & ſincera voluntas)
 In ſimilis ſimilem funere flere decet.
Invidiæ, non fleſſe foret tot dotibus auctum:
 Quâ nemo eſt qui te labe carere neget.
Elicis ex oculis lacrimas, ex ore querelas,
 Ut non fleſſe labor, ſit tacuiſſe pudor.
Vitam igitur geminam vivet poſt funera: cantu
 Ille ſuo, fletu vivet & ille tuo.

In Bembi obitum.

Bembe jaces, tecumque jacet quæ prima canendi eſt
 Gloria, ad extremos non reticenda dies.
Bembe jaces, tecumque jacent cœleſtibus apti
 Mores, quos poſthac ſæcula nulla ferant.
Bembe jaces, tecumque jacet ſincera voluntas,
 Et qui nos prohibet dicere falſa pudor.
Bembe jaces, animique jacet laudabile tecum
 Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.

Non hic Bembus eâ, qua cuncti lege tenemur,
 Eſt ſitus; ante datâ juſſus obire die:
Sed ſomnum hoc nitido carpit ſub marmore tantum,
 Cernere in æthereo quod datur orbe Deos.

Hoc ſitus tumulo eſt Bembus, cui prima ſororum
 Calliope canere hoc, quod canit ipſa, dedit.

Conſedit proceres inter, quibus inclita ſacras
  Purpureo cinxit lana colore comas.
Virtutes animi has habuit, quas credere in uno
  Haud cuiquam facile eſt poſſe manere loco.
Invida ni talem rapuiſſent numina Parcæ,
  Succeſſuque hominum triſtia, læta malis,
Ad ſumma extolli, poteratque oſtendere qualis
  Cœleſtum in terris æmula vita foret.

Hic ſitus eſt Bembus; de quo fas dicere ſolo eſt,
  Laudato dici quidquid ab ore poteſt.

Hîc Bembus jacet, Aonidum laus maxima, Phœbi
  Cum Sole & Luna vix periturus honor.
Hic & fama jacet, ſpes & ſuprema galeri,
  Quam non ulla queat reſtituiſſe dies.
Hic jacet, exemplar vitæ omni labe carentis,
  Summa jacet ſummâ hic cum pietate fides.

Hoc Petrus nitido tegitur ſub marmore Bembus,
  Cui natura, poteſt quæ dare, larga dedit.
Cuique decus, partum ingenio, & virtuibus, auxit
  Addita laurigeræ purpura clara comæ.
Idem, animi probitate, omnes æquavit honores,
  Vita quibus cœli ſcandere tecta facit.
Diſce hinc quàm lacrimis eſt fas non parcere, cum ſpes
  Nulla ſit huic poſthac ſurgere poſſe parem.

A N-

ANTONII BECCATELLI

BONONIENSIS

Cognomento Panormitæ.

EPITAPHIUM HORIECTÆ SENENSIS
Puellæ belliſſimæ, ac moratiſſimæ.

POſtquam marmoreo jacet, hoc Horjecta ſepulchro,
Ipſa Deûm credam numina poſſe mori.
Non fuit abſimilis forma, aut virtutibus ipſis
Cœlitibus, Senæ gloria magna ſuæ.
Heu heu non probitas, ſpecies aut unica quemquam
Abs inclementi demere morte poteſt.
Quod ſi clara Deos faciat mortalia virtus
Corpora, ſi Cœlum ſimplicibus pateat
Non dubitem; per vim modo non ſibi jura negentur,
Dejiciet ſupera ſede puella Jovem.

EPITAPHIUM BAPTISTÆ VIRGUNCULÆ SORORIS HORIECTÆ.

Hic tumulus longe tumulo felicior omni
Baptiſtæ auricomæ Virginis oſſa tegit.
Dulciter hæc agili pulſabat cymbala dextra,
Movit & artifices ſaltibus apta pedes.
Omnibus, & cantu pluſquam philomela placebat,
Matre quidem pulchra pulchrior illa fuit.
Indolis egregiæ minimo pro errore rubebat,
Sparſa rubore placens, fuſa rubore decens,

Cum

Cum ſatis hæc fecit naturæ luce ſuprema,
  Tranſierat vitæ vix duo luſtra ſuæ.

Oratum mittit Auriſpam Siculum, ut ſibi Marcum Martialem commodet; alludit ad Homeri Fabulam de Precibus.

Ite, Preces, gnatæ magni Jovis, en præit Ἄτης,
  Ἄτης quæ nobis prævia monſtrat iter.
Si multum validis nocumentum paſſibus anteit,
  Ite citæ, lippæ, loripedeſque Preces.
Ivit Ἄτη, cujus omnem nocitura per urbem
  Ite citæ, veſtris greſſibus ivit Ἄτη.
Eſt Florentina celeber tellure poëta,
  Quem numerat genitis Sicilis ora ſuis.
Illius ex lepido cantant Heliconides oræ,
  Illius ex digitis pulſat Apollo chelin.
Non peperit Latium, non Græcia mille per annos
  Eloquio ſimilem, vel probitate virum.
Illi ego non parvo jam pridem jungor amore,
  Jampridem nobis mutuus extat amor.
Hunc petite, hunc vigili vos offendetis in æde
  Cantantem altiſonis regia geſta modis.
Hunc igitur magni Jovis exorate, puellæ,
  Per ſi quam eſt ſcriptis fama futura ſuis,
Ut mihi concedat perrara epigrammata Marci
  Illa libens relegam, reſtituamque libens.
Si facilis Divæ coram venientibus extet,
  Et meritus vobis exhibeatur honos;
Æque adjutrices hunc exaudite rogantem,
  Sitis & huic placidæ, parque referte pari.
Quod ſi vos nihili faciat, duræque repellat,
  Poſcite confeſtim, turba repulſa, Jovem.
Hunc ut terribili nocumentum voce ſequatur,
  Et damnas pœnas, detque, luatque graves.

AD COSMUM MEDICEM

Quod civili juri operam dare & merito pergit, cum hac tempeſtate non ſit quiſquam remunerator Poëtarum.

Coſme vir Etrurias inter celeberrime terras
  Si ſileas videor velle videre tuum
Malles poſthabitis jam jam luſuve jocove,
  Clauſiſſem forti ſtrenua bella pede.
Ut tu magnanimus ſic & permagna cupiſcis
  Hei mihi, ſed noſtro tempore Cæſar abeſt.
Hic tibi ſit largo pro Cæſare gloria, dices.
  Sed tales epulas non meus alvus edit.
Laurea ſit cuivis dum ſit domus aurea nobis,
  Auratam facient aurea jura domum.
Dant lites requiem, donant chirographa nummos,
  Hoc lex dat, voces gloria ſola dabit.
Hæc alit, hæc fatuas dumtaxat inebriat aures,
  Scilicet & venter charior aure mihi eſt
Famaque quantalibet veniat poſt funera nobis,
  Excipiam nullos mortuus aure ſonos.
Ergo ſequor prudens leges ac jura Quiritum,
  Proſtituo prudens verba diſerta foro.
Cum vacat officio legali ludrica condo,
  Dum bibo, quæ nobis immeditata fluunt.
In menſa nequeunt heroum geſta reponi,
  Non ſunt implicitæ prœlia mentis opus.
Sit mihi Mœcenas, claros heroas & arma
  Cantabo, & nugis præ fera bella feram.

LAUS COSMI MEDICEI
Viri Clariſſimi.

Coſme, quis eſt Latiis vir feliciſſimus oris,
  Conjugio, gazis, prole, parente, domo?
Quis patriæ ſpes eſt? quis ſanguine clarus avito?
  Vates quis priſcos ſervat amatque novos?

Pa-

Pace quis Auguſtus Cæſar? quis Julius armis?
Quis fiet mira pro probitate Deus?
Cosme, quis hic eſt? aut tu certe, Cosme, vir hic es,
Aut certe quis ſit neſcio. Cosmus es hic.

PETRO LUNENSI

Reſpondet, quod nolit deſcribere bella noſtri temporis, tametſi ſplendida illa ſint.

Scilicet Etrurii ſunt inclita geſta ſenatus,
Et ſunt Anguigeri fortia facta ducis.
Sunt & Aragonei præluſtria prœlia Regis,
Femina Parthenope maſcula bella gerit
Ne morer; Auionias omnis Mars efferat oras,
Cogitur atque armis gens peregrina ſuis.
Magna quidem ſunt hæc, & magno digna poëta,
Dignaque percupida poſteritate legi.
Quæque ego prætulerim nugis, quæque ilicet auſim,
Atque ſuo atque gravi compoſuiſſe pede
Si neſcis is ſum, qui Virgilios, & Homeros
Malim quam Gallos, Callimacoſque ſequi.
Quamvis hi Veneres, quamvis hi bella reponant,
Attamen auctori gloria cuique ſua eſt.
In pretio eſt pulchre teneros qui flevit amores
In pretio pulchre eſt arma, virumque canens.
Sed mihi neſcio cur ſicut tu, ſicut & alter
Maluerim ex bellis inde venire tonos.
Dixeris ergo canas Martem Ducis atque Senatus,
Sive canas Regem, belligeramque nurum.
Verum qualis erit Ducis elargitio vati?
Qualia, dic ſodes, præmia Regis erunt?
Aut nulla, aut certe quam parva ſimillima nullis,
Et quibus haud chartas quas perarabis emas:
Uſque adeo noſtra ſub tempeſtate tyranni,
Pro nihilo ſacri carmina vatis habent.
Sit licet Æneas Dux, ſit Rex alter Achilles,
Si caret hiſtorico vate peribit uter.

Illi raucefcant cytharæ, fons areat illi
  Quicumque ingrati Principis arma canit,
Et me deſtituant Musæ, me pulcher Apollo
  Non amet, indigni ſi Ducis acta feram.
At tu principibus, qui jocundiſſimus extas
  Petre, fac ingenio par mihi munus eat.
Tunc mea magnanimos largos regeſque, duceſque,
  Evehet ad ſuperos larga Thalia polos.

LAUS AURISPÆ

AD COSMUM MEDICEM.

Si quis erat priſcis æquandus, Coſme, poëtis
  Et ſi cui Phœbus, Pierideſque favent.
Si quis cum loquitur, vel ſplendida facta reponit,
  Mercurium jures ejus ab ore loqui.
Quive alios laudet, cum ſit laudabilis ipſe,
  Quive hedera merito tempora nexa ferat;
Si quis erit linguæ doctus Grajæ, atque Latinæ,
  Si non Auriſpa eſt hic, periiſſe velim.
Quiſquis in hoc mecum non ſenſerit, arbiter æquus
  Non fuit, aut certè Zoilus ille fuit.

ELEGIA

AD JOANNEM LAMOLAM


Quod lacrimis Elegiæ motus fractuſque ex Bononia nequiverit recedere.

Deſine me placida verbis abducere terra,
  Deſine me domina diſſociare mea.
Vera mones fateor; pulchreque adducis Ulixem
  Fortiter equoreas deſeruiſſe Deas.
Fugerit & flentem dux ut Trojanus Eliſam,
  Multa licet ſurdo ſpondeat ipſa proco.

Addis ad hoc etiam, quod non ornatius ipſe
  Tullius, aut gravius ſcripſerit ipſe Plato.
Denique quod poſſit firmos mutare Epicuros,
  Aut ſi quod toto firmius orbe fuit.
Me quoque mutaras, noſtra de mente puella
  Deciderat, muros linquere mentis erat.
Tum ſubeunt noſtri præſignia Cæſaris acta,
  Quæ modo militia, quæ modo pace gerat.
Quin & Mœcenas obverſabatur ocellis,
  Quem Diis perſimilem ſæcula noſtra ferunt.
Tum ſimul heroicos verſus meditabar & ignes,
  Atque elegos animo deſtituiſſe fuit.
Senſit Amor mentem noſtram, retulitque puellæ,
  Quis divum fruſtra numen habere poteſt.
Flens Elegia venit ſic noſtra puella vocatur,
  Tum primum noſtros vidit amica lares.
Gratia magna tibi ſit, Lamola; tu facis ad me
  Tu facis ad thalamos iverit illa meos.
Bella prius fuerat, bellas ſuperabat & omnis
  Tum faciem, vel ſe vincere viſa mihi eſt.
Induit ad vires, vultus Elegia Dearum
  Sive tuos Juno, ſive Diana tuos.
Facta eſt ſplendidior facta eſt renidentior ædes,
  Adriſit paries adveniente Dea.
Sicut eram monitu flexus, & certus eundi
  Adſtitit, & noſtro tabuit illa ſinu.
Non potuit primo, quamvis bis, terque, iterumque
  Atque iterum fuerit nixa puella loqui
Pro verbis lacrimæ, lacrimæ pro voce fuerunt,
  Quale Dei magni pondus habent lacrimæ!
Nam me flexerunt, quamquam potuere quadrigas
  Solis, & irati ſiſtere tela Jovis.
Mens mihi mutata eſt; heroum geſta valete
  Mœcenaſque tua cum probitate vale.
Vos quoque grandiſoni longe procul ite coturni
  Poſſidet ingenii jus Elegia mei.
Utque elegi imbelles nobis ſine fine placerent,
  Lux mea de tali carmine nomen habet.

Qui potuit primum dominæ contemnere fletus
  Quiſque fuit, vere ſaxeus ille fuit.
Ferreus Æneas, de tygride natus Ulixes,
  Durus Virgilius, durus Homerus erat.
Scilicet humano, mollique ex ſanguine natus
  Non hominum movear luctibus & crucier?
Qui tribuit lacrimas homini Deus, inde fatetur
  Ex lacrimis, quo vel mollia corda dedit.
Deſine me placida verbis abducere terra,
  Deſine me domina diſſociare mea.
Poſtquam mens rediit nymphæ; ſic pauca locuta eſt,
  Pauca ſolet ſemper, ſemper honeſta loqui:
I, ſi certa tuos perſuadet cauſa receſſus,
  Sed me poſthabitum mox obiiſſe puta.
Si ſteteris, vivam, ſin ibis, luce relinquar,
  Jura meæ vitæ, juraque mortis habes.
Vix dum finierat, cum quam molliſſimus inquam:
  Crede mihi, non eſt cur vereare necem.
Enecer ipſe prius, certe prius enecer optem,
  Quam tibi vel minimi cauſa doloris eam.
Lætus agam tecum, ſine te mihi nulla futura eſt,
  Si qua futura, tamen mœſta futura dies.
Tu mihi, tu certe jucunda, & ſola voluptas,
  Tu mihi delicium, tu mihi dulce decus.
Tu das ingenio vires, tu ſuggeris œſtrum,
  Et vates natum relligioſa colis.
Deſine me placida verbis abducere terra,
  Deſine me domina diſſociare mea.
Jamque oculis nymphæ triſtis defecerat humor,
  Præſtiterat dictis credula nympha fidem.
Inque meos vultus nitidos erexit ocellos
  O oculos oculis ſidera viſa meis.
Dicite, dii, veſtrum, cui deſunt lumina? certe
  Furata eſt oculos noſtra Elegia Deis.
Illic inſidias, illic ſua tela cupido
  Luxurians, illic retia tendit amor.
Quidquid olent violæ, ſpirant opobalsama quidquid,
  Tale quid ex bucca noſter olebat amor,

Jam modo non Arabes mercator, ne petat Indos
  Hic quid in Eoo littore quærit, habet
Linquat apis flores, os ſuggat & hujus, ab inde
  Mella nec hibleis deteriora dabit.
Deſine me placida verbis abducere terra,
  Deſine me domina diſſociare mea.
Non hac una Venus, non unus in urbe Cupido eſt,
  Sunt centum, non hac unus in urbe Deus.
Hac etſi innumeri ſint urbe Deique, Deæque,
  Sola mihi facie bella Elegia placet.
Atque adeo grata eſt, quantum nec grata Catullo
  Lesbia, nec Gallo grata Lycoris erat.
Sunt hic præterea veteres, fidique ſodales,
  Sanctius hic meus eſt, hic Farafalla meus.
Ergo vale, & noſtro ſcribis, ſiquando Guarino,
  Quam ſalvum noſtro nomine redde virum.



L U-

LUCII BELLI

De utroque M. ANTONIO, pugnante apud Actium.

NOmen idem, patriumque ſolum, certaminis idem
  Eſt locus: eſt claſſis par, animique vigor.
Exitus at non par, hic vincit: vincitur ille.
  Cur? hic opem ſenſit cœlitus, ille minus.
Hunc etenim pietas, illum ſcelus impulit: atque
  Hunc tu commendas, ô Pie ſumme, Deo.

PETRI BEMBI
VENETI.

Paſtorum Chorus.

PAſtores tua turba te rogamus,
Seu tu nomine Pan arundinator,
Seu Faunus dubii potens futuri,
Barbatus, capripeſque, cornigerque,
Seu malis pater Incubus vocari;
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
En jam ver redit, & dies rebellem
Paulatim ſibi vendicat teporem:
Jam collis viret, & ſinu ſoluto
Florentes tibi porrigit geniſtas,
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Nunc annus puer, & tenellus orbis:
Nunc ſol purior, & colora tellus:
Nunc ludit Venus alma: nunc ſorores
Feſtas Gratia poſcit ad choreas.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Novum montivagæ thymum capellæ
Tondent, & cytiſi comam, arbutique
Paſcunt purpureos oves per agros;
Et pugnam cupidi cient mariti.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Nunc ô nunc opus eſt, Pater, volenti
Adspires genio, & gregem reviſas,

Dum liber ſtabulis: tibi dicatum
Ne qua ſors populum gravis fatiget.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive noſtras.
Tu fures avidum genus coërce:
Tu morbos abige atra ſævientes:
Tu bellum jubeas bonus, famemque
Ignotis procul exulare terris.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Defendat ſaturas nemus capellas:
Fida non egeant oves canum vi:
Audaces lupus inter erret agnos:
Cumque hœdis Libyci accubent leones,
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Abſit fraus ſcelerum comes, ſuoque
Se livor miſer imbuat veneno:
Et lis cedere diſcat, & ſolutam
Devinctus metuat furor quietem.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Sit pax candida, ſit beata, plena
Pomis copia frugibuſque cornu.
Qualis cum poſitum recenter orbem
Saturnus Jove ſanctior regebat.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Audis nos Pater? an novam per agros
Suſpiras Venerem, & preces recuſas?
Ah cur nos fugis? hi tui poëtæ:
Hæc olim tibi ducitur chorea.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare. Dive, noſtras.
Scimus quid ſit amor, quid obſtinata
Defigit tacitum jecur ſagitta,
Adſis tu tamen, ipſe dum laboro
Cœpti carminis explicare penſum.

Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare, Dive, noſtras.
Et ver pulvereum, humidam & vehat Sol
Æſtatem pecori laborioſos
Neu laxet pluviæ, vel impotenti
Sidus ubera comprimat calore.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tuerare, Dive, noſtras.
Tum fons vitreus, & perennis unda
Feſtinans placido ſonet ſuſurro,
Quo ſitim veniat, meridiemque
Umbroſâ pecus elevare ripâ.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive noſtras.
Gregi hæc poſcimus: at gregis magiſtros
Præſens perpetuâ leves juventâ,
Quam luſus comitetur, & voluptas,
Et nudos Venus oſculans Amores.
Paſtores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive noſtras.
Sic te nec fatuæ petant puellæ:
Nec nymphæ fugiant meticuloſæ,
Dum feſſæ gelidi nemus Lycæi,
Et gratum tibi Mænalon reviſunt.

Faunus ad Nymphas.

Dicite cur noſtros Nymphæ fugiatis amores:
Quid Faunus, quo ſic deſpiciatur habet?
Cornua ſi mihi ſunt; ſunt & ſua cornua Baccho:
Inque ſinus vocat hunc Creſſa puella ſuos.
Ignea ſi frons eſt; an non frons ignea Phœbo eſt?
Hoc tamen eſt Clymene facta parente parens.
Barba riget ſuffuſa genis? dedit improba ſæpe
Oſcula barbato Deianira viro.
Intonſo, denſoque tegor præcordia villo?
Nil ideo Marti eſt Ilia queſta ſuo.
Capripedem arguitis: quid claudo turpius? at tu
Nupſiſti claudo, Cypria pulchra, Deo.

De-

Denique ſi qua meæ pars eſt non bella figuræ,
Exemplum a cœlo, quod capiatis, habet.
Sed vos nimirum mortalia facta ſequutæ,
Omnis quando auro conciliatur amor,
Paſtorum, & pecoris tenui cuſtode repulſo,
Quæritis a magnis munera magna Deis.

Jolas ad Faunum.

Mollibus Alcippe vernantia ſerta geniſtis,
Collis ab uſque jugo fert tibi, Faune, ſui.
Ut vidi, huc amens ſummo de monte cucurri:
Adſpice, perculſo quam tibi corde loquor.
Nunc adeo, ſi ſæpe tuos cantavimus ignes,
Adfer opem flammæ tu quoqe, Dive, meæ.
Formoſi cum te floris velabit honore,
Hæc illi dicas, ut tua verba precor:
Alcippe miſerum faſtu quæ perdis Jolam,
Teque ſimul tacito fallis inepta dolo,
Munera, quæ portas, bene ſi tibi nota fuiſſent,
Damni te poterant admonuiſſe tui.
Nec refloreſcunt, quæ jam cecidere, geniſtæ:
Nec redeunt, qui jam preteriere, dies.
Quod ſi nulla mei tangit te cura Poëtæ,
Ah ſaltem formæ parce puella tuæ.

Theſtylis ad Faunum.

Theſtylis Alconis lectum preſſura mariti,
Numinis & cultus ſemper amica tui;
Ipſum, Dive, ſuæ tibi virginitatis honorem
Solvit, adhuc nulli vincula tacta viro.
Utque ea zona tuam pinum complexa tenebit,
Sic ſe animo, ſic ſe vinciat ille rogat.

Daphnis

Daphnis ad Faunum.

Hac tibi, Faune, tua quæ pendet fiſtula pinu,
  De victo grates Thyrſide Daphnis agit.
Quod ſi etiam illius dederis ſuperare magiſtrum,
  Cædetur feſtis alba capella tuis.

Galatea.

Pana Deum Siculi per iniquas littoris undas,
  Eludit tarda dum Galatea fuga;
Seque adeo ſpe provectus, ſtudioque ſequendi,
  Plus medium infido tingueret ille mari;
Quo fugis ô Galatea? mane, mane ô Galatea:
  Non ego ſum, dixit, non ego, Nympha, Cyclops,
Qui flavum avulſis jaculatus rupibus Acin,
  Sævitiæ liquit triſtia ſigna ſuæ.
Paſtorum pecoriſque Deus, cui garrula cerâ
  Prima dedit varios fiſtula juncta modos;
Quem gelidi frondoſa colunt pineta Lycei,
  Lætaque Mænalio Parrhaſis ora jugo.
Unam de cunctis te diligo Neptuninis:
  O Galatea mane, ô jam Galatea mane.
Ille loquebatur; fundo declive maligno
  Littus erat: greſſum non tenuere pedes.
Sed pelagi dum cæca urget malè cautus, & inſtat,
  Qua refugit pendens, ſubtrahiturque ſolum,
Labitur, & ſummas dorſo convertit arenas:
  Labentem intortis obruit unda fretis:
Utque Deam, Galatea iterans Galatea, vocabat,
  Impleruntt tenues ora vocantis aquæ.
Tum primum latices epotaviſſe marinos
  Pana ferunt, ponti nec latuiſſe Deum:
Sed quia Nereidas ibat vexare puellas,
  Offenſum fluctus non tenuiſſe ſuos.
Ergo illum nandi inſuetum glauca excipit alto
  Unda ſinu: exultant irrequieta vada.

Mar-

Marmora ter ſuperare manu conatus amara,
  Ter circunfuſis eſt revolutus aquis.
Nympha Dei lapſum cupidis ſpectarat ocellis,
  Gratior & pulchro riſus in ore fuit.
Spectarant, ſparſi ut ſteterant per littora, Fauni,
  Pan comites Fauni, grataque turba tua,
Et mixtus Faunis, cordi cui ſemper amores
  Nympharum, & querulo tibia rauca ſono,
Incubus, & Satyri, & coniferæ Silvanus
  Arboris agreſti cinctus honore caput.
Qui ſimulatque ipſum gentis videre parentem
  Pana ſub impuris mergier æquoribus;
Nympha redi, Galatea redi, neu deſere amantem,
  Ingeminant omnes, candida Nympha, redi.
Ah tantum ne admiſſe tuis ſit dedecus undis;
  Quod taceant nulli poſt Galatea dies:
Ingeminant Divi: clamoribus icta reſultat,
  Arida pumiceum qua lavit Ætna pedem,
Illa metum fallax ſimulare, & tendere in altum,
  Et vanas ſurda rejicere aure preces:
Quo magis ii triſtes mœſti verſare querelas,
  Et pelagi expertes dicere amore Deas.
Pectora pars pulſare manu, pars currere in undas.
  Cedit, & argutos tardat arena pedes.
Omnia quæ obliquo lente nans reſpicit ore,
  Unaque tot gaudet fallere Nympha Deos.
Utque ſatis luſit, certe ſat luſimus, inquit,
  Succeſſuque mei non caruere doli.

Leucippi & Alconis tumulus.

Fer caſiam & flores, & odori balſama trunci,
  Quanta ſuper tumulos integat umbra duos.
O Pan Pan, periere tui Leucippus & Alcon:
  Fer caſiam, & plenâ balſama carpe manu.
Carpe manu flores, ipſaque volente Thaliâ.
  Nympharum ſectis ſparge ſepulchra comis.
Illi proh, tantum quos tu laudare ſolebas,
  Muſa quibus cordi, ſemper Amorque fuit,

Proh

Proh facinus periere: nec eſt revocabile damnum:
  Adſpice, compoſito ferur uterque rogo.
O Pan Pan, ſeu te gelidi montana Lycei,
  Seu tenet umbroſo Mænalis ora jugo,
Huc ades, & tepidam lacrimis reſperge favillam:
  Dedecet hîc lacrimas continuiſſe pater.
Ipſa Venus flevit: teneri fleviſtis Amores:
  Fleverunt Dryades, Nereideſque Deæ.
Phœbus adeſt, repetenſque ſuos mala fata poëtas,
  Vexat flebilibus ſaxa, nemuſque modis.
Atque ait hæc: periere mei Leucippus, & Alcon:
  Eſtque adeo, qui me numen habere putet?
En facinus rapuere meos mala fata poëtas:
  Quaque ſequar raptos, non datur ulla via:
Quos alui, quorum ipſe pio cantabar ab ore,
  Et dederam laurum crinibus ire meam.
Sume fidem; cornu celeres intende ſagittas.
  Nimirum ut fugiant te bona prima tua.
Rumpe fidem; cornu celeres infringe ſagittas:
  Nominis illa tui gloria, Phœbe, jacet,
Nymphæ, terrarum præſentia numina Nymphæ,
  Quæ colitis Thuſci littora curva maris,
Phœbus ego: Phœbi teſtes eſtote doloris:
  Quamquam etiam veſter debuit eſſe dolor.
At vos ulla mei tangit ſi cura doloris,
  Quamquam etiam veſter debuit eſſe dolor,
Paſtores tumulo Phœbi decorate poëtas,
  Et memorem in tumuli cedite fronte notam:
Hîc geminæ Phœbi curæ, Leucippus, & Alcon,
Paſtores ovium, paſtorum & uterque magiſtri.

Ad Lucretiam Borgiam, Ferrariæ Ducem.

Tempore, quo primam miſcens fluvialibus undis
  Lapetionides rite animavit humum,
Scilicet hac teneras oneravit lege puellas
  Natura, in noſtris parca, tenaxque bonis;
Ut ſpeciem & claræ ferret quæ munera formæ,
  Ingenii nullas quæreret illa vias:

Quæ-

Quæque animi decus indueret, cultumque per artes
  Pectus Apollineas, ingeniumque ferax,
Illa ſibi nullum formæ ſperaret honorem,
  Atque omnes pacto juſſit adeſſe Deos.
Plurima cumque novo creviſſet femina mundo,
  Eventus certam ſuſtinuere fidem.
Namque ut habent mala rura valentes ſæpe colonos,
  Pigraque qui bonus eſt, otia ſentit ager:
Sic non formoſæ cultu nituere puellæ;
  Et quæ pulchra, eadem deſidioſa fuit.
Prima meum atque ævi ſidus ſpectabile noſtri,
  Tantum animo, quantum Borgia fronte micas:
Et tibi cum facie non certet Agenore nata,
  Non Helene Idæo rapta Lacæna Pari:
Te tamen in ſtudia, & doctas traducis in artes,
  Nec ſinis ingenium ſplendida forma premat,
Sive refers linguâ modulatum carmen Etruſcâ;
  Crederis Etruſco nata puella ſolo.
Seu calamo condis numeros & carmina ſumpto:
  Illa novem poſſunt ſcripta decere Deas.
Nablia ſeu, citharamve manu percurrere eburnâ,
  Et variâ Ogygios arte ciere modos:
Seu revocare Padi vicinas cantibus undas,
  Mulcentem dulci flumina capta ſono:
Seu te nexilibus juvat indulgere choreis,
  Et facili ad numerum ſubſiluiſſe pede:
Quam timeo, ne quis ſpectans hæc forte Deorum,
  Te prædam mediâ raptor ab arce petat,
Sublimemque ferat levibus ſuper æthera pennis,
  Detque novi cœlo ſideris eſſe Deam.
Quidquid agis, quidquid loqueris, delectat: & omnes
  Præcedunt Charites, ſubſequiturque Decor.
Ipſe Decor ſequitur: ſed ſi modo vera fatemur,
  Heu mihi, quam multis eſt decor ille malo.
Nam minus Ætneas vexant incendia rupes,
  Quam quibus eſt facies, Borgia, nota tua:
Nec facies modo, ſed docti quoque pectoris artes:
  Ah pereat, ſi quem forma ſine arte movet.

At-

Atque ego, qui miſeros olim ſecurus amantes
  Ridebam, & ſævi regna ſuperba Dei,
Spectabamque mari laceras de littore puppes,
  Nunc agor in cæcas naufragus ipſe vias.

Amica ad Gallum.

Galle, meum ſidus, mea lux, mea ſumma voluptas,
  Quo levis ille tuus tam cito fugit amor?
Luſibus ut metam cupias imponere noſtris,
  Teque meo properes eripuiſſe ſinu?
Siccine tot noſtri de te meruere labores,
  Et mea non ullo crimine læſa fides?
Hæccine tu nobis olim promiſſa dediſti,
  Juratus Paphiæ Numinâ magna Deæ,
Cum te numquam aliâ caliturum, Galle, puella,
  Sed fore dicebas tempus in omne meum?
Heu male conſultas, veri quæcumque putamus
  Ullius in verbis pondus ineſſe viri!
Et miſeras, quæ more meo vitamque necemque,
  Atque omnes ponunt ſpes in amante ſuas!
Nutat ut in ſummis vento leve culmen ariſtis,
  Fluxa labat veſtro ſic in amore fides:
Utque undam premit unda ſequens, pellitque priorem
  Sic vos uſque novus verſat & urget amor.
Atque ita tu, bone Galle, novo male captus amore,
  Quâ me deſtituas, pergis inire viam.
Interea ficto velas tua crimina vultu,
  Accumulaſque malis perfida facta dolis:
Quæque potes melius campo committere aperto,
  Bella, per inſidias diſſimulata moves.
Nam mihi nulla facis querulâ convicia linguâ:
  Nec rapit ira meas ungue notare genas.
Ac neque turbatos abſtergere flentis ocellos,
  Figereque abſterſis oſcula luminibus,
Nec piget illapſos fronti componere crines,
  Et dare compoſitæ florea ſerta comæ:
Atque illos laudas, atque hanc, & colla, manuſque,
  Exiguoſque pedes, virgineumque latus:

Ut-

Utque prius, videorque tibi te digna, proborque,
Meque tuos oculos, corque, animamque vocas.
Sed te jam totam culpari, Galle, per urbem
Fingis, & a populo non bona verba pati,
Plus æquo facilem quia des te ſemper amanti,
Meque animo nimium pepertiente feras;
Quælibet & præſto venias in juſſa, nec umquam
Abſcedas lateri longius ungue meo:
Quoque tui plures atavi geſſere triumphos,
Et proprio quo plus ipſe decore micas.
Hoc, inquis, magis indignum, & deforme videri,
Te Veneris laqueis implicuiſſe caput,
Atque dies totos dominæ parere puellæ,
Quæ tua femineo ſub pede colla premat.
Hæc mala ne ſerpant, curam te velle parumper
Nominis, & famæ dicis habere tuæ.
Iſta tui nova cura venit tibi nominis unde,
Me niſi quod miſeram linquere, Galle, paras?
Namq; in amore movent propriæ quē incommoda vitæ,
Quique poteſt famæ damna timere ſuæ;
Atque novas leges mœrenti dictat amicæ,
Subtrahit hic laxo jam ſua colla jugo:
Quoſque canit titulos, ſpecioſaque nomina rerum,
Diſſidii cauſas quærit habere ſui.
Æneas donec miſeram dilexit Eliſam,
Fatorum, & nati mentio nulla fuit.
Sed ſive ille novam muris præcingeret urbem,
Hærebat Phrygio pulchra Libiſſa viro:
Seu vexare feras curſu, jaculiſque pararet,
Vecta comes celeri Sidonis ibat equo:
Seu daret e ſolio populis ſua jura vocatis,
Jura ſimul populis quæ daret, uxor erat.
Verum ubi ceſſit amor, tum ſpe ſurgentis Juli
Ducitur, & fatis lintea danda putat.
Tum videt intrantem muros, & multa monentem
De Majâ genitum, de genitumque Jove:
Oſtia tum Lyciæ Tiberina capeſſere ſortes,
Grynæaque jubet cultus in æde Deus:

Et

Et patris Anchiſæ in ſomnis ſuperurget imago,
  Debita Trojanis Itala regna ſequi.
Galle, adeo non ora gerit mendacia, cujus
  Legitimi pectus æſtuat igne Dei.
Albis nigra bonus confundere neſcit amator,
  Vertereque ambigua faſque nefaſque viâ.
Tam purum nihil eſt, veri quam ſenſus amoris,
  Indigeatque ullâ quod minus artis ope.
Ille nihil didicit fictis componere verbis,
  Qui, quod amat, certâ novit amare fide:
Nec quærit furtis, bene ſed placuiſſe merendo,
  Et tantum pollens ſimplicitate ſuâ eſt.
Adde quod eſt amor ipſe puer, nec convenit illo
  Verſutum pectus militis eſſe duce.
Utque Deus nullo velat ſibi corpus amictu,
  Sic nudis animis vult ſua bella geri:
Quemque videt non inſidiis, non artibus uti,
  Hic bonus eſt inquit miles, eritque mihi.
At contra incerti, & malefidum vulgus amantes,
  Illita felle malæ pectora fraudis habent.
Nam ſemper magnis ſe dicunt ignibus uri,
  Ardet ut in ſummo Sicelis Ætna jugo.
Sed modo ſe patriæ, modo ſe cauſſantur amicis,
  Nunc dare principibus, imperiiſque diem.
Nunc famæ ſpectare viam, nitique per ora
  Ire virûm, atque aſtris inſeruiſſe caput,
Dum fallant aſtu miſeras, perdantque puellas,
  Quos inter magnum tu quoque nomen habes.
Atque utinam vanis in te, mea vita, querelis
  Invecta, & falsâ dicerer uſa notâ:
Conſtantique fide tu nos, ut fingis, amares,
  Adverſi ferrent nec mea vela Noti.
Sive tamen noſtri perſtas in amore fideque,
  Arceſſis propera cur mea fata via?
Seu tuus ille prior menti deferbuit ardor,
  Ah cur me miſeram linquere, Galle, paras,
Quæ te uno ſemper colui male ſana tenore,
  Quæ ſum per longas uſque ſequuta vias?

Ipſa

Ipſa quidem non defugio tua juſſa, nec ulla
  Parte tuus nobis diſſimulatur honos.
Sed cave, ne titulos dum vis augere; perempta
  Infirmet laudes una puella tuas.

Ad Lygdamum.

Heu diverſa tuis quam ſunt mea, Lygdame, fata:
  Ut nos non uno verſat in orbe Deus!
Tu, quod amas, crebro inviſis, longumque tuendo
  Ægrum animum, atque avidos paſcis amore oculos:
Et lateri admiſſus jucundos ore ſuſurros,
  Pendulus, & fragrantem excipis ore animam:
Summa vel auratæ ſuſpendis baſia mitræ,
  Dum loqueris vacuam blandus ad auriculam:
Levibus aut raptum digitis, teretive lacerto,
  Molle decus domina non renuente geris:
Et trahis a prima ſerus convivia nocte,
  Dum Sol frenatos ad juga poſcat equos.
At mihi longinquæ genteſque urbeſque petuntur,
  Ut toto a domina ſeparer orbe mea:
Et modo nimboſas mannis tranſmittimus Alpes,
  Saxaque vix ipſis exſuperanda feris:
Nec cæci nemorum tractus ſuſpectaque luſtra,
  Nec tradant noſtras flumina adaucta vias.
Interdum audaci vaſtum trabe currimus æquor,
  Velaque noſtra iidem venti, animamque ferunt
Qua tamen in terra eſt mea lux, convertor ad illam,
  Et fruſtra Eurydices nomen in ore meo eſt.
Atque ita conjunctorum animis, & amore duorum,
  Alteri adeſt ſemper quod cupit, alteri abeſt.

AD SEMPRONIUM,

A quo fuerat reprehenſus, quod materna lingua ſcripſerit.

Non quod me geminas tenere linguas,
Et Grajam ſimul, & ſimul Latinam,
Sempronî, reputem, mei libelli
Materna tibi voce ſunt loquuti.
Ut tanquam ſaturum hinnuloque, aproque,
Vilem juverit eſſe me faſellum:
Quod tu carminibus tuis venuſtis
Permirum tibi dixeras videri.
Sed famæ veritus malæ periclum,
Campo verſor in hoc loquutionis:
Quod dicam tibi quem proboque, amoque,
Quantum pignora vix amant parentes,
Ut cum noveris id, cavere poſſis.
Nam pol qua proavuſque avuſque lingua
Sunt olim meus, & tuus loquuti,
Noſtræ quaque loquuntur & ſorores,
Et matertera nunc, & ipſa mater;
Nos neſcire loqui magis pudendum eſt,
Quî Grajæ damus, & damus Latinæ
Studî tempora, duplicemque curam,
Quam Graia ſimul & ſimul Latina.
Hac uti ut valeas, tibi videndum eſt:
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumptu conſtruis & labore villas,
Domi te calamo tegas paluſtri.

BENACUS.

Te, Giberte, cano, purus dum templa ſacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes,

Sit

Sit modo non impar tanto ſub pondere, quæ me
Muſa vocat: nec eam ventura redarguat ætas,
Obſcuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum brevibus voluiſſe intexere chartis.
Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas,
Muſcoſo ſubter pendentia fornice tecta,
Atque Dei lætis implevit vocibus aures,
Adveniſſe diem, quo formoſiſſima terræ
Auſoniæ Verona ſacris, templiſque regendis
Demiſſum cœlo, & magnis virtutibus auctum
Acciperet juvenem, qualem vix ipſa petebat:
Forte pater gelido in luco, ſilvaque virenti,
Fontibus, & rivis cubito ſubnixus & urnæ
Jura dabat: cui carbaſei molliſſima fili
Stamina pingebant fuco, veſtemque parabant
Cæruleam, innumeræ nodis, ac retibus aureis
Collectos comptæ crines, tempuſque decorum,
Incinctæque auro ſuraſque ſinuſque fluentes,
Veſtibulo in thalami natæ, niveoſque lacertos
Nudabant operi, quo pulchro ex agmine Sirme
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque, Saloque
Reddebant: Sol æſtivos circumvagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo avidis allata Deus poſtquam auribus hauſit,
Promiſſoſque olim fatis ſibi lætus honores
Agnovit, tangens hærentem uligine barbam,
Demulcenſque manu, juſſit vicina vocari
Flumina: dein ſeſe placidum convexa ſub alta
Speluncæ ſenior ſolitaque in ſede recepit
Poſtera jam cœlo ſtellas noctemque fugarat,
Luſtrabatque dies multo terraſque fretumque
Lumine cum nitidis venit Ticinus in undis,
Piſcoſuſque altas involvens Lambrus arenas.
Venit & indigenis fecundans Ollius arva
Deductus rivis, & cultos Abdua campos
Amne ſecans, fulvo ripaſque interlitus auro.
Nec rapidus fluvioque Athcſis ſpectandus amœno

Deſuit, aut Patavi circumque intraque pererrans
Mœnia Meduacus triplici circumdata muro:
Mœnia, quæ poſitor pugnas, & bella peroſus
Muſarum Iliacus ſtudiis Phœboque ſacravit
Populiferve Padus genitor, qui flumina centum
Ipſe ſuo accipiens vaſto latiſſimus alveo,
Ubera terrarum curſu per pinguia lapſus
Portat, ſeque mari ſeptenis amnibus infert.
Quos tunc atque alios velatus arundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obvius, atque in tecta parentis ſaxea duxit,
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui ſimul ac udos poſuere ſedilibus artus,
Criſtallo rigida fultis, & jaſpide glauca,
Continuo Nymphæ menſas ante ora Deorum,
Speluncæ in medio niveis mantilibus apte
Conſternunt, dapibuſque onerant, Dictæaque plena
Vina ferunt referuntque manu, caliceſque madentes
Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis,
Purpureoque roſæ, Medorumque arboris albo:
Medorum quondam, ſed quæ nunc plurima lætas
Benaci veſtit ripas, non illa caduca
Fronde virens, ſuavique auras permulcet odore:
Poſt ubi prima quies epulis, Deus ipſe magiſter
Undiſonique lacus domitor, præſentia circum
Numina reſpiciens, his vocibus ora reſolvit:
Quod votis toties ne quidquam optavimus unum
Vobiſcum Divi, fauſto modo ſidere luces,
Vertentes luces fatorum orbiſque miniſtræ,
Advexere: vehit pleno bona copia cornu,
Largaque pomifera prætendit munera dextra,
Quare vos primo longævi a ſemine mundi,
In mare fluctiſonum prono labentia curſu,
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Flos etenim juvenum, longa formidine ſæcla
Perdita qui ſolvat, quique agglomerata malorum
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipſi,
Bactra ultra, Thylemque ultra, Scythiamque releget,
Qui-

Quique urbes, quique arva colat, Jove miſſus ab ipſo eſt
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Hic primum miſeris viduatas civibus urbes
Accipiens, vacuoſque ſuis cultoribus agros,
Replebit numerum exæquans augenſque priorem:
Oppidaque ingenti multum quaſſata ruina,
Proſtratiſque ſolo latè mœrentia tectis,
Reſtituet, pulchroque dabit ſplendeſcere vultu.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Magno namque pii juvenis devinctus amore
Etruſcus pater, excelsas qui Tibridis arces
Poſſidet, & nutu Romanum temperat orbem,
Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenii monumenta, & ſancti pectoris artes
Suſpiciens, obitoſque invicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permiſit habenas.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Quid memorem ut tener & primæ ſub flore juventæ
Ingentem ad ludum properaverit auſpicibus Diis:
Indole dein quanta nixus, quàm fortibus auſis,
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut ſcopulus fluctus ſaxo excurrente marinos,
Sic undas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu caſus victos ſuperaverit omnes.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Verſantem, luctantis equi cùm frangeret armos,
Præcipitanſque viam obſtrueret torrentibus imber.
Pœninas vel per fauces, tractuſque volantem
Aërios, ſummo miſeratæ e vertice Nymphæ
Optavere graves cohiberent nubila nimbos.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti,
Aſtitit unigena proles Jovis, ut bona mater:
Ut mater bona, quæ caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem ſe ſe addere caſus.
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis:
Ipſe meas artes jam nunc tibi, dixit, habeto.

Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Teſtis adeſt triplices magnas diſcreta per oras,
Fluviorum nemorumque ferax, pecudumque virumque
Gallia, non auri, pictæ non indiga veſtis:
Diverſoſque jugo ad ventos, interque cadentem
Surgentemque diem longo protenta Pyrene,
Altis quæ geminas deſpectat frontibus undas.
Tum dictis, factiſque potens illa inclyta bello,
Lataque, & in latas Hiſpania diſſita terras.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Hæ nam te inſolita orantem, averſaſque ſuorum
Flectentem regum mentes, Giberte, videbant,
Acceptos converſa ſonos cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Teſtis & Adriacus, parvo qui flumine Rhenus
Lambit humum: teſtis Thuſcis haud maximus undis
Major prole virum, & divinos Arnus honores
Promeritus, cœlum Diviſque recentibus augens,
Pulchros qui colles, pulchramque interſecat urbem:
Gens quorum imperio diſpar, nec legibus æqua,
Illius in ſtudiis jamdudum & amore quieſcit.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Tu vero tu, Roma, tui genus ecquod alumni,
Jam non curarum, non commemorare laborum
Una potes? tolle egregium per ſæcula nomen,
Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas
Quantum Trinacriæ vertex ſe ſuſtulit Ætnæ,
Aut cinctus ſtellis Atlas, aut Caucaſus ingens,
Tantum clara virûm Romæ ſe nomina tollunt.
Illa novos tibi Cœleſtum conceſſit honores
Antiquis cumulans, at tu præſentia ſæcla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Ecce tibi læto veſtit ſe gramine tellus,
Et tibi ſylva comas nutrit; tibi pabula ſurgunt;
Fecundus mites implet tibi pampinus uvas:

Pal-

Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum ſpiſſo quem rete trahant vel arundine longa
Flexivagus noſtris creſcit tibi piſcis in undis
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe quæ tibi Parnaſi de colle ſorores
Dona ferunt, ſacram lauri de fronde coronam.
Et plectrum, & citharam, ſcriptaſque ab Apolline chartas,
Æternum quas ediſcant, celebrentque minores.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nymphæ,
Luteolum calthæ florem, caſiamque virentem,
Liliaque, violaſque, & purpureos hyacinthos.
Haud porxiſſe prius poterant: bella horrida bella
Pertulimus, dulces & deformavimus agros,
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Ut cum lethiferos accendit Sirius ignes,
Rivus aquas, hortus flores, pratum invidet herbas;
Pallet humi nullo facies depicta c ore;
Ipſa ſuos ſitiens fœtus non educat arbos;
Intereunt fruges ſiliqua labente peruſtæ;
Arva colit nemo ſiccis arentia glebis,
Vomeris & durum non admittentia dentem;
Cuncta jacent nimio cœli contuſa calore:
Triſtia ſic noſtris aderant prius omnia terris.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
At poſtquam lætos effudit Juppiter imbres,
Rivus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas;
Ipſa viret tellus; ripæ, colleſque niteſcunt;
Dant ſegetem ſulci; nemus altas ſufficit umbras;
Poma ſuos curvant creſcentia pondere ramos;
Ruris turba Deam venerata ligonibus udam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos;
Cuncta vigent cœli fecundis roribus aucta:
Noſtras ſic jucunda manent nunc omnia terras.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
At vos in ſeptem diſcreti culmina montes,
Tuque pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo
Devehis, hunc olim vobis multoſque per annos

Sit ſatis ô tenuiſſe, meam mihi jam date partem:
Ipſe dabo multis, ne ſint mea gaudia ſola;
Et tandem noſtris juvenem concedite terris.

Pro Goritio votum ad Deos, quibus ædiculam exædificaverat.

Sancta, quibus propriam poſuit Goritius aram
Numina, perpetuoſque aræ ſacravit honores,
Humani columen generis, divina puella,
Ipſe ſibi legit ſummi quam rector Olympi;
Et tu divinæ genitrix auguſta puellæ,
Felix ſorte tua, felix natâ, atque nepote,
Æthereique puer magnum patris incrementum,
Arte boni quos egregia cœlosque Savini
Spectari, Pario & ſpirare in marmore fecit,
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite (ſi ſacrorum umquam pia carmina vatum,
Et caſtæ movere preces cœleſtia corda)
Reddite quæ poſco; mea nec ſint irrita vota:
Ut quos longa dies miſeris mortalibus olim
Advectat varios ſenio veniente labores,
Ægrum animum, & ſegnes effœto in corpore ſenſus,
Inque ſolum pronos vultus, nixiſque bacillum
Poplitibus, tardoſque gradus, tremebundaque membra,
Tum crebras lacrimis cauſſas, & dura ſuorum
Funera, & everſos mutata ſorte penates,
Quæque alia ex aliis paſſim mala conſternatas
Implerunt terras cupidi poſt furta Promethei;
Horum ille immunis totos centum expleat annos,
Auſpiciis Superi veſtris, & numine veſtro
Integer, ut nunc eſt, nec longæ damna ſenectæ
Sentiat, & carus patriæ, jucundus amicis,
Dives opum, Roma incolumi Latioque fruatur.

HYMNUS

AD DIVUM STEPHANUM.

Nam quæ te culpæ, & ſceleris tam dira cupido,
Infelix Solyme, & ſæclis damnanda futuris
Corripuit? tantas aut quis furor egit in iras?
Ut juvenem patris ætherei præcepta canentem,
Dicta tibi, & veterum referantem oracula vatum
Præſtanti eloquio, teque ad meliora vocantem,
Compita per mediaſque vias e mœnibus urbis
Illuſum expuleris: tum cæca perdita mente
Concurſu preſſum ingenti, ſaxiſque petitum,
Nudatos artus, ceu quondam grandine densa
Juppiter ingeminans terram quatit æthere ab alto,
Crudelis letho dederis nil tale merentem?
Ille quidem placido ſuſtollens lumina vultu,
Luſtrabatque oculis cœlum, intrepiduſque pericli
Laudabat Superos, & ſpe ſua damna levabat:
Cui ſe, quantus erat, manifeſta in luce videndum
Ipſe pater Divum dederat cum compare nato
Sublimis, medioque illi fulgebat Olympo.
Quin etiam extremo cum jam ſub fine laborum
Diſiectus duro frontem, & cava tempora nimbo,
Iret iter propius lethi, tamen hoſtibus ipſis
Pro ſcelere immani moriens, pro talibus auſis,
Ah veniam Superos animâ fugiente rogabat:
Placabat Superos hoſti jam frigida lingua.
Salve bis ſenis lectus parêre magiſtris,
Macte animo puer egregio, & præſtantibus auſis,
Macte nece, & veris magnum decus addite Divis:
Tu princeps ignominiam, plagaſque cruentas,
Et longum memoranda nepotibus aſpera fata
Magnanimi poſt Herois, quem candida partu
Cœlicolum regi tecto ſub paupere Nympha,
Non ullam Venerem, nulloſ experta hymenæos,
Ediderat patri flavas Jordanis ad undas,

Te-

Teſtis ades facti: ſacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferæ terram conſpergis Idumes:
Et pulchræ inſolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaude, frontem cinxiſſe corona:
Unde tibi grati nomen dixêre minores.
Te colimus, certo tibi tempore ſacra quotannis
Rite damus, & tura tuis imponimus aris.
Quod ſi ulla o votiſque hominum, precibuſque moventur
Numina, nec cunctis adeo ſtat perdere Divis
Auſoniam, populoſque Italos nomenque Latinum,
Atque mali prope jam confectæ mœnia Romæ,
Sancte veni, cœtuſque tuos, tuaque aurea templa,
Læti quæ feſta velamus fronde per urbes,
Dexter adi, placiduſque animis illabere noſtris:
Ac primum miſeris bellorum, & cædis amorem
Da pater exuere, & tercentum mittere in annos
Tigrimque Tanaimque ultra, & poſt ferre quietem
Sollicitos populi faſces, adjectaque regnis
Regna ſuper, validoque undantia milite caſtra;
Et pacem venerari, & mitia vertere duris:
Dein peſtes ſcelerum tantorum, atque agmine longo
Multa odii concreta modis mala ſemina diris,
Infectaſque diu labes, & crimina purga
Heu ſolito graviora, iraſque averte Deorum.

Armilla Aurea Lucretiæ Borgiæ Ferrariæ Ducis, in ſerpentis effigiem formata.

Dypſas eram: ſum facta, Tago dum perluor, aurum
Tortile Nympharum manibus decus: at memor olim
Eridani, auditaque tua Lucretia forma,
Heliadum ne te caperent electra tuarum,
Geſtandum caræ fluvius tranſmiſit alumnæ.

De Julio Puero, qui ſeipſum pinxerat in tabula.

Ut ſol, cum placidis ſemet depingit in undis,
At te ſic ipſo, picte puelle, micas.

Pe-

Pegaſus Equus paternum inſigne.

Græcia cùm celeres mihi Dædala fingeret alas,
Eſſe homines vobis dixit in aſtra viam.

Cum Cereis Albis dono Miſſis Bernardo Monacho.

Vivat in Euganea reliquum tibi lumen oliva,
Cera ſed in ſacris luceat alba tuis.

Camino inſcriptum.

Hanc niſi Phœbeo rapuiſſet ab orbe Prometheus,
Ars homini flammæ nulla nec uſus erat.

Coſmus Auyſius ad Petrum Bembum.

Mi Bembe, quando tam ſumus pauci, bonæ
Canant Camœnæ, gratulemur invicem
Nobis, & incitemus animos nobiles
Virtutis excellentis alta ad culmina,
Ne prorſus Helicon deſtitutus artibus
Pulchris, iniquo numine, amittat decus,
Nomenque noſtrum, o ſæculum inſulſiſſimum.
Quod centum Homeros aut Marones æſtimet
Vilis teruntii, per intereſt parum
Oppedere aut cantare ſurdis auribus,
Portenta quæ avertantur infelicibus
Lignis, & undis abluantur Tartari.

Politiani tumulus.

Duceret extincto cum mors Laurente triumphum,
Lætaque pullatis inveheretur equis:
Reſpicit inſano ferientem pollice chordas,
Viſcera ſingultu concutiente virum.

Mira-

Mirata eſt, tenuitque jugum: furit ipſe, pioque
  Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miſcebat precibus lacrimas, lacrimiſque dolorem;
  Verba miniſtrabat liberiora dolor.
Riſit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
  Orphei Tartareæ cum patuere viæ:
Hic etiam infernas tentat reſcindere leges,
  Fertque ſuas, dixit, in mea jura manus.
Protinus & flentem percuſſit dura poëtam,
  Rupit & in medio pectora docta ſono.
Heu ſic tu raptus, ſic te mala fata tulerunt,
  Arbiter Auſoniæ, Politiane, lyræ.

Galli epitaphium.

O fatis nimium duris exercita Roma!
  Ten' decuit toties ultima damna pati?
Ille tuus ſanguis Gallus, tua magna voluptas,
  Gallus Aventini gloria prima ſoli,
Gallus Muſarum, & Phœbi gratiſſimus hoſpes,
  Donavit citharâ quem pater ipſe ſua,
Et cinxere Deæ lauro, & dixere poëtam
  Melpomeneque ſuum, Calliopeque ſuum:
Cui lex, & bene ſuadus honos, rectique cupido,
  Et probitas cordi ſimplicitaſque fuit.
Candida cui ridebat hianti copia cornu,
  Et faciles Nymphæ, ſemicaperque Deus.
Mater & incanos ſpicis evincta capillos
  Implebat lætis meſſibus arva Ceres:
Cui Nar ſulfureus, nigra cui Farfarus unda,
  Et qui, Roma, tuas Fucinus auxit aquas,
Atque Almo, atque Anio, Tibriſque, paterque Numicus,
  Flumina juſſerunt largius ire ſua:
Delitiæ, mea Roma, tuæ, luſuſque leporque,
  Et ſpes, & ſenii remus, & aura tui,
Gallus, per quem oblita tuorum ex ante malorum,
  Occidit; heu ſine amore, & ſine lege Deos!

JULII II. Pontificatus Maximus.

Illa piis populis, mundoque accepta recenti,
  (Sub Jove cum nondum ferreus orbis erat,
Nec proſciſſa graves vertebant arva juvenci.
  Vinea nec lacrimas falce reſecta dabat:
Mella ſed aëriæ ſudabant roſcida ſilvæ,
  Et lac pro gelida flumen habebat aqua)
Nunc ô nunc redit ad primos bona Quercus honores,
  Quos habuit, mundi cum tener orbis erat,
Quercus glande ſua quæ quondam Heroas alebat,
  Cura Deum Quercus ſancta, piumque nemus.
Dignaque Cecropiæ pinguis cui ſilva Minervæ
  Cedat, & Herculeis populus apta comis:
Cedat & ipſa ſuo laurus Phœbeia luco,
  Inflexæque pedem Bacchica ſerta hederæ;
Vel myrti Veneris, vel Silvani cypariſſi,
  Vel quæ capripedi pinus amata Deo eſt.
Namque boni mores noſtro rediere ſub ævo,
  Ut primum poſito conſtitit illa ſitu:
Simplicitaſque inculta comam; rectique cupido,
  Et lex, & probitas, & ſine labe fides.
Nec redit ad primos tantum bona Quercus honores,
  Quos habuit mundi cum tener orbis erat:
Sed provecta ſolo nitidis caput inſerit aſtris,
  Quantum homines aluit, tantum alitura Deos.

Caroli Bembi fratris Epitaphium.

Qualis honos cœli, puro cùm ſurgit Olympo
Lucifer, & feſſis clarum caput exerit aſtris:
Tale decus te, Bembe, tuis mala fata tulerunt.

Herculis Strozzæ Epitaphium.

Te ripâ natum Eridani Permeſſus alebat,
  Fecerat & vatem Marſque Venuſque ſuum.

Inje-

Injecere manus juveni, & fatalia duris
  Stamina pollicibus perſecuere Deæ.
Uxor honorata manes dum conderet urna,
  Talia cum multis dicta dedit lacrimis;
Non potui tecum dulcem conſumere vitam:
  At jam adero amplexans te cinerem ipſa cinis.

Marci Antonii Gabrielis Veneti Epitaphium.

Demeſſam patriæ ſegetem creſcentibus herbis
Morte tua, venerande puer, ſpecimenque relinquis
Prœreptum genti morum & virtutis avitæ.
Te Patavi colles, vitrea te Silis in unda,
Te Veneti flevere lacus, terque Hadria vaſtum
Implevit gemitu mœrens & queſtibus æquor.

Philippi Beroaldi Minoris Epitaphium.

Felſina te genuit, colles rapuere Quirini,
  Longum audita quibus Muſa diſerta tua eſt.
Illa dedit rerum domino placuiſſe Leoni,
  Thebanos Latio dum canis ore modos.
Unanimes raptum ante diem flevere ſodales,
  Nec Decimo ſanctæ non maduere genæ.
Quæ pietas, Beroalde, fuit tua, credere verum eſt
  Carmina nunc cœli te canere ad citharam.

Scythæ Poëtæ Feltrini Epitaphium.

Scythæ oculos clauſit Phœbus, flevere ſorores:
  Fleverunt Charites, funera duxit Amor.

Certaldi Philoſophi Epitaphium.

Et terram, & cœlum ingenio Certaldus obibam,
  Quæque fuere aliis clauſa, recluſa mihi.

Lon-

Longolii Epitaphium.

Te juvenem rapuere Deæ, fatalia nentes
Stamina, cum ſcirent moriturum tempore nullo,
Longoli, tibi ſi canos, ſeniumque dediſſent.

Leonici Epitaphium.

Naturæ ſi quid rerum te fortè latebat,
Id legis in magno nunc, Leonice, Deo.

Teleſillæ Epitaphium.

Quid mors tam pulchram rapuiſti dura puellam?
Numquid, me miſerum, te quoque tangit amor?

Catelli Epitaphium.

Nil tibi non dominus tribuit, Bembine Catelle,
A quo nomen habes, & tumulum, & lacrimas.

Fictum pro antiquo.

Ælia natorum maneſque ſequuta mariti,
Uſa ſua jacet hîc Septimiana manu.
Vir Turrinus erat, cum quo tria luſtra peregit,
Jurgiaque in ſancto nulla fuere toro.
Binaque de primo ſuſcepit pignora partu,
Dein natam matris ſpemque, metumque ſuæ,
Crudeles divi, proles adoleverat, at mors
Injecit tetricas perviolenta manus.
Poſt quæ mœrentem, ne quid ſupereſſet amanti,
Abſtulit orbatæ proxima luna virum:
Quem ſimul ac flamma vidit lambente cremari,
Ergo ibis, tecum nec tua, dixit, erit?
Eripies mihi tu numquam hoc fortuna: licebit
Hoc ſaltem invita te potuiſſe mihi.

Di-

Dixerat, & ſtricto fixit ſua pectora ferro:
  Sic moriens caro nunc quoque juncta viro eſt.

Jacobi Sincerii Sanazarii Epitaphium.

Da ſacro cineri flores: hic ille Maroni.
  Sincerus Muſa proximus ut tumulo.

Lucilii Bembi filii Epitaphium.

O multum dilecte puer, quæ dura parenti
  Fortuna invidit te ſupereſſe tuo?
Quam producebam lætus te ſoſpite vitam,
  Erepto pejor morte relicta mihi eſt.

Raphaëlis Urbinatis Pictoris Epitaphium.

Hic ille eſt Raphaël, metuit quo ſoſpite vinci
  Rerum magna parens, & moriente mori.

TRYPHONIS BENTII

ASSISIENSIS.

SAnguineos magnæ pueros duo lumina Romæ,
Par quibus in toto ſol videt orbe nihil,
Depereunt Latiæque nurus, juveneſque, ſeneſque,
In mediis ardet Tibris & ipſe vadis.
Tanguntur ſuperi invidia, Ganymede quod uno
Aſtra micent; jactet Roma ſuperba duos.

Ad Idmonem.

Fortunate Idmon, nemorum nova gloria Phyllis,
Nota tuis paſſim Phyllis arundinibus,
Dat catulum tibi habere, ipſæ quem ſæpe rogantes
Nec potuit Chloris ferre, nec Hippolyte:
Illa licet magnos attingat ſanguine Reges,
Sit potis hæc forma ſollicitare Deos.
Phyllida Dametæ ſit copia rara videndi,
At tu jam illius pignus amoris habes.

De ſe, & Aurora.

Fronte ego conſpiciens roſea, fulviſque decoram
Crinibus auroram, dum vehit illa diem,
Impetor, heu, pueri numquam placabilis arcu:
Omnis & e noſtro diffugit ore color.
Tumque Deum mœſto ſuſpiria corde trahentes
Alloquimur: tecum noſtra puella venit.

Fortunate ſenex ô tali coniuge, certo
  Nam repetit croccum tempore fida torum.
Aſt ego quid faciam infelix? ſunt atra miſello,
  Te ut videam mea lux, regna adeunda mihi.
Sors tua quam noſtra melior! te nocte reviſit
  Conjux, nec canum deſpicit ipſa caput.
Per te ingrata dies nobis ingrataque nox eſt,
  Quæ mi animum moriens ſurripis, atque animam.

De Clælia.

Dum fluvium vinclis tranaret Clælia ruptis,
  Hæc fertur mediis dicta dediſſe vadis:
Eſte boni, & ſi qua eſt pietas, vos, parcite fluctus,
  Quos, majora meis viribus auſa, ſeco.
Et tamen ut peream, moriens mox ſidera adhibo,
  Et veſtrum æternum mors mea crimen erit.
Quid non virgineus potuit pudor? unda receptus
  Ipſa Deo tutos non renuente dedit.
Tarpejæ probrum ſileas jam fama puellæ:
  Non poterat facto nobiliore tegi.

Quærimonia anſeris, quem ab arbore ſuſpenſum jaculis Romani petebant.

Quid benefacta juvant? quid vos ſervaſſe Quirites,
  Et Capitolini templa ſuperba Jovis?
En jaculis ſumma pendens ex arbore veſtris
  Poſtmodo victori præda futura petor.
Ergo non aliam tanta feritate decebat,
  Quam veſtri altricem ſanguinis eſſe lupam.

Ad Molſam.

Quas pedibus paſſim premimus nunc Molſa ruinas,
  Romulidum quondam tecta fuere patrum.
Quæque Deum eximios tunc teſtabantur honores
  Aurea templa, boum pascua facta vides.

Ad ſua cuncta hominum redeunt primordia noſtris
Temporibus Roma eſt, quod fuit ante Remum.

Epitaphium Molſæ.

Qui lepido veteres æquavit carmine Molſa,
Hîc jacet, ætatis maximus hujus honos.

Ex ipſius Molsæ præſcripto.

Quod Molsæ fuerat mortale, hac conditur urna,
Extruxere ſuis quam Aonides manibus.
Cœtibus at ſuperûm fruitur nitidiſſimus almis,
Itque comes magno ſpiritus Hippolyto,
Quem Medica de gente ſatum pulcherrima virtus
Extulit, & cœli templa tenere dedit,
Quemque unum ante omnes coluit, dum fata ſinebant,
Atque oculis vates prætulit ipſe ſuis.

FABII BENVOLENTII

SENENSIS.

De ALFONSO Neapolitano Rege.

POma quot Autumnus, quot verno tempore flores
Terra ferat gremio, narret; quot littus arenas
Spargat, & immenſo diſcurrant æquore piſces,
Qui cupit Alfonſi meritas percurrere laudes.
Hic & inacceſſas Libyæ penetravit ad oras:
Lotophagum gentem domuit, retulitque ſuperbum,
Urbibus everſis, & victo rege, triumphum.
Senſit & ipſe ferox Gallus quid dextera poſſet
Illius, Auſonia juſſus decedere terrâ.

Hic quamquam bello clariſſimus extitit heros;
Non minus excoluit Phœbum, Muſaſque ſorores.
Ergo jam duplici præcingi tempora fronde
Qui meruit, clari divino carmine Vates,
Pieridumque chorus meritis celebrate choreis,
Atque recurrentes laudetis ſemper in annos.

In hortum.

Non hic poma, truci quæ cuſtodita dracone;
  Nec quæ ſunt hortis, pulcher Adoni, tuis:
Sive per Elyſios quæ jactat Græcia campos,
  Seu quæ pingue ſolum divitis Alcyoni.
Hic tantum nigris hedera intertexta corymbis
  Spargitur, & Cypriæ myrtus amica Deæ.
Non deeſt umbra loco, viridi denſiſſima fronde,
  Et murmur vitreæ prætereunti aquæ.
Ite procul tetricæ torquentes pectora curæ,
  Et fugite, atque alias ante ſedete fores.
Hic tantum placidæ verſantur molliter auræ,
  Pax æterna, quies, ocia, blandus Amor.

O tu, qui modica tantum præcellis in arte,
  Ut tibi ſit manes jam revocare datum,
Adſpice perpetuo morientia membra calore,
  Fudit & ut vires impia flamma ſuas.
Alter eris mihi Cous, oriſque Epidaurius alter,
  Quos fecere novos ſæcula priſca Deos.
Affer opem miſero tum nec Phœbeia proles,
  Nec mihi Cous eris, Phœbus at alter eris.

FRAN-

FRANCISCI BERNII

FLORENTINI.

VOTUM.

SErvaſti ſemel incolumem ſanctiſſima Virgo
  Et per te dulcis reddita vita mihi eſt,
Arida cum miſeros febris depaſceret artus
  Exangues macie depopulata genas.
Mox etiam pellis diræ contagia peſtis,
  Qua prope contacta ſaucius occideram,
Auſonias olim cum debacchata per oras
  Veniſſet noſtram conſcelerare domum.
Servati toties vilem tibi diva tabellam
  Pro magnis votam reddimus officiis.

AMYNTAS.

Sederat argutæ paſtor Melibœus ad umbram
Ilicis, & medio pecudes collegerat æſtu,
Dumque ſimul pecus omne coactum forte jaceret,
Et leviter ſummas tantum decerperat herbas
Ipſe cava mœſtum modulatus harundine carmen,
Dum canit indignos Lycidæ paſtoris amores
Nequicquam, & ſparſas per inhoſpita rura querelas;
In numerum referebat eum nemora avia circum;
Colleſque, fluviique, & tutis antra latebris
Audivere, ſonant etiam nunc carmina ſylvæ,
Dicite vos nymphæ nemorum vos dicite nymphæ,
Et vidiſtis enim divæ, & meminiſſe poteſtis,
Quos ſaltus, quos non implevit vocibus agros

Infelix Lycidas lento dum indulget amori
Dum queritur, dum te crudelem dicit Amynta?
Namque ferunt, pueri Lycidas incenſus ut olim
Ignibus, hæc circum miſeris loca queſtibus implens
Errarit, triſtique animum ſaturarit amore.
Non illi pecudes curæ, non ruris amœni
Cultus erat, denſis horrebant ſentibus arva,
Et neglecta ſitu nequicquam armenta jacebant.
Ipſe puer viridi tum primum ætate juventæ,
Muneribuſque potens domini, non fletibus ullis,
Non precibus mœſti poterat miſereſcere amantis,
Ergo amens deſiderio languebat inani,
Nec jam quod ſperaret habebat perditus ultra.
Illum adeo Dryades, illum videre dolentem
Naides, & flevere diu, flevere bubulci,
Flevit & ipſe pater nimium formoſus Apollo.
Venit Amor, longum pertæſus corde dolorem,
Ecquis erit modus, o Lycida tibi vulneris? inquit
Non lacrimis ſaturatur amor, non frondibus hædi,
Non levibus ſegetes Zephyris, non imbribus agri,
Ille autem quid enim crudelibus improbe verbis
Proſequeris Lycidam, & morienti ſedulus inſtas?
Non tibi cum ſuperis tunc cum me, ſæve, petiſti
Res fuit, aut gravioris opus fuit impete teli,
Sic ovibus lupus inſidias, ſic mollibus agnis
Inſtruit, haud tauris concurrere fortibus audet.
Unum adeo, mihi quod ſuprema in morte loquendum
Reſtat, habe, & memori paſtores mente tenento,
Tempus erit fors, cum Lycidæ morientis egebunt
Paſtores (nec erit noſtræ tibi gloria mortis)
O nemora, o colles, o noſtri plena laboris
Arva valete, valete & vos armenta, gregeſque,
Veſter ego Lycidas quondam non ultimus inter
Arcadas intereo, tu funeris auctor Amynta es,
Dixit, & incubuit viridanti protinus herbæ
Feſſus, eum Nymphæ Cyllenides exceperunt
Pallentem, inque humeros flexa cervice labantem.
Olli tergeminæ nerant, jam ſtamina parcæ,
Jam

Jam medium Stygiis Proſerpina merſerat undis
Dilectum Muſis caput, & paſtoribus æque.
Non illi quiſquam cantu ſe contulit olim,
Non jaculo pedibuſve bonus, non arte paleſtræ,
Teſtes vos ſylvæ, vos o vaga flumina teſtes
Quantum amor & triſtis Lycidæ mors abſtulit agris;
At caſu concuſſæ animum morientis amici
Septem illum luces, totidemque ex ordine noctes
Ad tumulum prope Parthenium, & Sperchiadas undas
Naides ingemuere, tuleruntque annua dona
Florentes violas, & puri pocula lactis,
Et dixere, Amor o Lycida tibi cauſa ſepulchri eſt.
Jam vos o quicumque gregum per ſumma Lycæi
Cuſtodes, vitate, malum vitate furorem,
Nempe furor vobis Amor, & crudele venenum eſt,
Peſtis Amor pecudum, & cæcus dolor ille juvencas
In furias agit, ille truces in vulnera tauros,
Et macie pecus omne peremptum conficit ægra.
Hæc memini in ſylvis Melibœum forte canentem
Non ſemel, & querulis mulcentem verſibus auras,
Donec eum occiduo propior jam veſper olympo
Admonuit gregis, & ſeræ decedere nocti.

ELEGIA.

Ergo ego tranſactos intempeſtivus amores
  Cogor ab ingratis trudere numinibus,
In me mutato quæ nunc livore feruntur,
  Et dant rivali vota ſecunda meo.
Quod male cuſtodi veniens alienus abactor
  Abſtulerit prædæ gaudia longa mihi.
Et modo cum nulla eſt noſtro medicina furori
  Nitimur hæc ſtudio fundere verba levi.
At primum iratus longe ſiet ille Cupido,
  Et ſi quod noſtri numen amoris erat.
Quos indoctus adhuc nulla miſer arte fefelli
  Dum ſtaret medio tuta carina mari.
Ah nimium tuta peragebam tempora mente
  Ah quantum nocuit nil timuiſſe mihi.

Qualis Threicio paſtor ſecurus in Hæmo
  Compoſitum nullo claudit ab orbe greges;
Perque vias patitur nulla cum lege vagari
  Nec vigilat, nuda ſed requieſcit humo.
Dumque tenet turpis titubantia lumina ſomnus
  Infeſtus medias irruit hoſtis oves.
Sic mea quiſque videns in amore pericula diſcat
  Semper ſollicitis vivere luminibus.
Nil adeo tutum eſt quod ſi patientia præſtet
  Seu vi non poſſit, ſeu magis arte capi.

VOTUM.

Hanc quam cernitis hoſpites tabellam
Scriptam carmine non ſat erudito,
Olim cum mihi forte febris eſſet
Et lecto miſer uſque decubarem
Confectus macie periculoſa,
Vovi ſcilicet integræ ſaluti,
Olim ſi modo reſtitutus eſſem
Votum ſolvere Virgini parenti
Spectandum omnibus, omnibus legendum.
Hanc tu nunc ſuperi potens olympi
Regnatrix hominis parens, Deique
Virgo, quam celebri vocatione
Prædicant modo febrium potentem,
Hanc inquam tibi quidquid eſt tabellæ
Scriptam carmine non ſat erudito,
Pro voto face redditam precamur.

ANGELO DIVITIO.

Si qua fides uſquam mortalibus, Angele, habenda eſt
  Pro pietate animi, & moribus ingenuis,
Dum ſibi conſcia mens nihil aut feciſſe maligne,
  Aut dixiſſe ullo in tempore ſe meminit:
Sed ſanctam coluiſſe fidem, ſed fœdera ſancta
  Servaſſe, & ſanctas ſemper amicitias.

Debetur certè nobis hæc plurima apud te
  Pro pietate animi, & moribus ingenuis.
Nam quod perditus ante male flagraverim amore
  Et fuerim toto infamia nota foro.
Pro quo te caruiſſe, diuque ingratus abeſſe
  Debueram, & triſtes extimuiſſe minas.
Crede mihi fuit id fortunæ crimen iniquæ,
  Non morum, aut animi non ſatis ingenui.
Fortunæ omnipotentis apertum in corpora noſtra
  Inque animos late quæ gerit imperium.
Mergens fortia colla profundo vortice amoris,
  Et torquens cæcis corda cupidinibus.
Quæ licet oblitumque hominum, oblitumque Deorum
  Extremam prorſus me ingerit in rabiem:
Nulla tamen rabies fuit, aut vis effera tanti
  Quæ te te noſtro avelleret ex animo.
Te quem longus amor media in præcordia fixum
  Juſſit in æternos uſque manere dies.
Cujus amorem nulla injuria temporis umquam
  Aut hominum noſtro e pectore diſſoluet.
Quidquid erit poſthac, quæcumq; hominumq; Deumque
  Fortunæve in me dictaque factaque ſint.
Quare ſi hactenus inſano labefactus amore
  Admiſiſſe in te noxam aliquam potui,
Pro qua te caruiſſe diuque ingratus abeſſe
  Debuerim, & triſtes extimuiſſe minas,
Ignoſces etenim poſt longa incommoda, longa
  Supplicia, & longi dedecus exilii.
Denique poſt demptam per ſæva piacula labem
  Si qua erat iratum deſinere uſque decet.
Et mihi reddere te, & vivacem extinguere curam,
  Quæ pectus triſti torquet amaritie.
Ne forte Adriacas ſi unquam veſanus in undas
  Deferar, heu veſtris naufragus ex oculis,
Aut terra ignota jaceam neglectus, & exul,
  Et matutinis præda data alitibus.
Dicaris miſeræ mortis tu cauſa fuiſſe
  Et tua ſit noſtri funeris invidia.

ANGELO DIVITIO.

Ergo ego te ante alios unum quem ſemper amavi
  Unum quem petii toto animo, atque anima.
Cui mea devotis mens dedita ſenſibus uni
  Jampridem a teneris ſeruiit unguiculis;
Cogor in extremas abiturus linquere terras,
  Et triſte infelix mittor in exilium?
Nec tamen id merui, niſi amor facit ipſe nocentem,
  Et titulus culpæ eſt perdite amaſſe meæ,
Odiſſem incerte ſceleris, puto, præmia ferre
  Nec charis miſer avellerer ex oculis.
Ibo equidem quocumque ferent tua juſſa, libenſque
  Ut placeam, charis auferar ex oculis.
Perpetiar quidquid crudele, & quidquid acerbum eſt,
  Sed certe veſtra eſt hæc amor invidia.

DE ELYCE.

Quid me iſtis, Elyce, enecas ocellis,
Iſtis improbulis, & ebrioſis,
Iſtis improbulis ocellulis, qui
Ignem tui jaculantur in medullas,
Qui me urunt penitus, medullituſque,
Et cæcos animo movent furores?
Nimirum furor eſt mihi, impetuſque
In iſtos gravis involare ocellos,
Iſtos improbulos, & ebrioſos,
Qui ignem mi jaculantur in medullas,
Iſtos prehendere mordicus, meumque
Inde exugere dentibus venenum.
Nam quid eſt aliud niſi venenum
Oſſa quod labefacta percucurrit,
Quod me urit penitus, medullituſque
Ab iſtis, Elyce, improbis ocellis?
Quare ne rabies furorque vecors
In tantum me adigat ſcelus furentem

Ut iſtos violem improbos ocellos,
Ne me iſtis, Elyce, eneces ocellis.

AUCTORIS TUMULUS.

Poſtquam ſemel Bibiena in lucem hunc extulit,
Quem nominavit ætas acta Bernium,
Jactatus inde ſemper, & truſus undique,
Vixit diu quam vixit ægre ac duriter,
Functus quietis hoc demum vix attigit.

PHILIPPI BEROALDI

BONONIENSIS.

EPITAPHIUM ROBERTI SANCTOSEVERINATIS.

NIl queror, ô Superi lethum hoc, ſic occidit Hector,
 Trajectus Phtiâ pectora ſæva manu.
Sic duo Scipiadæ pereunt, quos hoſticus enſis
 In Tarteſſiaca dat regione neci.
Sic & Marcellus cecidit, quem bella cientem
 Perforat hoſtili lancea torta manu.
Hæc ſunt fata Ducum pulchrum eſt cecidiſſe ſub armis.
 Mors bellatori convenit iſta viro.
Sic ego, ſic cecidi, ſed non inglorius orbem
 Implet fama mei nominis, atque polum.
Quantus erat dextrâ Pelides, Tullius ore,
 Phyllirides herbis, Phœbus Apollo lyrâ,
Carmine Mæonides, Ladas pede, lumine Lynceus,
 Viribus Alcides, relligione Numa;
Tantus ego in bello fueram, mihi tota ſub armis
 Sub clypeo, & galeâ vita peracta fuit.

Me puerum Mavors, & me Bellona virago
  Omnia perdocuit munera militiæ.
Qualis Pellæus duſtor, Libycuſque fuerunt,
  Romulidæque duces, talis & ipſe fui.
Dum vult ſupremo duri certamine Martis
  Sors dare me peſſum, ſuſtulit ad Superos.

Vir prudens.

Rebus in adverſis vir prudens, atque ſecundis
Perpetuum diſcet vitæ ſervare tenorem;
Fortunæ inſtabili nuſquam confidit: acerbos
Illius ſpernet vultus, ſpernetque benignos,
Invictus duplicem librato examine lancem
Penſabit, ſummumque bonum laudabile quod ſit
Credet, & a ſancto numquam disjunget honeſto.
Nulla libido virum franget; ſummumque malorum
Eſſe voluptates cordatâ mente monebit.
Et quæ mirantur vulgus, virtute minora
Ducens, totò animo metam ſpectabit ad illam,
Quam fixit Zeno, & divini dogmatis auctor,
Qui non expavit gelidas haurire cicutas,
Delatore Anyto morti damnatus iniquæ.
Nec magis ad dextram flectet, flectetve ſiniſtram;
Certa ſed infiget veſtigia tramite recto.
Idem culpabit quidquid menſura, moduſque
Non reget; at fuerunt ſi quæ moderata probabit.
Hic vitia incuſans perſonæ parcet: amicum
Non petet ex menſa, triviis, unctaque popina,
Non petet ex luſtris; ſed qui præcepta Platonis
Qui cata Ariſtotelis callebit dogmata, in illum
Tutus pronus erit; illi ſua gaudia, curas,
Et ſtudio, & mores reſerabit, & omnia pandet,
Atque anima ex unâ duo corpora vivere ducet;
Semper idem velle huic, & idem quoque nolle placebit.
In ſummâ, Sapiens ad cuncta pericula fortis
Eriget indomitam mentem, nulloque premetur
Pondere; & a nullo raptatus pondere cedet;

In-

Inſtar Idumææ palma, quæ munere divum
Quo magis opprimitur, tanto magis exit in auras
Æthereas victrix, & recto palmite ſurgit.

BARTHOLOMÆI BEVERINI
LUCENSIS.

IN FUNERE CLEMENTIS IX.
Epicedium.

SCilicet, & magnas tangunt fata impia mentes:
Nec ſatis eſt morti vulgus, niſi colla ſuperbo
Regia, crudelis calcet pede, proh dolor! ille
Qui modo Romulea ſublimis ſede regebat.
Pacatum propriis feſſum virtutibus Orbem,
Occidit: & gelida pulvis jacet horridus urna.
O! ubi majeſtas ſacri venerabilis oris,
Canitieſque Deo ſimilis; placidumque renidens
Vultus; & in celſa reſidens Clementia fronte?
Occidit Orbis amor: periit Dominuſque Paterque,
Plus Pater; hæc pridem ſibi mens præſaga malorum
Finxerat, & cœli invidiam, fraudeſque timebat.
Evenere, nimis felix Etruſca propago
Viſa polo, ſi non, properantibus optima fatis,
Ante diem, vix oſtenſum, mors ſæva tuliſſet.
Scinde ſacras lauros, ſeptemque e collibus altum.
Roma dole: viridique pater Tiberinus honore
Nudus, & immunda crinem fœdatus arena.
In lacrimas totam declinet flebilis urnam.
Quem non iſtius tetigit pars ſæva doloris?

Quæ

Quæ ſiccæ micuere genæ? ſua, funera Regum,
Regna gemunt, lacrimiſque modus ſtat limite certo,
Et quos regnandi, fines habuere dolendi.
Publicus hic mœror, lacrimæque hoc funere Mundus
Concutitur, totique cadis lacrimabilis Orbi.
Tam cito præreptos Etruria flevit honores,
Romulidum fecunda parens Etruria Patrum:
Cumque pios vix illa oculos ſiccaſſet adempto
Nuper Alexandro; rurſus renovare dolorem
Vulnere reſciſſo, triſtis fortuna coëgit.
Te Rheni potor, te fluctu divite flevit
Heſperia: & lætos mœſtiſſima Gallia cultus
Exuit, & flores detraxit crinibus aureos.
Sarmata te gelidis, quem Viſtula dividit undis,
Quique Savum, Dravumque bibunt; flevere jacentem
Dacus, & immenſi qui fontibus adjacet Iſtri.
Flevit & ignoto ſi quem ſub ſidere tellus
Submovet Oceano: quicumque Orientis anheli
Afflantur radio, aut Solem videre cadentem,
Si quos invidia, & Romanæ gloria Sedis
Urit, & inviti ſummum aſpexere Parentem,
Illi etiam tacito ſecum flevere dolore:
Et lacrimas ingens virtus invenit ab hoſte.
Quin, ſueti regum manes vexare piorum,
Attoniti hæſerunt linguis: didicitque pudorem
Livor, & infami ſtupuerunt carmina vena.
Sed te præcipue, ſed te triſtiſſima toto
Flevit Creta mari: numeroſis claſſibus illam,
Illam tu ferro, ferroque potentius, auro
Armatas; miſeræ cupiens ſubducere gentis
Barbarico pia colla jugo; Thracemque ſuperbum
In latebras, fauceſque arcti compellere Abydi.
Dis aliter viſum, cecidit tandem inclyta Creta,
Centum olim populis, centum caput Urbibus olim;
Una Orbis Patrem ſecum tractura ruina.
Quando igitur Manes, & nil niſi flebilis umbra
Clemente ex illo ſupereſt, veſtigia cujus.
Occiduus nuper, Munduſque ambibat Eous,
Illi

Illi ego candenti ſtatuam de marmore templum,
Poſteritas cui vota ferat, quà colle beato
Eſquiliæ tollunt Cœlo capita alta ſalubres.
Dilectisque jugis, & amati in vertice montis,
Quem coluit miro, dum vita maneret, amore,
Hic erit extincti requies: magnique Parentis,
Virginis in gremio feliciter oſſa jacebunt.
Ipſe erit in medio, gemmis inſignis, & auro,
Et caput auguſta ſacrum cingente corona;
Qualis erat, medius cum jam tot millibus ibat
Per populos, plauſuque viæ, votiſque fremebant:
Magna licet, cum fama, nihil mentita, ſupremos
Antè dies, illi Superûm referebat honores.
Stabunt & Patrio vivi de marmore vultus,
Etruſcas inter proles clariſſima gentes;
Formaque magnorum ſpectabitur omnis Avorum.
Ære gradus ſurgent, & centum nixa columnis
Atria: picta auro ſummi faſtigia tecti
Fulgebunt, cardoque fores verſabit ahenas.
Illic artifici ſpirabunt ficta metallo
Geſta Patris ſummi, ſtabit florentibus annis
Pulcher adhuc, primoque genas veſtitus honore
Flaventem doctæ crinem velare ſorores
Certabunt lauro, & vocem formabit Apollo.
At mox incœpta fortis, viridiſque juventa,
More ſenex, albaque in flavis mente capillis.
Intrabit felix aulæ ambitioſa potentis
Limina, & Urbano famam virtute probabit.
Indè per occiduas Romani oracula Patris
Portabit gentes: & Regi carus Ibero,
Non auro, & gemmis, ſed magno nomine dives.
Auguriumque ferens ſortis ſecum indè futuræ,
Optatus, Latiis iterum ſe ſiſtet in oris.
Clara rudimenta, atque Orbis mox deindè regendi
Omen erit, ſummo cum Roma orbata Parente,
Interea viduas illi committet habenas.
Atque hic purpureo tandem velatus amictu,
Regibus aſſidet; cui ſacri pectoris altos

Nudabit ſenſus, atque Orbem ferre docebit
Magnus Alexander, curæ partitus honorem.
Hinc triplici meritum crinem circumdatus auro
Ibit adoratus populis, & ſupplice vultu,
Indus, & extremi pedibus volventur Eoi.
Ergo jam Clemens, hominemque exutus, acerbas
Stare iras Regum, victriciaque arma jubebit.
Aurea Pax terris ſurget, mileſque remiſſo
Ibit in amplexus ferro: lauriſque revulſis
Terribiles placida galeæ nectentur oliva.
Ipſe autem toto ſpirans venerabilis ore
Numen, & aurata reſidens ſublime curuli,
Gratantes populos, Regeſque, urbeſque ſerenus
Excipiet, prima ante alias lætiſſima gentes
Luca aderit, pia vota ferens, celſique Senatus
Os Fabius, claro Tuſcorum a ſanguine Patrum,
Par Latiis, Graiiſque, olim facundia Cœlo
Quos tulit, orabit cauſam, ſacraſque tenebit
Eloquio attonitas divini Principis auras.
Æratas addam claſſas, quibus ille labanti
Subſidia impendit Cretæ, totumque coëgit
Arma Orbem capere, atque Italum fulcire ruentem,
Obſtupuit, ſimul indignans, animoſque feroces
Imminuit: doluitque moras veniſſe triumphis
Barbarus, & timidæ demiſit cornua Lunæ.
Hinc, atque hinc foribus pendebunt fixa ſuperbis
Fragmina velorum, remique, & barbara ſigna,
Et mali ingentes, & roſtra avulſa carinis.
Addam Lyſiadem poſt plurima luſtra receptum
In patriam, ſacramque fidem, faſtidia longa
Perpeſſum, magnæ nec fractum clade repulſæ.
Nec non ſublato fundentem ſibila collo,
Spirantemque minas, & latæ incendia peſtis
Spargentem, totis truncam ſerpentibus Hydram.
Extinctumque malum, quo, pridem Gallia tota
Arſerat, & miſero cineres intenderat Orbi.
Talia per poſtes mirabitur ire nitentes
Quis quis erit: ſacramque humilis projectus ad Urnam
Pur-

Purpureos ſparget flores, lacrimiſque beatos
Infundet manes, & ſanctam planget ad Umbram.
Aſt Amor aurata ſaxum funebre ſagitta
Signabit, carmenque ima deſcribet in ora.
Hic ſitus eſt Clemens: ſcit cætera Maurus, & Indus.
Oſſa jacent terris, Manes clauduntur Olympo.

LUDOVICO XIV. GALLIAR. REGI

De Oceano, ac Mediterraneo, immenſi operis foſsâ junctis.

Fallimur? an terras iterum petiere gigantes?
Et labor Aſſaraci, manibuſque aggreſſa Deorum
Pergama, fallacis nil ſunt niſi nomina famæ?
Mœnia nec Babylon jactet, Regumque ſuperbum
Diſſimulet Memphis cinerem tectura ſepulchra.
Culmina demittat quondam Pharos æmula Cœlo.
Et vero æqualem ſileat Rhodos aſpera Phœbum:
Jam majus conſurgit opus, ſtupet inſcia tellus,
Miraturque novas claſſes: ſolituſque ſecari
Vomere, ſentit ager celeres innare carinas.
Littora pulſantur, quondam non pervia nautis,
Commiſſumque mari invehitur mare: verſaque retro
Flumina torquet amans placide, fluctuſque maritos
Miſcet Atax cupidæ, pelago mirante, Garumnæ.
Æternæ pridem, nullo ſolvente, refixæ
Cernuntur leges; immotaque jura moventur
Naturæ ſignata manu; terræque ſubactæ
Occupat imperium, victrixque ſupernatat unda.
Perfoſſi montes, & ſedibus acta vetuſtis
Flumina; perque alias juſſis decurrere ripas
Amnibus, in ſicco tabeſcunt pulvere Nymphæ.
Sponte ſua quondam ſolitæ, nulloque docente
Ire undæ, & paſſim per libera rura vagari,
Scire novum coguntur iter, frœnumque regentis
Accipiunt, famuloſque urgent ad littora fluctus.
Nunc plana licet ire via; nunc ſurgit in altum

Unda tumens, ſerpitque jugis, & murmura tollit
Dives aquis, magnoſque exequat flumine montes.
Undarum mirata gradus, & ſcanſile flumen,
Picta carina ſubit: quotieſque illa hæſit in imis
Sicca vadis, toties docto molimine juſſi
Aſſurgunt; illamque nimis novitate paventem
Suſtollunt latices, humeriſque ferentibus aptant.
Maſſiliæ implentur portus; vicina Monœci
Littora, nunc Batavis fervent, nunc plena Britannis
Puppibus, aut gelido quas Sarmata miſit ab axe,
Germanuſque ferox, & gens animoſa Getarum:
Dumque peregrinos vectores incola poſcit,
Quid viſæ Soliſque Aræ, ſcopulique Deorum?
Quid Tagus aurifera, quid Bætis fertilis unda?
Herculei quid clauſtra freti? quid limes Iberus
Hiſpanis quondam populis? num forte procella
Circa Ebuſum, naves fluctu tardavit euntes?
Ignaris hærent animis, atque inſcia turba
Nautarum ſe noſſe negat, mirata rogantes.
Nil niſi Burdigalæ muros, & docta Toloſæ
Mœnia, Nauroſæ rupes, Atacisque fluenta
Eloquitur; memoratque Nigræ miracula Silvæ,
Miratur pater Oceanus, mirantur & udæ
Nereides, plauduntque choris, alternaque miſcent
Brachia ludentes; & paſſim mutua jungunt
Hoſpitia, exultantque epulis genialibus undæ.
Et Thetis, & Glauce, quæ jam pertæſa viarum
Circuitus, ævum patriis agitabat in undis:
Quæque bibunt Tameſim, gemini quibus oſtia Rheni
Eſt ſedes, Cymeque, & candida Dejopea,
Nunc tandem nactæ compendia, littus aderrant
Tyrrhenum, ſpumantque fretis, quæ margine tellus
Perpetuo claudit, pulchræ circum arva legentes
Italiæ: luſtrantque oculis urbeſque, ſinuſque,
Veſtitoſque umbris colles, & amœna locorum,
Et tepidas hyemes, æternaque tempora Veris.
Et nequit aſpectu ſatiari pulchra Dearum
Turba, domos tandem triſtis reditura priores.

At quibus eſt Tuſco Nymphæ domus humida ponto,
Æſaris, Arnitiſque, & Cyrne flava capillis
Oceano merſere caput; juvat ire per altum,
Extremique plagas Orbis, ſolemque cadentem.
Nunc libet intonſi portus intraſſe Britanni,
Littora nunc Batavi, primis ubi cultor ab annis
Aſſueſcit pugnare mari; frangitque ruentem
Oceanum, & jactis excludit molibus iras.
Ni faciat, pontus late tandem omnia victor
Obruat, & terris regnatrix innatet unda.
Ipſe Pater, curva reſidens, nova flumina, concha,
Celſus obit; gaudetque rotis vitaſſe minaces
Alcidæ ſcopulos, & formidata profundi
Ora anguſta freti, metuit dum ſtringat euntes,
Et trepidos turbet Calpe protenta jugales.
It, redit, inque novos nunc vertit lumina portus,
Qui ſale Tyrrheno ſurgunt: nunc agmen aquarum,
Immenſoſque lacus oculis mirantibus haurit.
Præcipue, undarum qui ſe ad divortia late
Pandit, & aſpectus fruſtratur imagine ponti.
Ille hic gemmatas evellit crinibus algas,
Hic ponit, capitiſque decus, virgamque Tridentem,
Et ſpoliis, Rex magne, ſuis te candidus auget.
Occurrunt Nymphæ redeunti, & regia conjux
Detractum capitis ſecum miratur honorem:
Dumque rogat cui, ſceptra Deo, cui lora, rotaſque
Ceſſerit, & ſortis donarit regna ſecundæ;
Ite, ait, imperium æquoreis novus obtinet undis
Neptunus; cui non tantum permiſſa poteſtas
Eſt maris, aut pelagi ſolas compeſcit habenas;
Sed tenet arbitrium terræ; Cœloque futurus
Inde potens, Divum ſoboles, ubi maximus illum
Jam pridem Genitor, Regumque expectat avorum
Sacra Cohors, ite, & dominum placate potentem
Muneribus; ſæcliſque illi ſervite futuris.
Huc oculos Graiis, Latiiſque advertite ab urnis
Regales umbræ, caput huc attolle ſuperbum
Roma potens, terræ ſpoliis extructa, mariſque:

Quid veſtræ potuere manus? qui limite parvo
Jonium Ægæo tenuem mare ſeparat Iſthmon
Aggreſſæ toties, toties abiere repulsæ.
Et tamen illa animi toties ſpes irrita veſtri,
Eſt quota pars operis, cui tu nunc, maxime Regum
Ingente adhibere manus feliciter auſus,
Victor abis, veteriſque premis miracula famæ.
Qui muros poſuere viri, quibus unda, lacuſque
Cingitur, & latè moles frenatur aquarum?
Ampla quis innumero pendentia fornice tecta?
Undè opus, immenſi qui ſurgit in aſtra Coloſſi,
Tantum Rege minor? quem Fama ingentibus auſis
Extollit Cœlo, & ſi quid Cœlo altius ipſo eſt.
Tale Argiva nihil, nil par Romana vetuſtas
Aſpexit: non mirandum Piræea nautis;
Non mare ſuſceptum terris, moleſque ſuperbas
Bajarum, & placido circumdata clauſtra Lucrino.
Abſcidit Auſonio Siculum latus ipſe Tridenti
Neptunus, toto conniſus Numine, & arctis
Jonias Tuſcis commiſit faucibus iras.
Quis Deus, exciſis immenſo limite terris,
Æquatiſque ſolo præruptis rupibus, undas
Occiduas, mirum! pelago conjunxit Eoo?
Nempè ille es Divum ſanguis, Ludovice, juventæ
Flore nitens; cujus, ſi quis benè computet, æras
Inventa eſt annis brevior, longæva triumphis.
Non ſatis eſt, pallent etiam quod claſſe timenda.
Littora Barbariæ; pridemque incognita Gallis,
Quod tibi victrices ardens metit Africa palmas
Non ſatis eſt flavos quod laurus Belgica crines
Nectit, & in dotem numerat tibi ſponſa triumphos:
Divitis Auroræ nec quod tua carbaſa gentes,
Quod tua ſigna tremunt; & qua Sol aureus orbem
Tollit, & Heſperio vel tingit in æquore flammas,
Gallia tam late victricia detulit arma;
Ni quoque Naturæ moveas, tentandaque nulli
Regna, tuiſque illam cogas ſervire triumphis.
O nimium dilecte Deo! terraque, marique

In-

Inclite: cui parent mutato flumina curſu,
Cui jurant elementa fidem: qui, Numinis inſtar,
Jura Mari, legemque viæ præſcribis aquarum.
Cedit Athos, quamvis Medo cogente ſubactus
Vela pati, dorioque agiles vectare carinas:
Et multatus aquis. Cyrique inſania Gyndes.
Tu Cyro, tu Xerxe prior; jam fabula pondus
Invenit; & tandem fallacibus optima Graiis
Incipit eſſe fides; dum tu, majoribus auſis,
Antiquæ ſuperas longe mendacia famæ.
Te juga Nauroſæ, te Nigræ culmina Silvæ,
Et quas mollis Atax, & quas violentior undas
Urget in Oceanum pelago refluente Garumna:
Oceanuſque pater, frenataque carcere terræ
Æquora, venturis certabunt dicere ſæclis.
Sed quamvis tam fixa tuæ veſtigia famæ,
Sitque Orbis laudum præco, Rex magne, tuarum,
Exiguæ carmen non indignare Thaliæ.
Sæcula Saturnus primis dedit aurea terris,
Aurea quis noſſet pretioſo ſæcla metallo,
Si vatum tacuiſſet ebur? junxere triumphis
Auroræ, noctiſque domos, hinc Liber Eois,
Atque hinc Occiduis victor Tyrinthius oris.
Quid tamen Alcides, & quid ſine carmine Bacchus?
Carminibus major, quantumvis maximus eſſet,
Æſonides, fortiſque in ſæcula venit Achilles
Tu quoque carminibus, (Muſis licet eſſe ſuperbas.)
Clarus eris, nam majorem ſperare negatur,
Et nimis eſt Vati ſi tantum verſibus æquet.
Vive diu felix, Divum juſtiſſima cura,
Flos Regum, rerumque ſalus; decus Orbis, amorque
Et fulmen bellis, & ſidus amabile pacis,
Vive, & barbaricis ſerva te, magne triumphis,
Parthorum te regna tremunt: tibi mitior undas
Contrahit Euphrates: & fracta mollior ira
Incedit, pontemque pati dignatur Araxes.
Te ſævi Thraces fatalem jure verentur
Imperiis veniſſe ſuis, jam mœnia Byzas

Munit, & Odryſiæ, palleſcunt cornua Lunæ.
Nectit Idumæas tibi jam Victoria palmas,
Divinaque virens aſſurgit laurus ab urna.
Tunc tibi majori dicemus carmina plectro,
Et ſi non humeris Cœlo te voce feremus.

IN STUDIA LITTERARUM

Satyra.

Fortunata dies! numquam formoſior ignes
Lucifer auratos rorantibus extulit undis.
Læta magis nobis ſtellato cardine numquam
Candida dimovit poſtes Aurora roſarum.
Ergo, agite o ſocii, manibus date lilia plenis,
Et niveam nivea lucem deſcribite gemma.
Jam jam ſecuris ſtudiorum, carpere ſomnos
Fas erit, haud ultra ſævis armata venenis
Turbabit ludos violati fœderis ultrix
Medea, aut Tragico tollentur verba cothurno.
Auſonii cerno jam muta ſilentia plectri;
Facundum jam torpet ebur, fidibuſque canoris
Suſpendit tenues jam triſtis aranea caſſes.
Et vendit nugas aliis jam Rufus, amœnos
Deſcribens ripis utrimque virentibus amnes.
Aurea conticuit Latiæ facundia linguæ.
Scilicet obtundet noſtras non amplius aures
Omnibus in numeris toties Catilina legendus.
Nec vomet in cœtu populi, dum publica tractat
Munia, turpe foret cui vel ructare, Magiſter.
An ne ego ſum Judex, ut me præſente queratur,
Si per vim pingues amiſit Tityrus agros?
Si ferro incubuit morituræ pectus Eliſæ,
Ille ad quem ſpectat medicos vocet. accidit illi
Judice, me, non immeritò, minus illa bibiſſet,
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.
DI male! cui primum pueros torquere ſevera
Ars fuit, & teneras ſtudiis componere mentes.

Scilicet is vacuus curis, propriiſque ſolutus,
Quas ageret, nobis qui venderet otia, rebus.
Egregiam vero laudem tulit ille, quid, inquis,
Ergo ageret? rogitas? animam, me Judice, deerant
Forſitan ingenuæ quis ſe ſe adjungeret artes?
Bajulus, aut fullo, geſtator ſandapilarum,
Permutans fracto pallentia ſulphura vitro,
Cerdo, coquus, piſtor, caupo veſpillo, ſatelles.
Illum ego crediderim alpino præcordia ſaxo,
Aut duro geſſiſſe rigentia pectora ferro.
Cum catulis illi Gætula in rupe Leæna
Lac dedit, Hyrcanæque admorunt ubera Tigres.
Atque illum nigri ſpumis infecta veneni
Impia lethali demulſit vipera lingua.
Nam, qui ſuſtineant hominum, niſi lacte ferino
Nutriti, molleſque manus, & terga flagello
Scindere, nec lacrimis ullis, precibuſque moveri?
O! facies, ipſis etiam miſerabilis Urſis,
Inde puer timidus, vultuque manuque trementi
Supplex, hinc tumidus rauco clamore Magiſter,
Triſte ſupercilium, ſævumque minantia verba
Excipere, & diræ poſt vocem fulmina virgæ.
Ipſe ego, nam memini, (facile eſt meminiſſe dolenti)
Servili quoties liventia terga flagello
Contorſi, & fruſtra veniam, fruſtraque petivi?
Quos ego non finxi vultus? quot pallida torſi
Ora modis, ille, *incœpto ſermone movetur*
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes,
Quæ mihi res tecum, crudelis ſyllaba? tu, tu
Sæpe mali tanti cauſa es, dabis improba pœnas;
Urgere cum dixi, Doctor, repete, imperat, heus tu!
Urgere rurſus ego, at veterum more ille Quiritum
In ſcapulas faſces caſuros expedit, eja,
Vapula, ait. Morinos dicturo, forte Morinos
Excidit, heu! quanti nobis dixiſſe Morinos
Conſtitit! indomitos volvendo ſcripta Maronis
Commemini legiſſe Daas, ceu monſtra viderem
Hæreo ſollicitus: ſcalpo occiput, ore ſupino

Murmuro: mox, omnes per Divos juro, Deaſque,
Neſcire: idque meo non factum crimine, namque
Chiappitium, Scopamque, & Theſaurum Calepini
Evolviſſe omnem confidens mentior; ille,
Falſum, ait: & mentum torquens, hirtoſque reponens
In ſtatione pilos, denſæque haſtilia barbæ,
Excreat horrendum, quantum latrat ore trifauci
Cerberus, & Siculis quantum tonat Ætna caminis:
Tum voce undanti ſimilis cum fervet aheno,
Suggeritur nigris cui meſſis virgea coſtis,
Bulliit ut torvum quid neſcio; protinus inquit,
Jam faxo ſcieris. dictum, factumque putato,
Extemplo venit in teneros manus oſſea vultus:
Mox vellit ſcelerata comas, perit impetu ab uno
Compoſitus ternis, aut pluribus annulus horis:
Excutiturque cinis, quem longa per æquora vectum
Miſerat ipſa ſua eductum de pyxide Cypris.
Suppliciis memorem quid ſævius omnibus illud,
Cum tot carminibus ſeptena luce Magiſtri
Præcipiunt onerare caput? cum languida nutant
Colla, nec infartæ durant ſub pondere mentis.
Tu furere haud credas, puerum ſi forte videbis
Secum rixari? frontem contundere pugnis.
Aut libro, aut digitis rabidos infigere dentes?
Quid dulces fraudare thoros, & murmure diro
Rumpere nocturni molliſſima tempora ſomni;
Auroræ & gelido ſub ſidere matutinæ,
Dulcibus invitum ſtratîs attollere corpus,
Ut juſſos capiti detur ſuffigere verſus?
Is certe labor eſt, quo vel jumenta fatiſcant.
Cum vix prætereunt, jam formidata propinquant
Sabbatha, Judæis quondam, nunc feſta Magiſtris.
Vadimus attonito vultu, tumidumque ferentes
Toto Helicone caput: miſeros anus improba ridet.
Rident cerdones, & habenda eſt gratia, ſi non
Inſanire putant, dum mente, oculiſque libello
Affixi, aut cœno, aut ſaxis impingimus. ergo
Siſtimur hirſuti mox ante Palæmonis ora.

Di-

Diſperеam, ſi non riſu quatiare, videndo
Quot ſtrident aulæ crabronibus, ilicet omnis
Murmurat attonite puerorum turba, vomitque
Pallida bis denos laſſo pulmone poëtas.
Haud credo Alciden, tantum ſubiiſſe laborem
Fixerit æripedem cervam licet; aut Erymanthi
Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
Quis, rogo tam ſtipes non ſolvat ut ilia riſu,
Tum cum forte ſenex, ſtillantis ephippia naſi
Induit, & vitreas aptat ſub fronte feneſtras?
Et placide mulcens ſetoſæ incidua barbæ
Ter nemora, atque quater, dein majeſtate verenda
Intonat, heus Juvenes, ſcribendi ſumite Thema.
Tum dictat, vetulo quidquid pereunte marito,
Lippa tribus Priami tantum cum dentibus uxor
Dixerit: aut quali ſuccendit pectora voce
Militibus, ferventi Alpes rupturus aceto
Hannibal, ex alto vel ſi piratica puppis
Appulit, & ſævis circumſonat ora catenis,
Arma citi, ferte arma, heus! jam ſuccurrite cives
Clamandum eſt nobis: ſic ut vicinia tota
Perſonet, & longè voces reſpondeat Echo.
Quod DI illum perdant! Stygias, bone Juppiter, ipſe
Cum prope cernet aquas, & declamatio fiet?
Salve, inter cunctos exoptatiſſime menſes,
Pampineis redimite comas, & tempora ſertis
October: tu das requiem, finemque labori.
Tu pueros, dicendum eſt, nigri e faucibus Orci
Eripis, & triſti tandem facis otia ludo.
Te, quamvis vernis evincto crine coronis
Majus eat, molleſque illum comitentur Amores,
Et colit, & roſeo te vertice pronus adorat.
Se tibi, laurigeris aperit qui faſcibus annum,
Inſignis trabea, & geminatæ frontis honore
Submittit; regnique tibi dat ſponte coronam.
Exſere purpureum caput exſere: plaudimus omnes,
Sæpe redi: pueris non tantum care, ſed ipſis,
Quamquam diſſimulent, etiam dilecte Magiſtris,
S Æ-

SÆCULUM NIVEUM.

IDYLIUM.

Ite procul Stygiæ peſtes, procul ite cruentæ
Eumenides, luctuque graves, & nocte profunda
Ad pœnam remeate domos: nova naſcitur ætas,
Candida Virgineo decurrunt ſæcula filo.
Cedite, felicis ſed vos exordia ſæcli
Dicite Cœlicolæ: niveum vos ducite carmen
Qui noſtis; nivibuſque nives afflate canentem.
Jam male deſierant ſceleratis aurea terris
Sæcula; paulatim cum ſuccedente metalli
Deteriore nota, quæ primis fluxerat annis
Aurea, jam triſti rubigine decolor ætas
Ibat, & obducto ferrum ſqualebat in auro.
Tum ſcelerum turmæ demum, velut agmine facto,
In genus humanum ſeſe effudere; profanæ
Bellorum furiæ; & ſævas Mars impius iras
Impulit, & verſo rabies prorupit Averno.
Invidiæ triſtes, & amor ſceleratus habendi,
Quæque ferit lites, & ſpargit crimina lingua,
Prodigus atque auri Luxus, quem turpis Egeſtas
Cognatis urget ſpatiis; fraudeſque, dolique.
Et numquam ſine cæde Venus: vultuque ſereno
Quæ ſimulat riſus, & pectore contegit iram.
Nec non vipereis impexæ crinibus atræ
Eumenides, tempus nactæ, ſpatiumque nocendi,
Erumpunt, illis ceſſit venientibus ultro
Cana Fides; timido pietas expalluit ore
Erubuitque Pudor: vitiiſque tenentibus Orbem,
Mœſta profanatas, nuſquam jam tuta, gemenſque
Lancibus everſis terras Aſtræa reliquit.
Jamque diu plenis nigra ferrugine fuſis,
Volvebant ſævæ crudelia penſa ſorores:
Cum Dea, quæ magnum fecundo pectore Numen
Edidit, humanos tandem miſerata labores,

Con-

Convertit placidos in ferrea ſæcula vultus.
Nox uti cæca ſolet, cum lux inimica propinquat,
Diffugere, & primo tabeſcunt ſole pruinæ,
Aut ubi jam laſſo Boreas cum turbine ſedit,
Langueſcunt fluctus, albentibus irrita ſaxis
Defluit ira maris; pulſiſque in clauſtra procellis
Jam ridet pelagus, tacitiſque alludit arenis:
Attonitis hæſere animis ſic monſtra, paventes
Præcipitant Furiæ: ſcelerumque aggeſta reſedit
Virginis obtutu moles; atque obruta tellus
Aſſurgit, feſſumque malis caput Orbis in altum
Allevat, & veteri ſubducit colla ruinæ.
Sed tamen ingentis ſuperant veſtigia damni.
Non ultra eſt bellum, ſed pax tamen aurea terris
Nondum tota venit, non jam fera regnat Erinnys
Nec penitus victa eſt; ſed Parthi more fugacis
Averſis etiam pugnat poſt terga ſagittis.
Sic ubi per noctem miſcentibus æquora nimbis,
Si forte antennis, gemini ſedere Lacones,
Aëre ſtant venti, debellataſque relinquit
Auſter aquas: tamen ille omnes deponere faſtus
Indignans, ſpumante fuga decedit, & altum
Murmure terret adhuc fugiens, victuſque minatur.
Ergo omnem ſcelerum pariter domitura furorem,
Extinctique mali, ne lata incendia quondam
Suſcitet, in cineres tepidam preſſura favillam;
Continuo celeres ad candida frena Columbas
Diva citat; quas aſtriferi per amœna vagantes
Elyſii, tener urget Amor, curruſque volentes
Aurato temone ligat; quæ lactea colla
Præbent, & niveis inducunt ora lupatis.
Quo ſolet in mediis vultu conſiſtere Divis,
Curribus inſedit, ſed non totum illa decorem
Majeſtate premit, ſervatque in numine formam.
Stant circum aligeri, & currum comitantur Amores;
Quorum hic ſidereo molles de flore coronas
Implicat: hic roſeis, qua ducitur orbita, nimbis
Spargit iter: lentis pretioſa hic pabula flammis

Præ-

Præbet odoratas, quas terra divite meſſes
Legit Arabs: hic gemmata teſtudine cantus
Mollit, & arguto vocem modulatur in auro.
Jamque iter emenſæ geminæ venere volantes,
Lactea qua niveo candeſcunt ſidera limbo.
Seu lactis color ille nitet, ſeu candida ſigna
Æternæ fecere nive; tractuque nivali
Sidereis frigus riget immortale pruinis.
Conſtitit hic Virgo ſacroſque affata Volucres,
Stat: Juvenes, inquit, terris abolere profana
Sæcula, & infandas in Tartara mittere peſtes.
Ite, meæ vires, niveis hinc moribus omen
Æternas afferte nives, hæc ore locuta,
Certatim accurrunt hilares, hyemiſque beatæ
Sidereas populantur opes: nec ſegnius inſtant,
Axe ſub hiberno per candida rura laborem,
Quam duri agricolæ exercent, conduntque recentes
Intra tecta nives arentibus horrida culmis.
Dum timet æſtivo ſitis ambitioſa calori.
Hi nivibus palmas, nivibuſque hi pectora complent,
Auratos illi calathos, vacuaſque pharetras
Illi onerant nivibus, juſſis procul eſſe ſagittis.
Inſpergunt alii pennis, aliique pruinas
Implicuere comis: flaventes ſtiria crines
Alligat, & molli glacies ardeſcit in auro.
Diſcedunt alacres, dextra, lævaque frequentes
Aſſiſtunt Dominæ, & circum glomerantur in orbem.
Romuleas tandem illa volans ſuperaſtitit arces,
Eſquiliumque petit Vigilum de nomine Collem.
Nox abit, & pulchro rareſcunt nubila circum
Virginis adventu; mediique in nube ſoporis
Eſquiliæ ſenſere diem, mirantia cedunt
Sidera, & attonito ſtat Lucifer igneus aſtro
Præverti ſe Sole videns: flammaſque minores
Spargit, & in mediis it pallida Luna quadrigis.
Mons ovat, & quamvis torrenti fulminet aſtro
Æſtiva ſub luce Leo; tamen arida lætis,
Floribus, & viridi prætendit jugera cultu.

Hic

Hic niveos, Dominæ juſſu, pia turba Volucrum
Excuſſere ſinus, tenues in vellera nimbi,
Labuntur, canaque albeſcunt arva pruina.
Hiſpidus Arctoa Boreas miratur ab arce,
Injuſſas candere nives; ſtupet inſcius Auſter,
Et quas non fecit, miratur in æthere nubes.
Horruit inſueto Tiberinus frigore, & alta
Rupe cadens Anio, pigras decurrere lymphas
Senſit, & æſtiva glaciem concreſcere bruma.
Tum Dea ſic Urbem alloquitur, Terraque, marique
Quæ regis imperio, qua Sol agit aureus ignes
Roma potens, mundi quondam fabricata triumphis,
Accipe, & hæc memori æternum ſub pectore conde.
Biſſenas populis leges, & jura dediſſe
Sit ſatis: hinc alios mores te longa docente
Poſteritas, diſcantque pii nova jura minores.
Quæ turpi ſqualent, tu vertere ſæcula ferro
Sola potes, nivibus lætum tibi fecimus omen.
Utere Virgineis hinc legibus, ipſaque primum
Juſſa præi. niveos mores ſi Roma docebit
Candidus Orbis erit, fatis melioribus ite,
Auſpiciis nivei cœpti felicibus anni.
Vix hæc ambroſio mitis Dea fuderat ore,
Cum ſeptemgeminis hilaris de collibus Echo
Intonuit, valleſque cavæ clamore reſultant.
Arenteſque ſecans Tiberinus gurgite ripas
Exiliit, pronaque effluxit largius urna.
Tum ſubito redimita comas, pallæque nigrantis
Squalorem æternum, cultuſque exuta priores.
Protinus excuſſo quod nebat, candida, ferro
Penſa novat Lachesis, niveoque in ſtamine juſſit
Currere candentis felicia vellera ſæcli.
Fila trahunt Parcæ, ſuperum quas aurea pubes
Detinet intentas cantu, fallitque laborem.
Ite procul Stygiis contagia debita terris,
Pœnarum in Patriam, & loca fœda horrentis Averni,
Cedite Tartareæ peſtes: nova naſcitur ætas.
Regna nives ponunt, niveis ſtat moribus Orbis.

Can-

Candida ducentes ſubtemina currite fuſi.
Virginis auſpiciis, fulvo pretioſius auro
Naſcitur, & verſo fatorum cardine, ſurgit
Sæclum, Roma, tibi: quondam ſub numine ſævi
Martis: Virgineis at nunc ſub legibuss eſſe
Incipis, & niveos ſumis de Virgine mores.
Candida ducentes ſubtemina currite fuſi.
Longa tibi ſeries candenti ſtamine ſurget
Annorum: ſed nulla tamen felicius ibunt
Sæcula, quam Latio regnantibus Orbe Golumbis
Candida ducentes ſubtemina currite fuſi.
Dulcia tunc poſitis remeabunt otia bellis.
Relligio, caſtique Pudor flos ſanguinis, Orbi
Jura dabunt: clauſæque diu mortalibus ægris
Pandentur Cœli portæ, placabilis intus
Occurret Pietas, & centum ſolvet ahenos
Culparum nodos, lacrimas miſerata nocentum.
Candida ducentes ſubtemina currite fuſi.
Tunc Orbis ſacram veniet peregrinus ad Urbem,
Et conjuratas utroque a littore gentes
Ortus, & Occiduæ mittet plaga maxima terræ.
Mollis Arabs, Induſque aderunt, ſummoque Parenti
Barbarus, extremique noviſſimus accola Mundi
Pronus adorantes ſubmittet in oſcula vultus.
Candida ducentes ſubtemina currite fuſi.

IN FUNERE CHRISTI DOMINI.

Funeribus faciles elegi, lacrimiſque canendis,
Solvite flebilibus languida plectra modis.
Materies operi veſtro digniſſima ſurgit,
Cui laxet totus libera frena dolor.
Ipſa ſuis flavos manibus laniata capillos,
Inferat haud æquos mœſta Thalia pedes.
Aonios linquo diſciſſo vertice colles,
Quaſque volans doctas ungula movit aquas.

Un-

Undæ aliæ, colleſque placent: juvat ire per umbras,
Per juga, quæ lacrimis, quæque cruore madent.
Golgotha funeſtis albentes oſſibus agros,
Golgotha dat ſævas ſanguinolenta Cruces.
Hic mihi certa domus, ſedes hæc apta dolenti,
Hic manus inviſum pallida pulſet ebur.
Defluat e noſtris laurus reſoluta capillis,
Nexaque per crines torva cupreſſus eat.
Myrta legant alii, myrrhas carpemus amaras,
Spina coronatrix, & mihi frontis erit.
Sed quis erit flenti modus, aut menſura dolendi?
Nam decet & mœſtis fletibus eſſe modum.
Ite oculi in lacrimas, ſed nulla lege fluentes:
Una doloris erit lex, ſine lege dolor.
Materie vincor; quæ prima, aut ultima plangam?
Unde mihi ſurget, quoque ſedebit opus?
Singula per ſceleris ponam veſtigia greſſum,
Inque meo totum carmine crimen erit.
Utque apis e cunctis libat ſua mella roſetis,
Sic ego per ſpinas ibo, doloris apis.
Dicam per vultus imbres fluxiſſe cruentos,
Dicam per ſacras vincula nexa manus.
Oraque crudelis liventia verbere dextræ,
Verberibuſque ipſis oſcula dira magis.
Velatoſque oculos, roſeos unde accipit ignes
Cum matutinis Lucifer exit aquis.
Sciſſaque non ſileam ſervili terga flagello,
Ah! nimis in pœnas illa parata ſuas.
Vos oculi interea ſicci, tacitique ſiletis?
Ad tantum eſt veſtro flumine crimen opus.
Tu ne ſacer Juvenis, ſævis tu nate flagellis?
Inque hoc Virginei te genuere ſinus?
Hoc tua nobilitas, ſtirpem qui ducis Olympo,
Scilicet & mores hoc meruere pii?
Siſtite, crudeles armatæ in verbera dextræ,
Erraſtis, noſtras ſuſtinet ille vices.
Me, me, adſum qui feci, in me convertite vulnus;
Debita ſunt culpis iſta flagella meis.

Ite manus agiles in verbera, parcimus, ite,
  Paſcite divino flagra cruore ſitim.
Poſſum equidem pœnam, ſed non & ferre ſalutem,
  Livor erit cunctis mortibus iſte ſalus.
Nec ſatis eſt: aliam ingenium crudele doloris
  Torquendi immeritum repperit inde viam,
Aurea textilibus cinguntur tempora dumis,
  Tempora ſidereo fulgure digna tegi.
Ver ubi molle jaces? iſtas placet ire coronas
  Per caput auctoris, te patiente, tui?
Vobis horrentes, vobis iraſcimur umbræ:
  Spinæ ubi nam flores tunc habuere ſuos?
Debuerant quamvis alienis menſibus ire,
  Et licet injuſſæ, ſponte virere roſæ.
Agnoſco, agnoſco crimen, teneoque nocentes:
  Nos ſumus in culpa, nos liquet eſſe reos.
Deliciis ſqualent populata roſaria noſtris;
  Sola eſt direptis ſpina relicta roſis.
Noſtrarum, ſcio, relliquiæ ſunt iſta roſarum
  Serta, ſacrum lacerant quæ male nexa caput.
Jam merito in ſilvis ſpinas regnare fatemur,
  Nec querimur cedris altius ire rubos.
Purpurei toto flores cum vere valete;
  Eſt mihi pro cunctis ſpina vel una roſis.
Ite alii, roſeoſque comis innectite flores:
  Spina mihi ſatis eſt, cui roſa Chriſtus erit.
Mirabar; tali ſedes niſi digna corona
  Surgeret, heu! poſcit ſpina cruenta Crucem.
Crux igitur Regi pœnarum ſæva paratur:
  Spinoſum decuit lectulus iſte caput.
Eſt facinus vincire Deum; laniare flagellis,
  Ipſa quod Oceani non luat unda, nefas.
Plus quoque quam gemino guttur fregiſſe parenti
  Poſt flagra, poſt diræ vincla dediſſe neci.
Tollere quid dicam? quid dicam tollere in altam.
  Sacrilegos inter, ſuſtinuiſſe Crucem?
Lingua hæret, ſtupet eloquium, facundia torpet,
  Cunctaque ſunt votis dicta minora meis.

Non

Non eſt ingenium miſero tam grande dolori;
Nullaque ſunt ſceleri verba diſerta ſatis.
Sed quod lingua nequit, vos dicere ſola poteſtis
Lumina: ſunt lacrimis iſta loquenda magis
Quid cerno? Deus, ille Deus, qui numine terras
Temperat, & modico littore frenat aquas:
Et tribus immenſum digitis qui ſuſtinet Orbem,
Qui docet in gyros aſtra redire ſuos:
Quaque pedem figit, nebulæ pro pulvere ſurgunt.
Et vibrat irata tela triſulca manu;
Fixus ab infami pendet trabe, diſcere vultis
Auctorem tanti criminis? ipſe fuit.
Ipſe fuit, qui nos miſere ſe occidit amando:
Non turba hunc fixit barbara, fixit amor.
Fixi ego, fixiſtis mecum quicumque doletis:
Tantum communi crimine pendet onus.
Huc terræ, aſtriferi huc orbes ſpectate dolentes,
Hunc ſi neſcitis forte ego notor ero.
Hæc manus eſt, ludens olim quæ condidit aſtra;
Hoc caput auratas ſol habet unde comas.
Vultibus his debet roſeos Aurora rubores;
Accendit primas Phoſpohorus inde faces.
Labraque nunc atro quæ felle aſperſa madeſcunt,
Ex illis riſus edidicere roſæ.
Pallida concreto ſordet quæ tincta cruore.
Squalet & impexis frons lacerata comis;
Cum polus eſt hilaris, vultum componit ad illam,
Et cum tranquilla eſt, emicat inde dies.
Quæ ſilet eſt olim ſævis vox nota procellis,
Qua mare, qua venti depoſuere minas.
Qua dicente, iterum, ſciſſo jam ſtamine Cloto
Compoſuit vacuas in nova penſa colos.
Vos tamen horrentes alio convertitis ora,
Tamque ferum nequeunt lumina ferre nefas.
Pallidus obſcura Titan ferrugine vultus
Obruit, inque ortus pallida Luna redit.
Impia lugentes fugiunt ſpectacula Soles,
Et ſceleri in medio mergitur orbe dies.

Et pavidæ inſolitas ſtellæ mirantur ad umbras;
  Et quam non fecit nox quoque nocte timet.
Sub pedibus toto concuſſa a cardine tellus
  Nutat, & infandum ferre recuſat onus.
Diſſiliunt trepidis concuſſæ motibus alpes,
  Quaque datur, rupes funera voce gemunt.
Quin etiam antiquis viduantur manibus urnæ,
  Frigidaque inſolitus venit in oſſa calor.
Ut ſcelus improperent vivis rediere ſepulti;
  Et cineres muti verbera vocis habent.
Tu tandem Solyma, huc oculos attolle ſuperbos,
  Aſpice commiſſi barbara ſigna tui.
Agnoſcis, gelida vultus in morte jacentes?
  Agnoſcis laceras vulnere, ſæva, manus?
Hi tibi venturas oculi flevere ruinas,
  Hæ tibi morborum cura fuere manus.
Ille tibi rabidas juſſit ſervire procellas,
  Scilicet, & ſciſſum per mare fecit iter:
Illius hauſiſti ſacrum tu dira cruorem,
  Nec verita es niveum ferro aperire latus.
Ille tibi pluvios demiſit nectaris imbres.
  Juſſit & ambroſios nubila ferre cibos:
Illi tu nigro tinxiſti labra veneno,
  Potaſti ſiccam, perfida, felle ſitim.
Ille tibi niveo manantia flumina lacte,
  Roſcida pro lymphis & tibi mella dedit:
At tu vexaſti linguam morientis aceto,
  Arida vipereus venit in ora liquor.
Ille tibi impoſuit regalis ſerta coronæ,
  Inque tua ſtatuit ſceptra verenda manu:
Te, dextram, reddente vices, implevit arundo,
  Texitque auratas ſpina cruenta comas.
Ille dedit ſolium quod nulla everteret ætas,
  Pro ſolio reddis tu violenta Crucem.
Ergo ſcinde comas, priſcumque exuta decorem,
  Qui deceant lacrimas indue mœſta ſinus.
Sume animos, habituſque ſimul, cultumque gementis,
  Sordidus & ſparſo pulvere crinis eat.

Ut-

Utque ſolet ſponſi crudeli in funere Virgo
  Plangere, quem ſubito merſit acerba dies;
Tu quoque da cari lacrimas in morte parentis,
  Quem tuus in ſævum funus adegit amor.
Tu Mater, tu averte oculos mœſtiſſima Mater,
  Non eſt hæc oculis ſcena videnda tuis.
En amor ille tuus! ſed quam diverſus ab illo,
  Cui lac virgineo pectore læta dabas!
Nunc alia eſt nutrix, miſerum quæ vulnere paſcit,
  Nunc aliis moriens pendet ab uberibus.
Illa, manu toties, & morſu dentis eburni
  Compoſita, heu! ſqualet tincta cruore coma.
Pallida labra tument, Charites quis mille ſedebant.
  Sueverat & liquidum condere nectar apis.
Ora tenet livor, geminis habitata roſetis,
  Atque atræ vultum nubila mortis habent.
Illa, quibus verno texebas flore corollas,
  Tempora ſpinoſi tegminis urit opus.
Dulcibus heu! languent olim tot plena ſagittis
  Lumina, quæque dabant vulnera, vulnus habent.
Heu! manus, illa manus cordis notiſſima furtis,
  Jam labat, & carum laſſa remittit onus.
Quem tu virgineis manibus complexa fovebas,
  Ut molli ſomnum carperet in gremio,
Heu! quam diverſis illum complectitur ulnis,
  Quam non materno Crux fovet, ecce, ſinu!
Clamo iterum, tu averte oculos mœſtiſſima Mater,
  Viſa novam præſtas, & capis ipſa Crucem.
Cogito dum matrem, ſenſus, animique recedunt,
  Nec ſinit ulterius promere verba dolor.
Deficio: ſed ſi lacrimis vox hæret obortis,
  Forte oculi melior lingua doloris erunt.

Ad Clariſſimum Virum
AUGUSTINUM FAVORITUM.

Auguſtine, novem juſtiſſima cura Sororum,
  Vindice quo Latiæ non periere Deæ.

Cui dominæ plaudunt ſeptem de collibus arces,
Flavaque mirantes Albula ſiſtit aquas.
Si canis ad numeros, numeris tibi Thracius Orpheus,
Et tacita victus cedit Apollo lyra.
Seu loqueris verbis, nulla quæ lege feruntur,
Et ſummos deflet lingua diſerta Patres;
Facundos Tulli mane rediiſſe ſub auras,
Te ſemel audito Roma ſuperba putat.
Ille tuæ plauſor, qua tangis ſidera, famæ,
Voce ſalutatum te cupit eſſe ſua.
Et nimis audaces niſi ſpes in pectore verſat,
Optat amicitiæ nomina ſacra tuæ.
Me tibi conciliat primum Natura clientem,
Illa mihi cultus ſemina prima tulit.
Sergia te genuit, Muſis gratiſſima ſedes,
Cui tu naſcendo fama ſecunda venis.
At duo non toto peraguntur ſæcula gyro,
Confinis tellus cum mihi fecit avos.
Nam veterem terra cognomine ducimus ortum,
Proximus Etruſcis qua Ligur extat agris.
Sed tamen ingenuæ, quibus es cultiſſimus, artes
In noſtros animos evaluere magis,
Cum te non noſſem, de te gaudere ſolebam;
Neſcio quis tacitum pectus edebat amor.
Cumque foret tua forma oculis incognita noſtris,
Ingenii vultu jam mihi notus eras.
Spirantiſque tibi famæ tangebar ab aura,
Sæpe tuis auctor laudibus ipſe fui,
Si quæris qui ſim, timido licet ore, docebit
Culta mihi patriis Tuſca Thalia modis.
Nomine regali quæ ſe ſuccincta tuetur,
Et niveum, Auguſta judice tangit ebur,
Dicet Purpurei Decius laus magna Senatus,
Et Bona, cui roſeo tegmine fulget apex,
Hos ego Romuleis colui venerator in oris,
Ille erat, hic Oſtri poſtmodo factus honor.
Tuſcaque Libertas, cui nunc facunda locamus
Verba, quibus patriæ conſuluit illa togæ.

Uti-

Utitur ingenio ſiquidem Luca inclyta noſtro,
Italides inter libera Luca Deas.
Dicet & illuſtri Præſul de ſanguine cretus,
Guiniſi Fabius quem genuere Patres.
Gens inter Tuſcas celebris Guiniſia gentes,
Cui ſors, & virtus, ſed magis iſta favet.
Hos tu notores. ſi quid ſumus, accipe noſtri:
His tu nos vadibus noveris eſſe nihil.
Id tibi fortaſſis nullo moſtrante liquebat:
Teſtibus his, poſt hac nil dubitandus ero.
Nil ſumus, at quando tibi me componere tento,
Sentio tunc plane quam nihil eſſe minus.
Proxima decreſcunt celſis viburna cupreſſis,
Appoſitas ſalices populus alta premit.
Lilia ſunt aliquid, ſi conſpiciantur in hortis,
Junge Jovis ſilvæ, magna fuiſſe neges.
Quod tamen infra te jaceo, mihi cedit honori,
Inque meas laudes non leve pondus habet.
Nempe Menoetiades forti comes ibat Achilli,
Impar, & magni preſſus honore viri.
Nec laus inde minor, licet impar iret Achilli,
Nomine ſub tanto delituiſſe fuit.
Lux noſtræ accedet, ſi qua eſt, clariſſima laudi,
Quod tua ſurgentem nobilis umbra premit.
De me poſteritas præclare ſera meretur,
Si tecum videar quamlibet ire minor.

Ad Clariſſimum Virum

FRANCISCUM REDI

Majorem corporis quam animi curam geri.

Redi, quo rerum gaudet Natura magiſtro,
Cui cedunt Coi dogmata ſacra ſenis.
Cujus Apollinea, qua nil divinius, arte,
Ipſa timent doctas aſpera fata manus.

Fas ſit apud juſtas aures poſuiſſe querelam;
  Vera loquar, dictis arbiter æquus eris.
Faſtus ineſt morbis, & habent contagia luxum,
  Turbaque languentes ambitioſa ſumus.
Condoluit gelida ſi forſan tempus ab aura,
  Si ſpina incautum læſerit icta pedem;
Littore Taprobane quod barbara miſit Eoo
  Quæritur, & rubris herba revulſa vadis.
Angulus affricti ſi forte rubeſcit ocelli.
  Aut anima Boreæ ſtringitur uſta manus;
Quæ foveant ægros alieno ex orbe petuntur,
  Et medicam Thulen parvula tuſſis habet.
Quaſque legunt Arabes, tenero quam fecimus ungue,
  Sanari lacrimis plaga ſuperba cupit.
Quæcumque in Scythicis pubeſcunt gramina ſilvis,
  Quidquid Erythræi deſpuit unda maris:
Quod metit ardenti ſub ſidere decolor Indus,
  Quod tegit æterna terra ſepulta nive:
Quodque procul noſtro, quæ ſurgit America mundo
  Submiſit pretio conciliante fidem:
Hoc ſibi præſtari febricula lenta repoſcit,
  Et, qui vix nomen poſſit habere, dolor.
Et lapis expetitur ſpirantibus erutus hydris,
  Ungula Sarmaticæ dextraque rapta bovi.
Quin etiam gemmis, ipſi nec parcimus auro,
  Et redimi cenſu gaudet avara ſalus.
Ulceribus putres animi, morbiſque fatiſcunt,
  Quæ tamen occurrit, nemo requirit opem.
Pectora, ceu febri, ſic accenduntur ab ira,
  Illa, velut lenta tabe, peredit amor.
Nunc & avaritiæ crudeli crimine pallent,
  Ut qui marcentes ſub cute claudit aquas.
Contactæ ægreſcunt fervente libidine mentes;
  Et tamen haud medicas invocat ulla manus.
Sed refugit tactus, nec ſuſtinet ora medentum,
  Ut mala cantatam vipera vitat humum.
Nec tellus longinqua, nec eſt maris æquor arandum,
  Herba nec a rubro lecta petenda mari.

Non

Non eſt ingenti medicina parabilis auro,
Intus enim cuncti, quo medeantur habent.
Non eſt Antycira furor inſanabilis omni,
Quemque ſatis radix barbara nulla levet?
Pellimus exiguas morituro a corpore febres:
Magna ſed æterna vulnera mente ſedent,

DE SS. EUCHARISTIA.

Panis ab ætherio nobis delapſus Olympo,
Quem manibus Divi compoſuere ſuis.
Deliciæ Regum, Superiſque potentibus eſca,
Dulcior Hyblæo nectare, & ambroſia.
Infantis nutrix animæ, dulciſque papilla,
Vena voluptatis quæ ſine labe fluit.
Eſuriem paſcis, paſcendo accendis orexim,
Et ſimul irritas, exſatiaſque famem.
Qui plus manducat, rurſus plus eſurit ille,
Nec minus eſt felix, quam cibus ipſa fames.
Tu cibus es vitæ, ſi quis te vivus adedit;
Tu mortis, ſi quis mortuus ore capit.
Libat apis flores, & aranea turpis eosdem;
Illa favos dulces, iſta venena bibit.
Nix es, ſed cordi tu mille incendia miſces,
Nube lates tectus, ſed tamen inde nites.
Cerneris haud oculis, ſed cor accendis amore,
Qui magis eſt cæcus te magis ille videt.
Mille volant animis candenti ex orbe ſagittæ,
Cordaque velatus plus ferit acer amor.
Integer exiſtis, quamvis te dextera frangat,
Et creſcis damnis auctior ipſe tuis.
Te capiunt omnes, ſed non finiris ab ullo,
Et quo plus capiunt, plus ſupereſſe vident.
Non ideo minor es, quamvis te mille fruantur,
Mille quod accipiunt ſcilicet, unus habet.
Sit nive candidior, ſi quæ te dextera tractat,
Sit manus alpino purior illa vitro.

Quæ te lingua capit ſit ſole nitentior ipſo,
  Sit velut hibernis lapſa pruina jugis,
Lilia virgineo non ſint ita candida flore,
  Sole repercuſſæ non ita lumen aquæ.
O! verum velans nubes puriſſima ſolem,
  Sed geminans radios illius inde magis:
Dum te ſuſcipio, mihi viſcera tota liqueſcunt,
  Liquitur ut tactis candida cera focis.
Utque duos ignes ſi quis committere tentet,
  Una erit, extiterat quæ modo flamma duplex;
Ceraque ſi ardenti confunditur altera ceræ,
  Utraque commiſto corpore fiet idem:
Sic capio, & capior, ſumo, ſumorque viciſſim,
  Vivo ego, non ego jam, pectore vivit amor.
In me tu panis pro me dulciſſime, vivis,
  Atque animas animam tu, mea vita, meam.
Sic, oro! æternum, ſic o! maneamus in unum;
  Simque ego Tu ſemper, Tu quoque ſemper ego.

S. NICOLAI MYRENSIS

SEPULCRUM.

O quibus egregiis durantur viſcera ſaxis,
Aut Paros, aut mediis in fluctibus alta Caryſtos:
Vel niveæ Ligurum rupes, pretioque rubentes
Gallorum colles, hærbæque imitata colorem
Sparta virens, lapidumque Nomas pallore ſuperbus:
Et quibus eſt pretium candor, quæ torrida multo
Saxa die, pictum maculis traxere decorem,
Et vitiis placuere ſuis, properate, rebellis
Ipſa licet Natura neget, nullaſque ſecantum
Expectate manus; ſed ſponte e divite vena
Ferte, rogamus, opes: ſtudiis uberrima veſtris
Stat merces, pretiumque manet non vile labori.
Non tumidos Regum cineres, maneſque ſuperbos
Impiaque auguſtis famam ablatura ſepulchris
Oſſa tegent, umbraſque prement ſine laude jacentes:
Sed

Sed ſacrum legimus cinerem, maneſque beatos
Inferimus tumulis, & ſanctam condimus umbram.
Pars ſedem factura operi; pars fine ſupremo
Ambiet intextis faſtigia ſumma coronis.
Hic lapis Jonios ſtabit revolutus in orbes;
Hic foliis ſciſſos imitabitur arbore ramos,
Iſthmiacæ molle artis opus, pars cætera vultus
Induet, & formas diſcet ſimulare virorum.
Audior, ex altis cernuntur ſaxa moveri
Sedibus, & famulas operi ſubmittere rupes.
Jamque Italum tenuere ſolum, qua proximus undis
Appulus Hadriacis ſitientia porrigit arva.
Quis veſtrum, o Superi, cui jam dum vita maneret,
Artifici vivos de marmore ducere vultus
Laus fuit, & lapidum dextra mollire rigorem,
Egregium ſibi poſcit opus? quem innoxia tangit
Ambitio, & magni ſibi nominis optat honorem?
Vos, rogo, Praxiteles ſuperum, Phidiæque beati.
Fingere qui docto ſpreviſtis Numina ferro
Impia: nunc Cœlo ſpirantibus aurea ſignis
Atria, & aſtriferos emblemate fingitis orbes:
Parcite, ſi cœptum petimus ſuper aſtra parumper,
Dum nobis ars veſtra vacat, ceſſare laborem.
Buſta Senis Lycii vobis, Urnamque locamus:
Ipſe amplam ſuperis mercedem reddet in aſtris.
Quina operi facies, quina ſe ſe ardua fronte
Attollat, totidem moles habitura magiſtros.
Illic, æternam meruit, quibus ille coronam
Geſta viri, magnæque Animæ ſpectentur honores.
Hic primùm Pueri teneras effingite cunas,
Vagituſque pios, ſanctæque exordia vitæ.
Celſis ipſum oculis, & nil puerile ferentem,
Molliaque inſolito dedignantem ubera faſtu
Artifici ſignate manu, cunabula circum
Attonitæ matres ſtabunt, Naturaque frontem
Contrahet, ingentem Pueri mirata repulsam.
Parte alia firmis jam jam generoſior annis,
Res nova! labentem pretio ſervare pudorem

Inci-

Incipiet, timidis vadentem greſſibus, umbras
Per cæcas illum, tacitæque ſilentia noctis,
Et Pudor, & magni comitetur conſcia furti
Fama virum populis gaudens monſtrare futuris.
Deprenſi, Pater attonitus, lacrimiſque madentes
Hærebunt pedibus Natæ, vultuſque decoras
Dejectæ, dignas certabit ſolvere grates
Virginitas, aurum tum primo experta pudicum,
Ille indignanti ſimilis, ſimiliſque dolenti,
Quod patuit; ſanctaſque manus male cauta retexit
Inſidias, tanti ſolum alta ſilentia facti
Orabit pretium, meriti, non laudis avarus.
Hæc inter, tumidi late maris ibit imago
Fervens, & cano ſpumabunt littora fluctu.
In medio infelix, laſſo jam remige puppis,
Debilis, & ſciſſis errans in gurgite velis,
Inque latus jam prona, artem ſuperante procella,
Accipienſque ſalum, pelago, ventoque dehiſcet
Hæc cernens Lycius, nimbos, undaſque potenti
Terrebit juſſu: audito quo, protinus omnis
Concidet ira maris, placataque murmura venti
Submittent, repetentque humiles ſua clauſtra procellæ,
Aſt alibi magnus ſacrata in veſte Sacerdos,
Et jam purpureis redimitus tempora vittis,
Jura dabit, ſanctoſque viris ediſcere mores.
Ille profanatas tot jam per crimina terras
Luſtrabit; Divumque aras, ſceleratque templa
Subvertet, Cœloque ereptos reddet honores.
Cernere erit triſti mœrentem lumine Avernum,
Horrendoſque ſinus pandentem, & nota vocantem
In loca, jam tandem manibus poſt terga revinctis
Damnatos, victoſque Deos, ſimulacra jacebunt
Culta olim, viles vulgò, ac ſinè nomine trunci.
Nec procul hinc ſacri, vittis, auroque coruſci,
Tercentum ſedeant, Orbis clariſſima Patres
Lumina, vel dignus ſupero conſeſſus Olympo.
Cauſarum hîc vario multum turbante tumultu,
Impius inſana violat dum Numina lingua,
Igne

Igne pio fervens, & relligionis amore,
Ultricem Lycius ſacrorum, in verbera dextram
Exſerat, & palma faciem jurgantis inurat.
Indè per invidiam ſacro ſpoliatus honore.
Dum queritur ſecum ſecreta noctis in umbra,
Aurato Regina poli circumdata nimbo,
Nube ſedens latos humeros, pectuſque merentis,
Ingenio ſuperum texto, velabit amictu.
Talia per tumulum, magnique jacentis in urna
Poſteritas Divum manibus cælata notabit.
Sæcula non illam, non invidioſa vetuſtas,
Nec qui nunc Italis Thrax impius imminet oris,
Barbarico poterit veniens exſcindere ferro.
Magne Parens, cujus cineri ſtudioſa Juventus
Nunc damus inferias, ariſque adolemus honores:
Sit ſatis antiquæ quod barbarus hoſtis inhæret
Jam patriæ, Lyciæque premit pede colla ſuperbo.
Quòd nuper Regina maris, toto orbe gemente,
Creta ſub immani cecidit paſſura Tyranno
Servitium, noſtris tandem ſatiata ruinis
Placatos terris oſtendant Numina vultus.
Tu, Pater, Italiam, Italiam quæ læta beato
Nunc fovet. & ſacram gremio complectitur umbram,
Tutare, & ſævos procul, o! procul eſſe furores
Dive, jube, nos hîc memores, Pater, annua ſacra,
Votorum, & meritos ſemper referemus honores.

D. PETRO PARENTIO,

Urbis Veteris Patrono, & Martyri Clariſſimo.

EPINICIUM.

Laurigeri cineres, & nobilis urna triumphis,
Magnæ animæ quondam victrices ceſpite ſacro,
Quæ tegis exuvias, & ſanctam contegis umbram:
Quam vetus abruptis incumbens ardua ſaxis
Urbs colit, & ſceleris tergit veſtigia cultu:

In-

Inſpergunt alii dum te, violiſque, roſiſque,
Et ſacris adolent donis, quæ limite felix
Mittit odorato nemoris populator Eoi:
Nos, quibus eſt auro pauper, ſed carmine dives
Cenſus, & in ſola tota eſt opulentia lingua,
Verborum damus inferias; facilique beatos
Quod fluit ingenio placamus carmine Manes.
Et tu, magnanime o Juvenis, quem prodiga celſo
Sanguinis, ac animæ virtus tranſmiſit Olympo;
Seu nunc purpureos inter non ultima Divos
Gloria, qui egregias animas per vulnera faſſi,
Laurigero flavum crinem velatus honore
Incedis: ſeu quas ſceptro dum vita maneret,
Quaſque triumphali ſacraſti ſanguine ſedes
Lætus habes, tumuliſque tuis umbra hoſpite inerras:
Dexter ades facilemque tuis da laudibus aurem,
Non tu plebejos duxiſti degener ortus,
Patriciis ſed clarus avis, quos inclyta Roma
Dixit, & experta ſenſit virtute Parentes.
Sed tu nil Patriæ debes; nec purpura gentis
Tantum laudis habet, quantum tibi, magne, dederunt
Purpurei mores; mentiſque excelſa ſerenæ
Nobilitas: nec ſpes inter, dubioſque timores
Incertus, nec fortunæ perflabilis ullo
Turbine, ſed concors animus, quo fluxit Olympo,
Dives opum, quas plena manus (ceu fonte perenni
Defluit, & multo campos Tagus irrigat auro)
Sparſit: nunc auri largus; paulò inde cruoris.
Nec tibi felicis torrens facundia linguæ
Defuit: una ſimul nivibuſque, & melle fluebat,
Una auro: ex animo pretium cum verba referrent.
Eloquio pariter, pariter venerabilis alti
Robore conſilii: primo cum flore juventus
Maturum canæ mentis junxiſſet honorem.
Sed jam victrices tibi gloria nectere palmas
Geſtibat, lætiſque intexere ſerta triumphis.
Perdita cognatis ardebat Etruria bellis:
Arma hinc Relligio, felicius inde ferebat

Im-

Impietas, paſſim viduatæ cædibus Urbes,
Arvorum deſertus honor, cum lancea curvi,
Triſte nefas! miſeris uſum vertiſſet aratri.
Crimen erat virtus, & cum plus poſſet in armis
Jure minor, melior faciebat cauſa nocentes.
Non ſuus eſt aris cultus, Superumque jacebat
Majeſtas neglecta Deum, non principis ulla,
Nullaque ſanctarum ſtabat reverentia legum.
Non tulit hanc Genitor cladem, cui jure potenti
Conceſſum æthereos aperire, & claudere poſtes;
Teque jubet feſſis tandem ſuccurrere rebus
Protinus incedis, nec ſunt tibi tela, nec enſis,
Non galeæ, clypeique tegunt; armatus at uno
Pectus inerme Deo nudum latus obiicis hoſti.
Non ferrum, non arma times; per tela per ignes
Vadis, & in pulchra dulce eſt occumbere morte.
Nox uti cæca die, ſic te veniente receſſit
Impietas, cepitque metu frenum ore cruento.
Sed malus eſt recti cuſtos metus: intus acerbas
Molitur fraudes, & pectore concoquit iram.
Nox erat, & placido languebant victa ſopore
Membra thoro; cum te ſtricto manus impia ferro
Appetit, hic dirum capiti ferus imprimit enſem.
Hic lateri ingeminat vulnus, ſacrumque cruorem
Haurit, & exultat victor ſcelus, haud ſecus ipſe,
Victima, quam ſacræ caſuram deſtinat aræ.
Jamque ictum librat velatæ in colla Sacerdos,
Non fugis, & jugulum vel ſponte, furentibus offers,
Adſunt Tartarea celeres a ſede cruentæ
Ultrices Diræ; flammiſque armata Megæra
Perfurit in mediis, ſceleriſque inſpirat amorem.
Virtutum Chorus, a ſtellato cardine Olympi,
Cana Fides, placitique tenax Conſtantia recti,
Atque animi invicta, & gaudens Patientia duris,
Certanti adjungunt animos. Victoria crinem
Innectit palmis, & tergit vulnera lauro.
Concidis, heu! tandem, Miles fortiſſime, & atro
Spargis humum moriens, una, ſacraſque cruore.

Sed

Sed tibi apud ſuperos læti pro morte triumphi,
Palmatæque manet, quam purpura ſanguinis ornat,
Veſtis honos: illoſque inter, qui funere pulchro
Emerunt olim Cœlum, palma, atque coronis
Inſignis, miranda polo ſpectaberis umbra.
Quin, ubi tunc jacuit ſacrum ſcelus, arida frondes
Induet, & bifero fœtu curvabitur arbos:
Et tumulum ſupra, victricia qui teget oſſa,
Aurea nocturno labentur ſidera Cœlo.
Nec tibi defuerint, quos terra impendit honores.
Nam proprio indignans ſceleri gens impia quondam,
Tempus erit, quod nunc committit crimen adoret.
Et laceros relegens artus, ſparſoſque cruore,
Componet lacrimis funus; dignumque triumphis
Pro tumulo æternum ſtatuet, tibi Dive, trophæum.
Teque ſibi proprium ventura in ſæcula Numen
Optabit: cumque arva ſiti torrebit anhelum
Sidus, & hiberni ſine more e nubibus imbres
Labentur: cum nigra lues, & lethifer annus
Sæviet: aut rutilo cum fulſerit igne cometes:
Tunc tibi thura dabit, tibi tunc in vota, preceſque
Pallida, fulgenteſque humilis reptabit ad aras.
Hæc olim; nunc vota magis felicia læti
Concipimus quodque ipſe velis, te Dive, rogamus
Unde genus ducis tibi Gens Parentia cordi
Sit, petimus; quæ Romuleis quondam inclyta terris.
Nunc quoque Patricio Lucam commendat honore.
Divitiis ſemper felix, & prole beata
Floreat, & patriæ, Libertatique tuendæ,
Non illi populi faſces, alternaque deſit
Purpura; & auratas geminet fortuna curules.
Sera petat Cœlum, nec jam, velut antè, ſeveras
Cloto auſit properare colos: tu ferrea penſa
Lentius ire jube, ſatis eſt, florentibus annis,
Lumina tot cecidiſſe virum; cumulataque acerbis
Funera funeribus quondam; raroſque nepotes
Nomen avi, vultuſque ſenum vidiſſe parentum.
Tu ſacra, tu Dive manu labentia fata
Con-

Contineas; non ut terræ condonet Olympus
Depoſitum, ſed parva moræ nos lucra rogamus,
Utque tuas Vatem ſanguis dignatur honore.
Tu quoque ſidereis ſic illum dilige ab Aſtris.

DIVÆ CATHARINÆ PUERO JESU NUBENTI.

Epithalamium.

Jam belli cecidere minæ, ferrique reſedit
Sævus amor: poſitiſque odiis jam mitis Enyo
Dulcia ſanguineas inclinat ad oſcula criſtas.
Jam pridem reſides, Martiſque horrore ſilentes,
Sacra novem colitis, vos ô quicumque, Sororum,
Ad numerum revocate fides; ſat muta quierunt
Plectra, nec arguto plauſerunt pectine chordæ.
Huic Regum palmæ, & quæſitæ ſanguine lauri
Carmen erunt, viduas hic flebit civibus urbes:
At mihi, quæ niveam deceat mitiſſima pacem
Cura ſit, & teneri placidè ludantur amores.
Eſt locus, ignoto Nilus qua fonte ſolutus,
Ferventes poſt quam Libyæ ſitientis arenas
Effuſus ripis fœcundo flumine merſit;
Oceano tandem ſepteno gurgite fluctus
Evolvit; bellumque infert, non munera ponto;
Qua poſt emenſum ſignis victricibus Orbem
Pellæus Juvenis, fatis præreptus iniquis,
Exiguam magnis vix implet manibus urnam.
Hic, genus antiquo ducens a ſanguine Regum
Forte fuit, caſtis jam pleno ſidere Virgo
Apta thoris, multi votis petiere maritam.
Illa tamen niveum nulli ceſſura pudorem,
Propoſiti cuſtos cunctorum vota fefellit.
Non illi molles animi, ſexumque fatentes
Imbelles curæ, tenui non ducere filo
Stamina; non pictis telas variare figuris.
Non gradibus formare comam, non ſpargere odoro
Pul-

Pulvere; non cantu vocem, greſſumque choreis
Frangere: ſed multo vigilatas ſidere noctes
Traxiſſe, atque oculos dulci fraudaſſe ſopore;
Attica dum quidquid, quidquid Romana vetuſtas,
Poſtera tranſmiſit doctis in ſæcula chartis
Noſſe cupit, roſeos macie corrumpere vultus
Nil curans, contenta animo quæſiſſe decorem.
Senſerat hanc pridem mortales ſpernere tædas
Divus Amor, lectique jugum cervice rebelli
Excutere, & frenis avertere mollibus ora.
Senſerat; & celeres arcus, pictamque pharetram
Suſpendit lateri, atque humeris accommodat alas.
Et liquidum tranans demiſſis aëra pennis
Per molles Aſiæ populos, atque arva nigrantis
Auroræ, & rubri pretioſas littoris oras,
Niliaci petiit felicia regna Canopi.
Lapſus ab aſtrifero tum forte errabat Olympo
Rex Superum per rura Phari, dulcique reviſens
Quas olim exilio, latebriſque ſacraverat Urbes,
Regia Pellæi luſtrabat tecta Tyranni.
Ecce autem erranti, ac oculos per cuncta ferenti,
Virgineis comitata choris, dulcique pudore
Purpureas velata genas, edoctaque blando,
Ne pereant animi legem poſuiſſe decori,
Occurrit Virgo, qualis ſub nocte ſerena
Cynthia, cum ſtellis jam plena minoribus obſtat.
Ut pudor ingenuus, teneræque modeſtia frontis,
Caſtaque ſimplicitas, & qui ſub corde latebant,
In vultu micuere animi, forma aurea cujus,
Divini referens oris veſtigia, tantum
Traxerat occulta veri virtute decoris:
Ceu, vix admoto ſi ſulphure tangitur ignis,
Emicat, inque focis jam jam morientibus ardet,
Sic oculis rapit ille faces: tenueſque favillas
Ebibit, & prima tepuerunt pectora flamma.
Riſit Amor, plagæque novum parat addere vulnus.
Ergo manu capit auratam celer ille ſagittam,
Admotamque faci tenero malus imbuit igni,
In-

Inſtillatque focos, dulci tingitque veneno,
Te numen, te Virgo petens: vixque aurea curvo
Ille bis adducto ſinuavit cornua nervo;
Cum ſubito geminum patuit ſub pectore vulnus.
Corripuitque duplex amborum flamma medullas.
Jamque ſui oblitum, totum eſt in virgine Numen,
Jamque oblita ſui, tota eſt in numine Virgo.
Aſpectu nutritur amor; ſerpitque fovendo
Vulnus; & occultæ populantur viſcera flammæ.
Jam dulces lacrimæ, atque imo ſuſpiria corde;
Jam ſomni vigiles, atque index pallor amantum,
Sollicitique metus, timidæque in pectore curæ,
Ceteraque ardoris veſtigia nota latentis
Apparent: celentque licet, produntur amantes.
Sed cur diſſimulet. Virgo, cui nulla pudoris
Cauſa ſubeſt, ultroque ſuum non proferat ignem?
Illum amat, intactæ qui Virginis editus alvo
Haud minuit niveum violato corpore florem.
Illum amat, immotis quem Sol, & Luna viciſſim
Miratur radiis, & paſcere neſcit amorem.
Nox erat, & terras jam circumfuſa per omnes
Prima ſoporiferi ſpargebat nubila ſomni:
Ecce in complexu caræ genitricis ab alto
Cum venit in terras, proprios viſurus amores
Rex hominum, Divumque pater: non qualis Olympum
Torquet, & aërios convellit fulmine montes;
Sed teneris olim, tarde volventibus annis
Qualis erat, dulci cum nuper ab ubere raptus,
Ora puer roſeo blandè veſtibat honore.
Stat niveis ſua forma genis, & fronte decora
Errant effuſi per eburnea colla capilli.
Sidera ſunt oculi, matutinaque rubeſcunt
Labra roſa: violæ gaudent non vincere crines.
Auroræ ſordent digiti, nec Lucifer audet
Oceano proferre caput: jam colla pruinas
Infuſcant: Pariumque extinguunt pectora marmor.
Hoc igitur, vultu, qualique decebat amantem,
Conſtitit ante Puer dilectæ Virginis ora,

Porrexitque manus blande, colloque pependit
Dulce onus. haud aliter Cœlo fugientibus aſtris
Nocturnæ primo tabeſcunt ſole pruinæ,
Solvitur ut Virgo in fletus, dulceſque decoris
Proſiliunt oculis lacrimæ, Puerumque fatigat
Blanditiis tenet amplexu, atque immobilis hæret.
Utque apis, æſtivi quæ circum rura Matini
Per thyma, per violas mellito immurmurat ore,
Nec libaſſe ſemel ſatis eſt, juvat uſque morari:
Sic avide roſeo depaſcitur oſcula vultu.
Inde ait, ô dulcis rerum ſpes una mearum,
Care Puer, dilecte Puer, Puer edite Cœlo:
Expectate venis, qualem teneoque, quibuſque
Deliciis, o Sancte! fruor, dulcedine pectus
Effluit; atque animam, vitam complexa, relinquo,
O nive candidior, liquidis formoſior undis,
Splendidior ſtellis, matutinaque pruina
Purior, atque favis Siculæ mihi dulcior Hyblæ;
Funere Phœnicis, vernaque fragrantior aura,
Mollior, & plumis, & blandior ore columbæ.
Laude Puer gaudet, figenſque Parentis in ora
Flagrantes oculos; caſtis, tenero mihi, Mater
Hanc liceat ſociare thoris; humana peroſam
Connubia, & ſancti ſervantem jura pudoris.
Annuerat Genitrix; geminas lætiſſimus alte
Cum tædas erexit Amor; roſeaſque coronas
Sparſit Hymen, tum Virgo parens, ceu pronuba dextras
Nectit; & æternum conjurant fœdus amantes.
Aligerum plauſere chori, lætuſque per auras
Clamor iit, lævique poli de parte ſerena
Aurato fulmen diſcurrit in æthera nimbo.
Latius excelſas diffudit in æquora flammas
Læta Pharos, fecitque diem, Niluſque levavit
Ignoto de fonte caput, cupiitque videri.
Spumeus, auratam cubitoque acclinis in urnam,
Fata canens, hæc præſago ſuperaddidit ore
I, decus, i, noſtrum, thalamo dignata Tonantis,
I, ſupero conjuncta Viro, regumque ſuperbas,
For-

Fortuna potior lecti, contemne maritas.
Non fati arbitrium, nec ferrea jura ſubibit
Hic amor, at poſtquam propriis tumulata triumphis
Læta coronato pones in funere vitam,
Ibis ad æthereas felix victura per ævum
Umbra domos: Sponſoque iterum conjuncta beato
Elyſias inter ſuperis plaudentibus ibis
Conſpicienda nurus; viveſque ubi nulla timendo
Funere ſæva dies animos divellet amantum

Clariſſimo Viro

ANTONIO LAMBERTI

Magno Lucenſis Reipublicæ Cancellario.

Invidia magnos Viros premi.

Cedimus invidiæ, grateſque rependimus illi,
  Quod magnis miſcet nomina noſtra viris.
Non niſi ſublimes feriuntur fulmine montes,
  Non ſentit Cœli vallis aperta minas.
Irati frangunt ingentia robora venti,
  Abſtinet a juncis aura ſuperba manus.
Spumeus in ſcopulos incurrit murmure fluctus,
  Littoribus ſervat dura procella fidem.
Sic capita invidiæ telis excelſa petuntur,
  Cui fama eſt clari nominis ille perit.
Cui favet ingenium, volitatque per ora virorum,
  Hic premitur, ſævis ictibus ille patet.
At viles animas, plebejaque nomina vulgi
  Præterit; obſcuras non amat illa domos.
Tigris in armentis exercet ſæva furorem,
  Imbelli parcit nobilis ira gregi.
Scipiadæ magnum dederat victa Africa nomen,
  Hactenus invictum vicerat ille virum.
Illa domus Mauris gaudebat fœta triumphis,
  Florentis patriæ Scipio lumen erat.

Plaudebat niveis illi Victoria pennis,
  Fama illi tota flabat amica tuba.
Vadentem tenero mater monſtrabat alumno:
  Hoc ſpecimen Latiæ poſteritatis erat.
Sed dudum obliquo ſpectabat lumine livor,
  Quid monſtri tandem, livor acerbe, feres?
Scipio tot lauris, totque inclytus ille trophæis
  Pellitur, ingrato juſſus abire ſolo.
Quique egit niveos Capitolia ad alta jugales,
  Junxit araturos ad juga lenta boves.
Arva triumphalis verſabat vomere dextra,
  Dextera, quæ Pœni fregerat arma Ducis.
Quaque olim palmas, illa mox ſevit olivas;
  Par raſtris, & par enſibus illa manus.
Victores patrio cineres caruere ſepulchro:
  Exul homo ignota nobilis umbra jacet.
Turba olim doctis verboſa latrabat Athenis,
  At qui facundè diceret unus erat.
Unus erat, livor dentes infixit in uno,
  Et voluit patriis ſedibus eſſe procul.
Divina unius Demoſthenis ora quierunt;
  Sola tamen fuerant quæ meruere loqui.
Convenit ignarum tacita ad ſuffragia vulgus,
  Urnaque damnatum pellit iniqua virum.
Bellua multorum capitum eſt ignobile vulgus,
  Nec mores veri Principis illud habet.
Curia cœleſti Tulli pendebat ab ore,
  Os illud Romæ, cum loqueretur, erat.
Aurea tot gemmis quot verbis lingua fluebat;
  Dictaque nunc flores, & modo fulmen erant.
Dicentem armatus Catilina timebat inermem,
  Cedere tranquillæ juſſerat arma togæ.
Quot tunc cauſidici vaſtumque, & pingue ſonantes
  Vendebant rauco garrula verba foro?
Et tamen invidiæ non illos fulmen aduſſit,
  Et capiti gladium non timuere ſuo.
Attrita ſuccincta toga plebecula vilis
  Perfurit, & Patriæ pellit iniqua Patrem.

Ere-

Ereptam flammis, & qui ſervaverat Urbem,
Servata haud habuit pulius in Urbe locum.
Antoni, cujus rebus mens nata gerendis
Conſilii priſcos robore vincit avos:
Qui populi antiqua Etruſci Tabularia ſervas,
Quemque ſacer dextram, jure, Senatus habet;
His levor exemplis: & ſi me dira flagellet
Invidia, his animi vulnera curo mei.

IN NATALI S. CÆCILIÆ.

Cæciliæ natalis adeſt, celebrate faventes,
Et date ſacratis maſcula thura focis.
Lætus eat ſine nube dies, puraque ſerenus
Luce, ſub occiduas uſque feratur aquas.
Immites ſolito taceant ſine murmure venti,
Et maris hiberni molliter ira fremat.
Urite odoratas quas terra divite meſſes
Fuſcus ab immodico ſidere miſit Arabs.
Et florum lacrimas ſubjectis urite flammis,
Et lento fumet ſpica Ciliſſa rogo.
Mollibus ardentes innectite frondibus aras,
Vitta coronatas pendeat ante fores
Quaſque tulere nives nimbos laxate roſarum,
Stentque per hibernas alba liguſtra roſas.
Ver niveam lætis prætexat floribus urnam,
Serta ſacro cineri candida nectat Amor.
Otia vicino ducant in littore nautæ,
Et decoret feſtas plexa corona rates.
Tuque Pater Tiberis, qui proximus alluis unda,
Flaventi placidum gurgite tolle caput.
Et magnæ ſupplex cinerem veneratus alumnæ,
Pone humilis tumidas ad ſacra templa minas.
Innumeræ circum longo ſtent ordine flammæ,
Præbeat his dulci de face lumen Amor.
Et data mille ſonent felicibus oſcula ſaxis,
Turbaque ſacratam pectore verrat humum.

O ego quam vellem vigiles ibi ducere noctes,
  Noctibus & totos inſeruiſſe dies.
Dulcibus & caros lacrimis infundere manes,
  Et terere appreſſis oſſa beata genis.
Anguſtæ capiunt me ſacra ſilentia cellæ,
  Præſentemque horror qui docet eſſe Deam.
Sed vos ite, quibus vultu Fortuna benigno
  Indulſit caſto limen adire pede.
Miſimus ex avido nos hinc ſuſpiria corde,
  Et dedimus fidis verba ferenda Notis.
Ipſa polo viſura ſuos deſcendat honores,
  Inque ſuos veniat Diva vocata lares.
Ambroſios decorent cui mollia ſerta capillos,
  Et fluat in niveos aurea palla pedes.
Extent purpureo victricia vulnera collo,
  Stillet adhuc puro roſcidus imbre cruor.
Utque ſolet, tenera percurrens organa dextra.
  Sidereum dulci fundat ab ore melos.
Annuat, & precibus donet quæcumque rogamus:
  Eja anime, en votis annuit illa, roga.
Non tu gemmiferis quidquid peregrinus ab Indis,
  Vel quod de rubra navita legit aqua.
Nec cupis Eois quidquid pretioſa procellis
  In vada ſe tollens evomit ira mavis.
Non Tyrii quidquid fucatur labe veneni,
  Quod Babylon docta barbara pingit acu.
Non arva innumeris quamvis laſſentur aratris,
  Aut ſpumet Grajo nobilis uva mero.
Auguror, optabis caſtæ tu mentis honorem,
  Hoc ipſam memini te docuiſſe Deam.
Sint mihi ſinceri, turpi ſine crimine, mores,
  Nec maculet corpus ſordida culpa meum.
Siſtar ad extremi trepidam cum Judicis urnam,
  Nullus ut attonito palleat ore pudor.

AD

AD CHRISTINAM AUGUSTAM SVECORUM REGINAM.

Dicta mihi Thuſcis Latia dicenda Camœna,
Quamquam impar meritis utraque Muſa tuis:
Auguſtas iterum plectro modulamur ad aures,
Et tibi Pierium dextera tangit ebur.
O Regum ſidus, patrio cui ceſſerit aſtro
Arctos inocciduo quæ pede neſcit aquas.
Nec quæ purpureo Venus aurea fulgurat ore,
Audeat in vultus ipſa venire tuos.
Ut ſit par forma, ſuperas, Regina, pudore:
Nec tibi, ſed ſpernis, palma decoris abeſt.
Ars tibi non roſeo vultum pinxiſſe veneno,
Nec ſpeculi certam conſuluiſſe fidem.
Urere nec ferro, nec in orbem ducere crines
Docta, nec Aſſyrio ſpargere rore caput.
Sed celeri auratas arcu lentare ſagittas,
Et bellatori ſubdere calcar equo.
Et qualis nemorum Dictynna perambulat umbris,
Et pavidas curſu terret, agitque feras:
Nunc ſpumantis apri jaculis haurire cruorem,
Et nunc majoris figere terga feræ.
Mox eadem æratas educis in arma cohortes,
Atque viris monſtras fœmina Martis opus.
Et prima ante aciem criſtis inſignis, & auro,
Irruis in pulchram ſtricta per arma necem.
Te non Arctoi dura inclementia Cœli,
Non terra æterna fregit operta nive.
Et te concreto portarunt flumina dorſo,
Tergaque conſtricti ſunt tibi preſſa maris.
Inde redis aucta imperiis, & fœta triumphis,
Itque per auratas laurea nexa comas.
Victricem ſenſit te ripa binominis Iſtri,
Viſtula vincta gelu, ſed mage vincta metu.
Nec tu fœmineas duxiſti in bella catervas,
Mollibus aut armis imperioſa venis.

Hippolyte qualis Grajos exibat in hoſtes,
Aut tua qualis erat, Pentheſilea, manus.
Degeneres aut quos laſciva Semiramis olim
Littore ab Aſſyrio duxit in arma viros.
Sed domitrix Orbis, ſed gens aſſueta triumphis,
Sed Mars ſub ſignis venerat ipſe tuis.
Ipſa alacri vultu, & ſpirans virtutis amorem,
Una animos, vires omnibus una dabas.
Qui te vidiſſent poterant ſperare triumphos,
Dextera erat fulmen, lumina fulmen erant.
Qua ferres greſſum, niveis victoria pennis
Prævertens, multa cede parabat iter.
Sed quamvis regni magnis exercita curis,
Et belli, & pacis mens licet una fores,
Regibus ignotas artes Regina fovebas,
Inque tuos Virtus venit amica lares.
Veſtibus in laceris illam, timidamque pudore,
Cepiſti ſacro molliter ipſa ſinu.
Dumque illi aſſidis, gelidæ nec tempora brumæ,
Nec gravis æſtivi ſideris ardor erat.
Augebas illam donis, ſed & ipſa viciſſim
Nobile in ingenium larga ferebat opes.
Nec tibi vilis erat, corrupti crimine ſæcli,
Quiſquis Apollineæ gaudet honore lyræ.
Ipſum me patriis non aſpernata loquentem
Quos canere edocuit Tuſca Thalia modis,
Alloquio, & vultu pariter Regina beaſti,
Muſaque judicio eſt noſtra ſuperba tuo.
Felices, qui te viderunt jura ferentem,
Quæ bene tam Minos, nec daret ipſa Themis.
Quanta erat auguſtæ tunc excelſiſſima frontis
Majeſtas! quantum numen in ore fuit!
Cum tu regali incedens venerabilis oſtro,
Geſtares forti ſceptra paterna manu.
Teque genu poſito ſeptem gens tota Trionum,
Te tremerent Moſchi barbara regna trucis.
Solvebant pictæ cum te ſpirante carinæ,
Unaque eras totis aura ſecunda fretis.

Divi-

Divitis Auroræ cum munera decolor Indus
  Mitteret a rubri littore rapta maris.
Te Sol Occiduus, te Sol ambiret Eous,
  Quæque calet medio terra Lybiſſa die.
Sed mage felices qui te videre jacentem
  Romulei pedibus procubuiſſe Patris.
Qui Petri ad cinerem Geticos afferre triumphos,
  Figere & in ſacras oſcula mille fores.
Vidit, & infrendens pallentia labra momordit,
  Atque alio vultum contulit Impietas.
Relligio exultans puras ad ſidera palmas
  Extulit, & Superum plauſit ab axe chorus.
Vive decus noſtri. Phœnixque noviſſimus ævi,
  Soſpite qua, ſtudiis cernimus eſſe Deam.
Quod ſqualore novem nondum periere Sorores,
  Quod nondum putri mœret Apollo lyra:
Quod tenet antiqui ſpeciem quamcumque decoris,
  Tota nec interiit Muſa Latina, tuum eſt.
Perge iſtis, Auguſta, animis: ſic itur ad aſtra,
  Sic nihil in famam funera juris habent.
Officiis certate ſimul: da vivere Muſis,
  Non poteris Muſa tu prohibente mori.

AD JOANNEM CARDINALEM BONA.

Laus mihi ſi qua foret ſpirantia fingere ſigna,
  Si poſſem ut docta viveret arte lapis:
Gloria ſi tabulis eſſet mihi reddere Apellem,
  Si par Lyſippo duceret æra manus:
Centeno ſacri ſtarent de marmore vultus,
  Te tabula, & molli duceret ære labor.
Sed cum nil faciles dederint niſi carmina Divi,
  Doctaque Pieriis fingere verba modis,
Carminibus ſacram, Princeps tibi maxime, formam
  Ponimus, æternum carmine vivat opus.
Primam illi ſedem gaudens fortuna locavit,
  Cæca licet, partes vidit amica ſuas.

Illa

Illa tibi clarum dedit alto a ſanguine nomen,
 Et trahere antiqua nobilitate genus
Sed tibi nil ſanguis, magnus nil contulit ortus,
 Veniſti claris fama futurus avis.
Naſcenti puero doctæ riſere ſorores,
 Et Charites gremio compoſuere ſuo.
Suada tibi dulces expreſſit in ora papillas,
 Næniolam aurata dixit Apollo lyra,
Fecit apis molles placido tibi murmure ſomnos.
 Blandaque ſopiti ſtruxit in ore favos.
Creſcis, & a primis Virtus tibi jungitur annis,
 Formandumque animum ſuſcipit illa tuum.
Arripuit teneram ſibi tota modeſtia frontem,
 Caſta verecundus venit in ora pudor.
Simplicitas oculos accepit pura regendos,
 Gratia purpureis ſedit amica genis.
Relligio, & Pietas tenuere ſacraria mentis,
 Quæque animi motus imperioſa premit.
Flos erat ætatis ſed jam tibi ſpina placebat,
 Spina, cruentatus qua cruce languet Amor.
Delicias ergo, & quidquid male blanda voluptas
 Fert, animi invicta nobilitate fugis.
Clauſus & anguſtæ felici carcere cellæ
 Cœlum habitas, Cœli civis, & exul adhuc.
Hic ergo quid lacrimas, quid longa ſilentia narrem,
 In ſacra quid noctes cantica pervigiles?
Sint mihi non dictæ Cilicum de ſtamine veſtes,
 Et dapibus cunctis plus pretioſa fames.
Hic arcana tibi Sophiæ, ſanctique receſſus,
 Evulſis foribus, cardinibuſque patent.
Hic rerum cauſas felix ediſcis, & alta
 Indole ſub pedibus ſpemque metumque premis.
Hic Mundi motus, æternaque fœdera noſcis,
 Cur conſtans certis legibus annus eat.
Cur ſedet æternum tellus immobilis: æſtas
 Cur properet ſoles torrida, tardet hyems.
Cur nunc exigua eſt, nunc plena recolligit ignes,
 Cur modò cantatis Luna laborat equis.

Un-

Undè tremunt imo concuſſæ a cardine terræ,
  Sidera cur cœlo ſæpè refixa cadunt.
Undè rubet ſævus fatali crine cometes,
  Æquore cur tingi Parrhaſis Urſa negat.
Undè leves animæ ventis; cur humidus æther
  Solvitur, & pluviis irrigat imber aquis,
Sanctius ingrederis Divum penetrale Sacerdos,
  Juraque ſecreti ſunt tibi nota poli.
Scis ut mente Pater gignit, Natoque, Patrique
  Afflatus, ſacris ignibus ardet Amor
Cur quæ mortali volitant ſine pondere mentes,
  Sidera pars Cœli, pars loca noctis habent.
Nec minus interea mites colis ordine Muſas,
  Fortia nec tantum, ſed quoque amœna placent.
Hinc calamos ſumis, fonteſque effundere ſacros
  Incipis, & fructum poſteritatis amas.
Si ſcribis, rutilo tu chartas illinis auro,
  Pro verbis gemmas pagina docta refert.
Vincta metro ſcribis, vinclum tibi nectitur auro.
  Verba fluunt auro quæ ſinè lege fluunt,
Sive Melos doces Cœtum cantare Piorum,
  Seu Ducas fida certus ad aſtra Manu,
Seu tu longinqui monſtres Compendia Cœli,
  Quodque Deum recto tramite tangit iter.
Seu ſacra quîs Superum caſtas operamur ad aras,
  Et quo ſunt ritu Numina digna coli:
Scripta docent quantum tibi pectora flumen inundet.
  Divitis ingenii vena beata patet.
Quid mirum ſi te ſocii voluere Parentem,
  Melliflui ſedes ſi tibi lata Patris?
Si proceres, ſi te petiere oracula Reges,
  Si ſummos Virtus traxit amore Patres?
Magnus Alexander curas cum poneret Orbis,
  Atque animo requiem quæreret ille ſuo;
Teque, ſinuſque tuos, ceu portum, intrare ſolebat,
  Tu ſtatio, magnæque otia mentis eras.
Sæcula mox Clemens qui præſtitit aurea Mundo,
  Monſtratus terris, ſed citò raptus amor:

Mira-

Miratus meritum, roſeo te cinxit honore,
  Purpureoſque inter juſſit adeſſe Patres.
Urbs plauſit, cuncti qui tunc fueramus amici
  Plauſimus, in tantis plauſibus ipſe doles.
Quæſiſti latebras, ſed non texere fideles:
  Produntur radiis ſidera tecta ſuis.
Purpura deprenſum vinxit, lacrimiſque madentem,
  Regali invitum ſyrmate texit honor.
Ergo erit illa dies, qua tu felicibus aſtris,
  Magne Pater, ſedeas aureus in ſolio.
Eugenium debes Mundo, bona fata ſecundent,
  Nec falso vates omine peccet amor.

IN FUNERE

EQUITIS SALVATORIS ROSÆ

Satyrographi, & Pictoris celeberrimi.

Illuſtres animas ſi cum lux ultima fati
  Obruit, & nigras iniicit hora manus:
Credibile eſt doctas vulnus ſentire Sorores,
  Et lacrimis ipſas ora rigare Deas:
Nunc fleat, & ſacras flavo de vertice lauros
  Detrahat Aonii pallida turba chori.
Ille ſacer Muſis, & Apollinis ante Sacerdos,
  Cui puero doctus tinxerat ora liquor,
Occidit: & gelida pulvis jacet horridus urna,
  Æternumque premens incubat oſſa lapis.
Flete Deæ: Divos jam non eſt turpe dolere,
  Quem lacrimis flevit maxima Roma ſuis.
Sed tu præcipue, quæ nigro ſæcula dente
  Carpis, & es vitiis, criminibuſque timor.
Soſpite namque illo, quæ cunctos antè premebat,
  Eſt tua ſublato fama reperta minor.
Nam, quis corruptos ævi proſcindere mores
  Aptior, & nigro tingere felle notas?

Quis

Quis putres animas, & conſcia pectora culpæ
  Callidior ſalsa perfricuiſſe manu?
Illius a pectu tantum pallebat avarus,
  Quàm modò de preſſis cera relata favis,
Illius occurſu exanguis torpebat adulter,
  Ut lapis aſpecta Gorgone factus Atlas,
Et qui ſpes longas ventoſa paſcit in aula,
  Verbaque emit pretio non habitura fidem;
Taliter horrebat vultum ridentis & ora,
  Agricola ut preſſo pallidus angue timet.
Sed cum tanta foret facundæ gloria linguæ,
  Non ſprevit muta quod venit arte decus.
Namque auſus varios calamis tentare colores,
  Pinxit Apellæa carbaſa digna manu.
Seu placuit ſævas tabulis inducere pugnas,
  Accenſum Martis cum magis ardet opus:
Dixeris inductis ſpirare coloribus iras,
  Bellaque non ficta diſſimulata manu.
Seu placidos colles, veſtitaque meſſibus arva,
  Seu, ridet pluvia cum ſine nube, diem:
Ipſa dolet vinci, & præfert Natura pudorem,
  Tamque ſuas queritur non valuiſſe manus,
Nunc ille Elyſiis lætiſſimus errat in arvis,
  Atque haurit Cœlo liberiore diem.
Et medius doctis graditur circumdatus Umbris,
  Quas ipſe ingenii nobilitate premit
Nunc Senis Aurunci manes venerantur euntem,
  Carmina qui naſum juſſit habere prior.
Nubilus, & cæca tectus caligine frontem,
  It comes, & ſicco Perſius ore canit.
Umbraque, adhuc exul, calvoque irata Neroni,
  Cui nocuit ſanctum non habuiſſe Parin.
Miraturque manus, & vinci gaudet Apelles,
  Et Magnum, mandet cui ſua bella, docet.
It propè Timantes arte ingenioſior omni,
  Quique avidas ficta vite fefellit aves.
Hic, Roſa, ſecuros agitat ſinè litibus annos,
  Et vanas hominum deſpicit indè vices.

Extinctum doluere boni, & flevere merentem,
  Tantùm gaviſum eſt, & Scelus, & Vitium.

JOANNES CASIMIRUS
Poloniæ Rex

REGNUM ABDICAT.

Scilicet excelsas pungunt diademata frontes,
  Regiaque immenſum purpura pondus habet.
Sceptra manus feriunt, nec ſunt ſine vulnere gemmæ,
  Spinoſique horrent conſita regna rubis.
Et populi illuſtres nil ſunt niſi pondera faſces,
  Nec niſi ſervitium nobile celſus honor.
Qui modo Sarmaticis clarus regnabat in oris,
  Et dabat impexis jura verenda Getis:
Quemque humilis Moſchus, quē barbara regna timebant,
  Viſtula ſubmiſſo quem venerata genu:
Abjecit patrias, nullo cogente, coronas.
  Purpuream que togam vile putavit onus.
Sanguine quodque aliis, & verſo quæritur Orbe,
  Dimiſit faſtu nobiliore decus.
Lumine ſpectavit ſicco lacrimantia regna,
  Præſtitit ad molles pectora dura preces.
Ambitus ſceptris, ſceptris dedit ille repulſam,
  Atque negaturas regna tulere notas.
Quanta hominum vanæ torpent caligine mentes!
  Quam fallax error mobile vulgus habet!
Purpura ſi fulget venit ille a ſanguine fulgor,
  Si ſplendent gemmæ, lumen ab igne trahunt.
Alta nitent Regum, ſed ſunt vicina ruinæ:
  Pallida ſunt auro, ſed mage ſerta metu.
Pulchra eſt, ſi ſpectes a longe ardeſcere flammam,
  Qui jacet in media ſentit ineſſe necem.
Qui mare ſecuro ſpectat de littore, gaudet,
  Et putat ignotis fluctibus eſſe fidem.
Qui venit ex alto ventoſa pericula narrat,
  Scitque ſub infidà pace latere dolos.

Fron-

Fronte quidem ſplendet regni fortuna, ſed intus
  Supplicium miſere quo cruciatur habet.
Si Regem aſpicias cuncta arridere videntur,
  Pectore tempeſtas inſidioſa fremit.
Tecta micant auro, ſed ferrea cura pererrat
  Sæva per auratas pervolitatque trabes.
Aureus eſt lectus, ſed vitant lumina ſomni:
  Et fugit a pluma ſæpe vocata quies.
Ingens Setino deſpumat gemma lyæo,
  Sed manus admiſta pocula morte timet.
Quid proſunt epulæ pelago, cœloque paratæ,
  Si terret dubiam pallida cura famem?
Turba frequens hæret lateri, ſequiturque, præitque
  Totque homines inter nullus amicus adeſt.
Omnes fortunam, ſed Regem nullus adorat,
  Et faciunt illum ſpeſque, metuſque Deum.
Quid mirum, ſi deſcendunt a culmine Reges,
  Et ſpontè ex humeris purpura miſſa cadit?
O! fortunati, modica qui ſorte fruentes
  A miſera vivunt ambitione procul.
Tolle ſupercilium privata modeſtia, cujus
  Regibus eſt ipſis invidioſa quies.

Ad Clariſſimum Virum

PETRUM ADRIANIUM

Piſis Publicum Eloquentiæ Profeſſorem.

Non eſſe ſibi ad ſcribendas fortes materias ingenium.

Te juvat Aoniis intexere crimina chartis,
  Crimina, virtutis quæ male nomen habent.
Et nunc albentes nudatis oſſibus agros,
  Plangis Apollinea, Petre diſerte, lyra.
Aut canis ut nimiis auctus jam cædibus Iſter
  Sanguine purpureas in mare volvit aquas.
Aut fera Sarmaticis numquam ſatiata ruinis
  Fata, per imbelles fortia facta manus.

Re-

Regna maris tanto vel decertata tumultu,
Dum Batavus cupit hinc, inde, Britanne, cupis.
Et totum remis errantia bella per orbem,
Et ſceleri juſſos flamina ferre Notos.
Aut tibi præbet opus Gallorum preſſa ſub armis
Dotali tellus Belgica pacta fide.
Cretaque barbarico fruſtra tentata furore,
Qua fractæ toties ſunt Orientis opes.
At chelys eſt nobis numeris minus apta ſeveris,
Mitis amat teneros noſtra Thalia modos,
Et magnæ voces, & verba ferocia deſunt,
Poſcentique gravem Muſa jocoſa venit.
Sæpe manus etiam, dum fortia dicere conor,
Mollibus aſſuetæ deſeruere fides.
Nunc platani ſteriles, nunc criſpos tonſa capillos
Buxus, habet noſtræ fila canora lyræ.
Et docilis formas ſe vertere myrtus in omnes,
Et laurus doctas cingere nata comas.
Aut canimus gelidas hederis errantibus umbras,
Quæque fluunt celſi per juga montis aquas.
Nunc glaucas ſalices, & amicas vitibus ulmos
Dicimus, & priſcis robora culta viris.
Aut benè fragrantes riguis in vallibus hortos,
Quos viridis ſemper gramine veſtit honor.
Unde homini mites triſti ſine ſanguine cœnæ,
Undè penus faciles promit inempta dapes.
Ut fallax avidos convellit linea piſces,
Dum venit ad jactos credula turba cibos.
Utque dolo ſenſim calami decepta tenacis
Prima ſub Autumni frigora plangit avis.
Sæpè facit vatem ſi rupit vincula turtur,
Agnaque de rabidi dente recepta lupi.
Bucula ſi mœrens vacuos interrogat agros,
Tramite fallacis de grege lapſa viæ.
Torquet amans tumidis ſi guttura plena querelis
Offenſi vindex alba columba tori.
Dum redit ad viduos dulci ſinè pondere nidos,
Arboris accuſat ſi philomela fidem.

Dum

Dum paſtor teneros ex ubere depulit agnos,
Si genitrix longo murmure balat ovjs.
Sed quamvis teneris mihi ſint aptiſſima rebus
Carmina, de teneris non placet unus Amor.
Contulit hinc aliò dulces puer ille ſagittas,
Et verſa mœſtus viſus abire face.
Quin & ſidereos lacrimis corrumpere ocellos,
Et molli roſeas imbre rigare genas.
Auſus & imbelli crudelem dicere voce,
Et jacere in mores aſpera verba meos.
Aſt ego tum triplici munibam viſcera ferro,
Duraque ter circum robora pectus erant.
Caucaſeæque nives, alpinaque ſaxa ruebant.
Ne ſinerent blandas pondus habere preces.
Sit mihi perpetuo mens hæc æterna tenore,
Virgineuſque regat carmina noſtra pudor.
Aurea nulla meos violabit Cynthia verſus,
Nulla mihi Nemeſis, nulla Lycoris erit.
Qui cupit, Idalia cingat ſua tempora myrto.
Lilia dent noſtris candida ſerta comis.

ORBEM TERRARUM Librum eſſe.

Mitior ardentes æſtivæ lampadis ignes
Jam molli fregit candida Virgo ſinu.
Jam helidæ creſcunt non æquo ſidere noctes,
Et properat feſſos tingere Phœbus equos.
Lentior attollit roſeas Aurora quadrigas,
Lentior Eois Phoſphorus exit aquis.
Mollius adſpirant Zephyris redeuntibus auræ,
Attollit virides lætior herba toros.
Invitant placidi fecundo palmite colles,
Provocat hortorum fertilis umbra manus,
Invitant dulci ſpumantia præla Lyæo,
Muſtaque per madidos currere juſſa lacus.
Urbani faſtus, & triſtis cura, valete,
Vivere jam cœlo liberiore juvat.

Et fons, & molles facientia murmura ſomnos,
Et quæ ſub lucem dulce queruntur aves;
Submotique juvant viridi caligine ſoles,
Prataque ad invidiam Veris amicta placent.
Non alibi præſens adeò ſentitur Apollo,
Non alibi majus pectora Numen habent.
Si libet Aonio mulcere ſilentia cantu,
Et plectro argutas ſollicitare fides;
Spontè ſua properant felici carmina vena,
Nec propè tàm verbum, quàm propè verſus adeſt.
Tollere ſi placuit majori ſcripta cothurno,
Roſtraque facundo fortius ore loqui;
Nuſquam, crede mihi, fas eſt magis eſſe diſertum,
Tunc ego ſum Craſſis, Cæſaribuſque prior.
Eſt locus hic ſtudiis, hæc Muſis hoſpita ſedes,
Non Urbes Phœbus ſed loca ruris amat.
Arpinæ quamvis abſint & fulmina linguæ,
Pagina facundo nec Cicerone tonet:
Quamvis magniloqui deſint tibi ſcripta Maronis,
Siſque procul tenera, Flacce diſerte, lyra.
Lumina circumfer, liber eſt quodcumque videtur,
Et ſatis eſt oculis rura diſerta legas,
Si pictis videas diſtinctas floribus herbas,
Albaque purpureis lilia miſta roſis;
Scilicet hinc poteris verborum ſumere flores,
Carpere & ingenio florida ſerta tuo.
Candida perſpicuis vexabitur unda lapillis,
Ripaque muſcoſis ſtabit utrimque toris?
Purius indè loqui vitreo de flumine diſces,
Verbaque de lymphis candidiora fluent.
Turbidus, & præceps alpino vertice torrens,
Qui nemorum latè ſtrage ſuperbus eat;
Edocet ut juſtas facundia concipit iras,
Et victrix ſecum corda, animoſque rapit.
Dum volucres geſtans armato fine ſagittas,
Nunc thyma, nunc violas ſedula pungit apis;
Ut teneri haud languent ex illo vulnere flores,
Nec minor eſt furto qui fuit ante decor:

Au-

Aurato quamvis ſtipentur nectare cellæ,
Et fluat in rutilas cera liquanda faces:
Diſce quod ignoras, veterum qua ſcripta pererrans,
Inſtar apis flores quoſlibet arte legas.
Populus, & vitis ramos confundet amantes,
Sentiet & dulces umbra marita toros?
Verborum ſteriles tu ſic intexere frondes
Sis gravibus dictis, utilibuſque memor.
Arida tonſilibus fulgent ut littora myrtis,
Torvaque creſcendi jura cupreſſus habet;
Liberior platanus totas exporrigit umbras,
Lataque neglecta dulcius arte viret:
Sic certa interdum cohibetur lege, nec errat,
Nunc ſtylus in ſpatio liberiore fluit.
Ut Tragicis tollas animoſa poëmata verbis,
Decurras humili Comica facta pede:
Monſtrabunt celſi ſublato vertice colles,
Et quæ non longè vallis amœna jacet.
Fortior imbelles hederas ut ſuſtinet arbos,
At proprio quercus pondere nixa viret;
Tu quoque præceptis ſcribendo hærebis avorum,
Interdum ingenii jura ſequere tui.
Ergo quid irato tonat amplius ore magiſter,
Doctaque clamoſo perſtrepit aula ſono?
Eja agite, o Juvenes, & triſtes linquite Muſas,
Dux ego, vel, ferri ſi libet ante, ſequor.
Quid ſenis hircoſi tumido pendemus ab ore,
Rura magiſterio ſi potiore docent?

DE SS. INNOCENTIBUS.

Lactentes ſalvete Roſæ, quas turbine ſævo
Floris adhuc teneri frigida læſit hyems.
Pallentes violæ, quas primo in limine vitæ
Funere crudeli merſit acerba dies.
Vix plagis apta eſt ætas, eſt apta coronis;
Velantur lauro tempora nuda comis.
Eſt manus imbellis ferro, matura triumphis,
Quique nequit terram, pes tamen aſtra terit.

Lingua ſilet roſei clamatis voce cruoris,
Vulnera ſunt verbis veſtra diſerta magis.
Quid nam pro Chriſto feciſſent fortibus annis,
In cunis poſiti qui didicere mori?

S. NICOLAUS MYRENSIS
Vix natus preces fundit.

Vix puer æthereas hauſiſti luminis auras.
Jamque polo ſupplex porrigis, ecce, preces,
Nil etenim mutæ nocuere ſilentia linguæ,
Dum loqueris Cœlo cor tibi lingua fuit.

In Amoris Arantis Tabulam.

Exuit auratos arcus, pictamque pharetram,
Et procul ardentes juſſit abeſſe faces:
Et ſtimulis urget geminos ad aratra juvencos,
Armaque aratoris ruſtica tractat Amor.
Fallor? an in campis quos talis ſevit arator,
Et dolor, & lacrimæ non niſi meſſis erunt?

AD ALEXANDRUM VII.
De noſtrorum temporum calamitate.

Vix tibi terrarum Cœlum conceſſit habenas,
Vix meritum cinxit Sacra Tiara caput:
Bellorum ſubito cum ſævæ arſere procellæ,
Atque Orbis moto cardine contremuit.
Ultima Sarmaticis illuſit Svecia Regnis.
Acrius accendit Gallus, Iberque minas.
Cognato Inſubri rubuerunt ſanguine campi,
Et Padus Hadriacas flumine tinxit aquas.
Impia Pannoicas populata eſt Thracia terras,
Et crevit noſtris barbara Luna malis.
Effera mox Italas viduavit ſtragibus Urbes,
Nec verita eſt Romam tangere clade lues.
Accipis imperium tanto quod turbine rerum
Non ſine conſilio Numinis eſſe reor.

Dum

Dum mare tranquillum eſt, ducit puer ipſe carinam,
  Dum fremit, in timida navita puppe ſedet.
Regum alios faciunt felicia ſæcla beatos,
  A te fortunam ſæcula dira trahunt.

Piſces abrodunt manus piſcatoris naufragi ex Græco Statyllii.

Rimoſa Gryneus dum permeat æquora cymba,
  Et ſtruit incautis piſcibus arte dolos:
Occubuit, ſæva merſus cum puppe procella,
  Et jacuit prædæ præda futura ſuæ,
Ut tamen extinctus bibulis adnavit arenis,
  Totus erat, tantum morſibus eſa manus.
Quis neget & mutis mentem quoque piſcibus eſſe?
  Sunt ulti ſolas quæ nocuere manus.

Ex Amphitheatri Lucenſis ruinis multa Templa ornata.

Hic ſteterat celſi moles cuneata Theatri,
  Plauſit ubi dulci crimine Luca vetus.
Sæviit in lapides pietas irata profanos,
  Et juſſit veri Numinis eſſe domos.
O! ſancti mores, atque aurea ſæcla parentum,
  A priſcis quantum degeneramus avis!
Templa e laſcivis illi fecere Theatris,
  E templis ætas noſtra, Theatra facit.

Ad Clariſſimum Juvenem

ANTONIUM TRENTA.

Cum Ciceronis Orationes dono illi in Scholis traderentur.

Romanæ cultor, Juvenis clariſſime, linguæ.
  Qui trahis antiqua nobile prole genus.

Accipe divini facunda volumina Tulli,
Quoſque dedit roſtris aurea lingua ſonos,
Non timet Antoni ſe ſe committere dextræ,
Omina nec ſævi nominis ille fugit.
Vixiſſet talis ſi priſco Antonius ævo,
Proſcriptor Tulli, credite, nullus erat.

Nauta navi propria crematus ex Græco Meſſenii.

Una tulit vivum, morientem vexit & una,
Cum domino pariter nata perire ratis.
Ipſa aluit vivum, defuncti corpus aduſſit,
Una undis, flammis utilis una fuit.
Felix, qui propria ſecuit maris æquora cymba,
Et propria infernum puppe peregit iter.

Pluvius primus Bacchanalium dies.

Læta dies aderat feſto celebranda tumultu,
Annua quæ Bacchi ſacra profana refert.
Triſtibus obductus cum nubibus adſtitit imber,
Impulit & pluvias turbidus Auſter aquas.
Sideribus fruſtra, fruſtraque iraſcimur Auſtris;
De nobis nubes edidicere minas.
Nos dedimus ventos, & nimbis fecimus iras,
A nobis haurit, quo fluit imbre, polus.
Scilicet incipiunt mala gaudia carpere terræ,
Hinc eſt quod lacrimas triſtis Olympus habet.

AD PÆDAGOGUM.

Ludi magiſter, Alpha Pædagogorum,
Ferulas tenentiumque Cæſar Auguſtus,
Adverbiorum Conſul, atque Dictator,
Magnuſque miſtorum Arbiter Futurorum.
Sceptroque lentis imperans Gerundivis:
Cui Priſcianus cedit, & Nebriſſenſis
Submittit ultro Pædagogios faſces:

Ha-

Haſtilibus ſetoſa cui riget barba
Apri inſtar Erymanthi, jubæ vel hircinæ:
Quo bulliente cacabi inſtar, aut ollæ,
Diſcunt trementi impuberes manu, Quippè,
Papè, Profectò, Perperam, Pili, Nauci:
Supercili demitte, quæſumus, faſtum,
Nec floccipendas nare cæteros unca,
Quod te frequentes audiunt capillati:
Et quod ducentas vellicas manu ſæva
Plagoſus aures, biſque torva centenis
Vox intonat tremenda, jam ſcias ſaxo:
Alias meherculè, vapulaveris ſodes;
Ludi magiſter Alpha Pædagogorum.

LUDOVICI BIGI

FERRARIENSIS.

Ad Matthæum.

TE gravis incepit fermè incurvare ſenecta,
Nativumque genis macies populare ruborem,
Cumque ſuperciliis crines candeſcere: jamque
Vicini premeris caſuri finibus ævi;
Et tamen è Veneris te conſuetudine nondum
Eximis, & turpes differs abrumpere caſſes;
Ceu Mavors lacerare plagas cunctatus ahenas.
Quo miſer uſque tuam renues curare ſalutem,
Jactarique ſinis medio tua carbaſa ponto?
Nonne vides altos inde increbreſcere fluctus?
Inde tuas minui vires? nunc cornua frangi
Antennæ? nunc remum aliquem, atq; hinc inde rudentes?
Et modò ſub prorâ modò puppe dehiſcere navim?
Dum potes humanæ firmo temone carinæ,

In tumido vitæ pelago ratione juvari,
Incipe conceſsâ totis ope viribus uti;
Incipe; nec lethi tempus, Matthæe, ſupremum
Exſpectare velis, quis enim tibi dixerit, an ſis
Serius, aut celeri clauſurus lumina fato?
Pone, quod occumbas lento languore: putabis
Tene ita de facili lacrimis tua crimina poſſe
Abluere, & quantum ſit opus ſcelus omne dolere?
Si venerem incipiant juvenis ferventior, atque
Egelidus vitare ſenex, veniamque precentur;
Utrum horum delicta magis plorare decebit?
Nonne ſenem? quia non alio placare Tonantem
Auxilio valeat, ſua quàm peccata gemendo.
At juvenis præter lacrimas queſtuſque, meretur
Re quoque; cum cœlebs ardentem ſanguine vitam
Tranſigat, & ſolitos caveat robuſtus amores.
Adde ægrotantes artus, mortiſque timorem:
Ne tibi corporeas ſit cura futura procellas
Sedandi major, miſeræ quàm vulnera mentis;
Non debes timuiſſe parum, quid & illud? amore
Tene Dei potius morientem flere putarim,
Quam triplicis terrore canis, diræque Megæræ?
Flecte pedem, reliquoſque dies diſpone; furores
Nequitiæ cohibens, inopique alimenta miniſtrans,
Donaque ſincerò meditans cœleſtia corde,
Quâ minimè reris, fortaſſe vocaberis horâ.

De turpi oculorum uſu.

Quò plebs, quò proceres ita currunt? hoſtis an inſtat
Mœnibus? & pulsat jam muros ariete crebro?
Sive repentino populatur prædia curſu?
Aut abigit noſtrâ raptas ex urbe puellas?
Ah crudele nefas! campo gladiator aperto
Conflicturus adeſt, veteris de more theatri.
Hoſne dedit nobis genitor cœleſtis in uſus
Lumina? cum jubeat ne quis ſua tela cruore
Inquinet humano; quæ vos dementia reges,
Quis

Quis furor exagitat? qui nullum creditis eſſe
Flagitium, immunem certanti tradere campum:
Nec ſatis hoc; ictus repeti perſæpe jubetis;
Nec pugnam dirimi ſinitis, niſi corruat alter,
Atque cruentatam feriat ter pectore terram.
Quam juſtum foret, ut vobis ſpectantibus ambo
Deciderent oculi! ſed vos graviora morantur
Supplicia; eſt quo lenta Dei magis ira potentis.
Quid referam in ſacris quot quantaque crimina templis
Committant oculis juvenes, molleſque puellæ?
Hinc variis ad corda patet ferienda ſagittis
Janua; quam ſtudio ſi non cuſtodiat omni
Et firmis clauſam teneat mens provida valvis;
Nulla homini reliqua eſt fiducia; deque ſalute
Actum animæ eſt, heu Chriſticolæ quò gloria gentis,
Quo deducta fides? jus & fas omne profanat
Intuitu gens noſtra ſuo: ſpectareque mavult
Illecebras terræ, quam ſidera, & inde beatas
Ad ſedes animo ferri, vitæque parare
Perpetuæ ſibi delitias, quin ſæpius audet
Ipſa queri, quoniam nequeant cum turpiter uti
Bruta oculis, huic ſolus homo perſæpe feratur
In vitium pæne invitus, ſat juſta querela
Hæc foret, æthereæ ſi quidquam animalia flammæ
Cetera, & humanæ ſi quid rationis haberent.
Sed cum nos virtute Deus dotarit, ut omnes
Inde voluptates expugnaremus, & extra
Conantes præſcripta ſibi confinia ferri
Frenaret ratio; cur juſſa capeſſere tantum
Effugimus, tardique ſumus parere monenti?
Cur? niſi quod blandis nimis indulgemus ocellis,

AD STROZAM.

Cuncta Cleoneo flagrabant ſidere, meque
  Urbe gravem ruris ſollicitabat amor.
Haud procul egreſſus Sole inclinante, ſub ulmo
  Longo formicas agmine conſpicio.

E fo

E foveis pars haurit humum; pars claudit aquarum
  Oſtia conſtructis firmiter aggeribus.
Multæ oris majora trahunt ſe forcipe grana;
  Averſæ multæ poſteriore pede.
Pars humeris molitur opus; pars educat ægras,
  Pars effert celebri corpora functa rogo.
Pars hyemis memor inſtantis, ne rurſus in herbam
  Humida ſuccreſcant ſemina, dente premit
Quodque magis mirum eſt; inter tot millia numquam
  Impedit egrediens introeuntis iter:
Quin potius, ſi quam videat ſub pondere victam,
  Erigit elapſam, ſæpeque faſce levat.
Cetera quid memorem? quæ concurſatio? quanta
  Sedulitas? ſtudium quale? quis ordo foret?
Sic mecum: mene è ſomno miſerabilis unquam
  Eruero? numquam cura ſalutis erit?
Tantillæ ut ſervent animantes frigore vitam,
  Unanimes agitat quàm gravis ecce labor!
Aſt ego divinæ munitus acumine mentis
  Neſciero vitæ conſuluiſſe meæ?
Et, quod agunt plerique hominum, magis æquora & urbes
  Circuero, ut grandes accumulentur opes?
Aut ego maluero ſcrutari pectore, quantum
  Diſtet ab humenti ſtellifer axis humo?
Undeque ſanguineo minitetur crine cometes,
  Unde pluant lapides, contremat unde ſolum?
Quid glomeret nubes? quâ vi ſolvantur in imbres?
  Cur medio lateant aſtra minora die?
Et quibus erumpant agitata tonitrua ventis?
  Cur vaga tranſverſo fulmina calle ruant?
Inque cavis voces quæ cauſſa reciprocet antris?
  Quid ſit fulgetrum, grando, pruina, nives?
Quâ virtute levet cautes Magneſia ferrum?
  Extinguat tactas quâ Salamandra faces?
Cur fluat & refluat, cur nunc ſublime feratur,
  Nunc humile, & falsâ cur eat æquor aquâ?
An queat Ææa conſurgere mortuus, arte?
  An queat in terras carmine Luna trahi?

Cur

Cur alio lignum mergatur in amne, natentque
  Æra alio? atque aliis ſit calor intus aquis?
Scilicet his opus eſt venturæ ad præmia vitæ:
  Scilicet ad ſuperas hinc datur ire plagas
Divitiæ nec enim, nec multa peritia rerum;
  Sed nos felices mens ſine labe facit
Ergo boni velut agricolæ mala germina carpunt,
  Plus ferat ut culmo liberiore ſeges:
Digna ita vindicibus ne noſtra ſit ignibus arbor,
  Stroza, procuremus vellere, quidquid obeſt:
Ut cum vita breves toleraverit iſta labores,
  Æternâ requie detur utriſque frui.

Ad Lucam, cavendum a falſis amicis.

Ante procelloſis pelagus quam ſæviat undis,
  Neſcio quid raucâ triſte ſuſurrat aquâ.
Et crepitu inſtantem lapſura palatia caſum,
  Prædicunt, & habet trux ſua ſigna Notus:
Et nubes pluviam. & fumus prænuntiat ignem:
  Corda hominis nullus prænocitura videt.
Ille repentino ferit enſe, minuſque videtur,
  Quo propiore tibi eſt junctus amicitia.
Hîc oculis opus eſt, & mentis acumine, namque
  Haud bene deprendi blanda pericla queunt.
Offendunt ſtimulante fame volucreſque feræque:
  Lædendi cauſsâ lædere gaudet homo;
Et ſtruit inſidias tibi dum blanditur; & uno
  Sæpius applaudit tempore, teque ferit.
Sic caput inſomni Cyllenius abſtulit Argo.
  Fabula propoſito convenit illa meo.
Servat Ariſtorides centeno lumine vaccam;
  Securuſque ſui nil cavet ipſe ſibi
Negligimus propriam nos defenſare ſalutem.
  Ne fluxæ pereant invigilamus opes.
Nil homine eſt homini funeſtius: hunc fuge, vel te
  Adverſus tantam protege perniciem.
Nec tibi ſunt equites, Lucas, pediteſve parandi:
  Tutari ſolo te potes ingenio.

Te quoniam fortuna tibi nunc blandula ridet,
  Cœpit amicorum plurima turba ſequi.
Te decus ille ſuum, propriam vocat ille ſalutem;
  Te vocat hic dominum, te vocat iſte patrem.
Nec verbis horum, nec vultibus eſſe putaris
  Credendum: poſſunt corde ſubeſſe doli.
Tu tantum prodeſſe bonis, nullique nocere
  Quære; nec exiguo vivere turpe puta.

Ac Sebaſtium, contra querentes de vitæ brevitate.

Vita nimis pleriſque hominum brevis eſſe videtur,
  Et fugere Eleo pulvere qualis equus.
Nec miſeri noſtrum eſſe vident producere penſa
  Parcarum, aut celeri rumpere poſſe manu.
Sicut enim labuntur opes, ſi dentur inerti;
  Sic male & utenti tempore vita fluit.
Ille ſupervacuis implens laquearia gazis,
  Hoſte ſui, ſemper pallet, avaritiâ.
Hic opibus dolet alterius, dolet alter honore,
  Hic natat ob nimium mente oculiſque merum,
Sunt qui magnificis prætexant flumina villis,
  Sunt qui præruptis montibus ædificent.
Hunc pendens tenet ambitio, mercique vacantes
  Hic peragrat terras, circuit ille fretum,
Indulget citharis alius, vacat ille jocoſis
  Cantibus: hic formæ, viribus iſte favet.
Marmoreis alter ſtatuis vel in ære figuris
  Hæret, Apellæis alter imaginibus.
Regibus hos ſervire juvat; pleroſque puellis;
  Atque aliquos pueri, proh ſcelus urget amor.
Per nova jactantur multi conamina, dum nil
  Quod præcompoſita mente ſequantur, habent.
Segnities alios, alios ſtatus occupat urbis;
  Clamoſi quosdam lis rabioſa fori,
Nimirum brevis his ætas humana videtur,
  Cum perdant vitio tempora multa ſuo.

Quæ per nos alio ſunt inſtituenda, Sebaſti,
Ordine, ne nobis præcipitanter eant.
Luſimus in parvis ſatis; ad majora vocamur.
Congrua quæ puero res, inhoneſta viro eſt.
Jam levia alati valeant commenta Caballi,
Mens ſibi quod proſit, jam meditetur iter:
Quæ colat infelix ergaſtula cogitet, & quas,
Hinc ſimul exierit, ſit ſubitura plagas.
Illaque perpetuo noſtras vox intonet aures:
Surgite: vos judex corpora functa citat.
Sic neque pauperie, neque deterrebimur ægris
Artubus; hinc animo proficiente magis:
Et prope cum noſtræ fuerint confinia vitæ,
Jamque animæ in primis adſtiterint foribus;
Decurſo lethi ſpatio, feliciter iſtinc
Ibimus Angelico concomitante choro:
Tunc ſi quis vixiſſe breves nos dixerit horas,
Nil præter ſolos computat ille dies.

Crapulam deteſtatur Ad Carolum.

Sunt ubi depaſtæ volucres, vel in aëre ludunt
Vel ſcalpunt plumas, ſe vel in amne lavant.
Atque ubi quod ſatis eſt piſciſve, pecuſve, comedit,
Intempeſtivo parcit uterque cibo.
Aut cadat, aut ſurgat Titan, te cernit edentem:
Divellit ſolus te ſopor a dapibus.
Hinc decent hominem ſublimi ſtemmate mores?
Hocne paludatæ nobilitatis opus?
Vidiſtine ſuem diſtento ventre jacentem?
Te non abſimili conditione puta.
Quâ ſtomachi tam ferventis face, Carole, credis
Tot congeſta ſimul fercula poſſe coqui?
O miſer, & deflende hominis de more perempti;
Differat a letho cum tua vita nihil.
Una ſalus ſupereſt tamen advertiſſe, quis eſſe
Exitus immodicis ſueverit ex epulis
Hinc incerta pedum veſtigia, pallor in ore,
Hinc delirantis debilitas cerebri.

Hinc caput excluditur vertigine: bile tumeſcunt
  Pectora, torquentur viſcera; viſus habet.
Perque cutem largus totam diffunditur humor;
  Sæpeque mors tales occupat ante diem.
Majores novere tuos Occaſus, & Ortus,
  Temporis ut primos Marte togaque ſui.
Tene putas iri a vitiis hac ſorte redemptum?
  Tene putas dignum forſitan inde coli?
Degeneres numquam præcedunt agmina tauri,
  Vincere ſed reliquos qui potuere mares.
Dux gregis eſt elephas aliis præſtantior; itque
  Ultimus è turbâ, qui nihil audet, equus.
Te vitæ ſi tangit amor, ſi gloria, noli
  Majorem captu ventris habere famem.

Ad Cæſarem. De otio vitando.

Quod tibi ſit facilis res omnis, & otia turbet
  Nil tua, te plurimum, Cæſar, in urbe putas
Sit mare tranquillum, quid navita laudis habebit
  In portum ſalvâ perveniente rate?
Non minus hæc celebrant, quam ſæcla vetuſta, Catonem:
  Scilicet huic ſegnis vita quod acta fuit?
Re magis haud ullâ nituit quàm vaſe rotatus
  Regulus, & Cocles quod pede claudus erat.
Unde fuit claros Lucullus adeptus honores:
  An quod acer vatas torpuit inter opes?
In varios virtutis amor te concitet actus:
  Illa nequit requiem mollitiemque pati,
Illa nec eſt voto, nec odore petenda Sabæo:
  Aſſiduo tantum quippe labore datur.
Ecce forum premit oppreſſo vis jure potentum;
  Juſtitiæ hos contra fortiter adfer opem.
Ecce feros contra parat arma Eccleſia Turcos;
  Curre flagellato pulverulentus equo.
Magni animum tibi ſume viri Chriſtoque clientes
  Morte nihil timeas multiplicare tuâ.
Hinc habitant multorum animæ felicia regna;
  Magnaque factori proxima turba ſuo eſt.

Ut ſegetes, ſic ingenium exercere neceſſe eſt;
  Præcipuè ſi quid germinis inde cupis.
Germina ſunt, placidâ contra incurſantia mente
  Durare, & proprio non cecidiſſe loco.
Germina ſunt, duros nil formidare dolores,
  Fortius & cunctis pectus habere malis.
Ardua quid valeat virtus, patientia monſtrat,
  Otia ſunt cupido pœna, laborque viro.
Numquam aliquid rear accidere infelicius ulli,
  Quàm res adverſi cum nihil ejus habent.
Me crebris potius ſors occupet aſpera curis,
  Quàm foveat blando deſidioſa ſinu.

Ad Linum. In habendi cupiditatem.

Arbor erat nullis mihi fructibus apta ferendis,
  Parte ſuburbani fertiliore mei.
Quàm licet iratus ſæpe obtruncaret arator,
  Surgebant rami mox tamen inde novi.
Aſt ubi procubuit radicibus eruta ab imis,
  Deſiit inviſas excruiſſe comas.
Sic ſcelerum radix ſitis exſtirpetur habendi,
  Omnibus exemptus ſi cupis eſſe malis.
Hinc ſiquidem prius unanimes diſcordia fratres
  Diſtrahit, hinc rapiens rex aliena furit.
Hinc domino parat inſidias qui ſeruit, & annos
  Filius enumerat patris, avique nepos.
Vim puer, & ſacræ patitur veneranda puellæ
  Virginitas, modus eſt nullus adulteriis.
Sanguineo natat imbre ſolum, in caſumque feruntur
  Oppida, & æquoreæ ſollicitantur aquæ.
Nil neque fas, neque jura valent: ac denique, rerum
  Nulla foris ſpecies tuta, nec ulla domi eſt.
Sat magnas es adeptus opes, Line, tempore parvo;
  Effectuſne animus lætior inde tuus?
Jamve minus cupit illa fame, ſatiataque tandem
  Contenta eſt paucos nil inhiare dies?
Sit tibi, mons fulvi quantumlibet arduus auri:
  Sit mihi, naturæ quod ſatis eſſe queat;

Quid refert ex diverſo quod alamur acervo?
  Quove cibo vitam vivat uterque ſuam?
Nil ſecum moriens locuples, nil portat egenus:
  Morte relicturi pluſque minuſque ſumus,
Exiguum natura petit, qui congruus illi
  Vixerit, haud unquam hic indigus eſſe poteſt.
Tollit in immenſum ſe divitis error avari,
  Nec ſe, ubi pacificâ mente reponat, habet:
Haud ſecus hinc illinc multos licet ebibat amnes,
  Admixtas ſentit non tamen æquor aquas.
Excute te, ſcelerumque para radice revulsâ,
  Unde queas magnum promeruiſſe Deum.

Ad Titum. De refrenandâ linguâ.

Ne tua prædari valeant pomaria fures,
  Muniri circum ſentibus illa facis.
Numquid inops adeo es Tite, mentis, ut ora minore
  Obſervanda tibi ſedulitate putes?
Scilicet æternâ, pluris feciſſe caducas
  Divitias, animæ proſperitate decet.
Nonne vides quali te garrula lingua catenâ
  Vinciat, utque animam vulneret uſque tuam?
Quos gemitus, quantas emitteret illa querelas,
  Si poſſet toties exanimata loqui!
Forſitan alterius decus infamare videtur
  Eſſe tibi nullum, ſeu mediocre nefas.
Cum ſapiens cunctis nomen ſine crimine gazis
  Præferat; es furti num levis inde reus?
Hei mihi quàm miſerum eſt alienam carpere vitam,
  Nec malle in melius compoſuiſſe ſuam?
Veſcitur humanâ detractio carne, venenum
  Ore gerens, odium pectore, tela manu.
Liventes habet illa genas, pro crinibus angues,
  Statque ſupercilii turpis hirudo loco.
Prorumpunt dentes, nares criſpantur aduncæ;
  Atraque pallenti labra colore tremunt
Tollere ſe nequeunt oculi, tectaque tuentes
  Nil acie, præ ſe corda doloſa ferunt.

Te-

Tene juvat, tam terribilis commercia monſtri?
Vnde tibi tantum pectoris eſſe poteſt?
Hei mihi, quam late tantus diffunditur error,
Hei mihi, quam multos obruit iſta lues!
Rodimus alterius majore negotia cura,
Quam placeat propriis invigilare bonis.
Parva licet ſit lingua, tamen ferit acriter atque
Attrahit in ſubitam corpora tota necem.
Ceu nemus exiguo vaſtum ſuccenditur igni,
Evertit magnas lingua puſilla domos.
Non caret ingenio, quicunque libentius audit,
Incuſtodito quam velit ore loqui.
Cum geminas natura homini conceſſerit aures.
Os unum; fari parcius ipſa juvat.
Sæpe aliquis deflet laceris ſua verba capillis:
Sed numquam, aut raro conticuiſſe dolet.
Stultitiæ reus ipſe Solon; quod pauca profari
Nollet, ait: ſtultus nemo tacere poteſt.
Jam cave, ne præſtans animalia cetera verbis,
Hac fias illis conditione minor.

Ad Severum, De providentia.

Nocte micant ſtellæ; dubiam Tithonia lucem
Evehit, & certum clarus Apollo diem.
Nunc toto, nunc dimidio micat orbe, minuſve
Pluſve; nec interdum Cynthia lumen habet.
Terra immota ſuâ vi pendet; & aſtra rotantur,
Et mare per certas it remeatque vices.
Nec modicæ ex parva fruges ſemente leguntur.
Hæc melius linum fert ſeges; illa fabas.
Prorumpunt quandoque jugis incendia fractis;
Hiberno frondes tempore laurus habet.
Indurat glebas, cogitque liqueſcere ceram
Ignis; & eliſâ fulgura cote micant.
Quid pluvias luculente graves Hyperione dicam?
Magna quid è rivo flumina nata brevi:
Hæc ruit; illa novo ſe profert inſula dorſo:
Naſcitur hoc animal, creſcit id, illud obit.

Falleris hæc fieri ſi caſu, & cetera credas;
Cum cauſas habeant orta, Severe, ſuas.
Quis nitidos veſtit ſquamoſo tegmine piſces?
Quis gemino alarum remige munit aves?
An fortaſſe graves ſunt nullo auctore lapilli?
Atque calor flammis inſitus, humor aquis?
Si caſu hæc veniunt, cur numquam eſt ſquameus ales?
Nec verſo plumas ordine piſcis habet?
Cur aqua non ſiccat? nihil humectatur ab igni?
Ardua cur nullus tendit in aſtra lapis?
Semper ubi immoto procedunt cuncta tenore,
Nullam ubi vim varius caſus habere poteſt.
Quidquid agit tantillum animal formica, ſupernæ eſt
Legis, & a ſummo cauſa Tonante venit.
Si qua cadunt homini vel læta vel aſpera; noli
Judicio magni non tribuiſſe Dei.
Nec moveat te, multa bonos quia ſæpius angant,
Quodque mali valeant delitiiſque fluant.
Quos aſtutus amat genitor, tenet arctius, & quos
Oderit, hos libito vivere more ſinit.
Sic ſalices, quia ſunt ſteriles, nullâ educat arte
Ruſticus; aſt omni ſedulitate Pyros,
Vidi ego correctos nulli vim ferre Leones:
Non caſtigatas ſæpe ferire canes.
Judicium explorare Dei dementia ſumma eſt:
Major, ab hoc rectè cuncta negare regi.

Ad Marianum, De Adulatione.

In mediis te munificum, Mariane, rapinis,
Inque ipsâ urbanum ruſticitate vocant.
Et tua blandiloquo mens eſt ita prona ſuſurro,
Ut te illis dignum laudibus eſſe putes?
Cum gemeret Macedum Rex ictus arundine magnus,
Suſpenſumque tenens crus reſideret equo:
Eſſe Jovis me progeniem vos dicitis, inquit;
Aſt hominem, plagæ clamitat eſſe dolor.
Te quoque quam calcas, terra arguat eſſe caducam
Beſtiolam; & tanti quod facis, eſſe nihil.

Sul-

Sulphureo ſiquidem laus ficta ſimillima fumo eſt;
  Ad breve vaneſcit tempus, obeſtque diu.
Stelliferum digitis te ſcalpere credis Olympum;
  In ſcrobe cum teneas brachia, colla, caput.
Sed quia te lactat vox blanda, emergere neſcis;
  Menſque ſuis plaudit credula vulneribus.
Nulla diu fallunt mendacia, donec Eois
  Surgat aquis Titan, omnia nocte latent.
Exorto actutum apparent Hyperione ſordes;
  In lucem veniunt crimina cuncta brevi.
Te multi vocitant ſapientem: nunquid eodem,
  Seu bona, ſeu mala ſint fata, tenore manes?
Conſule te, nunquid tibi læta videtur egeſtas?
  Cordaque nec probrum, nec tua tangit honor?
Quod ſi ſollicitat ſpes, ſi penuria turbat,
  Si ſternunt animum claſſica pulſa tuum,
Cur ita das faciles adſentatoribus aures?
  Viſne aliis potius quam tibi habere fidem?
En tibi laudato pudor inficit ora, pudorque
  Geſtit inaſpectos explicuiſſe dolos;
Et tamen attollis criſtas, falſiſque tumeſcis
  Laudibus, & gradiens vix pede tangis humum:
Deque pari cum Cælicolis pugnare videris:
  Teque etiam forſan poſſe tonare putas.
Heu fuge palpantes teneris tua pectora verbis;
  Corrumpunt animos, obtenebrantque leves.
Quod precor officium eſt caris illudere amicis?
  Utque illis placeam ſubdola verba loqui?
Ni quia ab his cupiam laudes audire viciſſim,
  Et mea conſimili pectora fraude capi
Sentibus obſepi geminas pungentibus aures:
  Si cupis, hæc nequeat cor penetrare lues.
Mollior eſt oleo, ſenſimque illabitur intro;
  Sed gravius telis interiora ferit.
Quàm ſtultum eſt aperire fores hic hoſtibus ultrò;
  Sola ubi dat palmam janua clauſa ſuis?
Nonne vides quantum laudata inſania creſcat?
  Et quodcumque aliquis crimen in aſtra ferat?

Felix ô nimium qui ſe ſcrutatur in imo,
  Nec niſi vult proprio credere judicio:
Nec, ſua ab inſtabili probitas ut pendeat aurâ,
  Suſtinet; & ſoli vult bonus eſſe Deo.

Ad Manlium, contra vim aſtrorum.

Cauſſaris, quoties peccas vim ſideris; ac ſi
  In vitium cogi libera corda queant.
Ergo Deus dedit incaſſum præcepta, nec eſſe
  In noſtrâ voluit vitam, obitumque manu.
Quiſquam ergo immerito æternâ deplorat in umbrâ,
  Perpetuove fruens lumine ſemper ovat.
Maſcula Gallorum pubes, ceu femina quondam
  Conceſſi aſſuerat nubere more tori.
Nunc quantum id vitii gens illa perhorreat, omnis
  Novit ab Eoo limite ad occiduum.
Aſtrave nunc aſtris illic diverſa vetuſtis,
  Influxu ſceptrum candidiore tenent?
Nonne putas, multi puncto naſcuntur eodem,
  Quo ſoboles ortum maſcula regis habet?
Hæc tamen imperio tantum ſuccedit; & illi
  Semper habent miſero ſubdita colla jugo.
Pugna quot, aut fluctus, ſeu flamma quot abſtulit una?
  Hoſne ſatos uno ſidere crediderim?
Non aſtrum cauſſa eſt ſceleris, ſed ſola voluntas:
  Hinc probitas, Manli, prodit & improbitas.

Ad Ladiſilaum, deteſtatio hypocriſis.

Quid ſibi concretis vult ſquallida barba capillis?
  Quid vox demiſſo preſſa ſupercilio?
Non aliter ſtrutio data forma volatibus apta eſt.
  Cùm tamen is numquam, Ladiſilae, volet,
Virtutum tibi ſigna placent, ſed diſplicet uſus:
  Sub pulchro vermis cortice ſæpe latet.
Quàm grave pro fragili eſt duros mercede labores,
  Magnaque pro parvo damna favore pati·

De-

Decipitur, quiſquis mavult probus eſſe videri;
Diſcendis animi quàm vigilare bonis.
Quidquid agis ſtudio laudis, vaneſcit in auras;
Illaque continuò vix ſatis orta perit.
Munda licet fuerit caro virginis; hunc tamen intro
Abnuit, infectâ mente, vocare Deus.
Quid corpus torquere fame, modicaque quiete
Eſt opus, & togulâ pauperiore tegi?
Si tamen incultis animus ſub veſtibus ardet?
Menſque inter ſordes ambitione tumet?
Florida nil prodeſt ſine fructu vinea: ſic &
Nil animam, quod fit laudis amore, juvat
Namque licet frondes videatur habere virentes;
Non tamen ad fructus provenit illud opus.
Quis furor eſt alto te credere vivere in axe;
Defoſſus ſcelerum ſtercore cum jaceas?
Quæ tua laudari eſt; ceu ſis ſine labe, voluptas;
Ipſo animo ſordes conſpiciente ſuas?
Ut qui comperto ditari ſomniat auro
Gaudet, at evigilans gaudia vana dolet:
Nonne miſer ſimili cruciaris imagine, cùm te
Laudari fictâ de probitate vides?
Laus hominis propria eſt, naturæ vivere ſanctis
Legibus: illa nihil, quod ſimulatur, amat.
Si quis fictilibus ſic uti novit, ut auro;
Nullus eum magnum deneget eſſe virum.
Nec minor eſt, uti fulvo quicumque metallo
Sic ut fictilibus, Ladiſilae, ſolet.
Pauperies animis numquam eſt lucroſa ſuperbis:
Submiſſis nullo tempore cenſus obeſt.
Eſt ſua muneribus merces, ſi cauſſa movendi
Divinus fuerit pectora dantis amor.
Sic & temperies, & mens interrita prodeſt;
Sic utens æquâ dextra bilance juvat.
At ſecus, in rapidas abeunt ea cuncta procellas;
Perdunturque pari res pretiumque modo.
Ergo vana rudis præconia deſpice vulgi:
Eſt animæ humanus ſubjiciendus honor.

Ad Album. De vitâ ſolitariâ.

Viſne ſuperbificâ verſari ſemper in aulâ,
Atque ſupervacuas captare perenniter auras?
Effuge, ſi quidquam ſeniori credis amico,
Turbam hominū, quantumq; potes, tibi quære latebras.
Sunt, quæ ſigna pedum ſoleant turbare ſuorum
Circa luſtra feræ, lateant ut tutius, atque
Impavidæ foveant catulos, capiantque ſoporem.
Sic homini, tangit quem cura quietis, agendum eſt,
Sicut enim ventis quaſſatur ab omnibus arbor,
Vertice quæ celſo patet undique; non ſecus urbe
In mediâ quemcumque juvat traducere vitam,
Nunc quatitur livore gravi, nunc æſtuat irâ,
Nunc furit in venerem, nunc rebus anhelat opimis;
Et numquam mores, quos extulit, Albe, reportat;
Semper & huic aliquid vitii turba imprimit, aut clam
Allinit ignavo, vel commodat. Adſpice quanto
Turbine jactentur tua carbaſa. Nonne neceſſe eſt
Aut miſeris ſuperes urbana Ceraunia curis,
Aut pereas bis terque die? Si vipera juxtà,
Te fuerit tutâne dabis tua mente ſopori
Lumina? vulneribus parcet fortaſſe: ſed ipſum
Concutiet terrore animum. non poſſe ego vinci
Malim, deſerto ſi degero ſolus in arvo;
Quàm celebri princeps populi ſi vixero in urbe
Jugiter urgenti non ſuccubuiſſe periclo.
Plaudimus hic, illic evadimus. ergo age ne te
Occupet incautum Lacheſis: vacuuſque honorum
Ne pereas operum, maneſque feraris ad imos;
Fac vegetem revoces ad pectoris intima mentem:
Utque graves animæ maculas cognoris, & unde
Sortitæ fuerint ortum præcide tenaces
Morborum cauſas, ſoliſque habitare cavernis
Non pigeat, ſi fiat opus. non auferet illic
Luxuries te præcipitem, non ira, favorque,
Non infandus amor formæ, nec avara cupido.

Non tibi pauperies fratrum, non rixa ſororum,
Non procerum plebiſve furor te diſtrahet uſquam.
Semper eris tuus, atque animo potiere ſereno:
Atque ubi mortalis lux venerit ultima vitæ,
Exultans reddes animam, dominuſque benignis
Vocibus illiciet: ſurge ô pulcherrime, ſurge;
Præteriit glacialis hyems, imberque receſſit:
Corporeas exuta plagas levis inde penates
Ingredere æthereos; ubi quæ tibi gaudia nemo
Eripuiſſe queat, neque diminuiſſe rependam.

Ad Candidum. De paupertate.

Magna licet tibi ſint patrimonia, nil tamen æque
  Sordidulam ac metuis, Candide, pauperiem.
Numquid habet tantum illa mali, tam flebile quidquam,
  Debeat ut fortem ſollicitare virum?
Forſitan a caris ne deſtituaris amicis
  Inde times; crebro quod cecidiſſe ſolet.
Hoc primùm bene de nobis operoſa meretur
  Paupertas, blandos detegit illa dolos:
Nec falſos decepta fovet, nec paſcit amicos:
  Pauperibus numquam ſubdolus hæret amor.
Belliſonos pauper lituos interritus audit;
  Nec quærit, captâ quid ferat urbe, foras,
Proſpicit incolumi, fugiens tantummodò vitæ;
  Cùm nullo deſit panis & unda loco.
Scit victum exiguo conſtare, nec eſſe neceſſe
  Poſſideat magnas, ut bene vivat, opes.
Scit mala vota ſuas quis merſerit æquore gazas,
  Poſſet ut ingenio liberiore frui:
Scitque quis ad Solem, contentus vaſe rotato,
  Munera Pellæi ſpreverit ampla ducis.
Excolat ut mentem quiſquam, non obſtat egeſtas:
  Gaza ſed ampla nimis ſæpe nocere ſolet.
Si magis eſſe putas animum quàm corpus amandum,
  Vivere te cenſu pauperiore doce.
Quod ſatis eſt vitæ, retine: præſtetur egenis
  Quod ſupereſt vitæ ſat, toga, panis, aqua eſt.

Quod ſi fortunas amor eſt ſervare paternas;
  Deſine divitiis ſaltem inhiare novis.
Nemo poteſt animo pariter, lucroque vacare.
  Accipiter geminas non bene captat aves.
Altera diffugiet, ſive utraque ſæpe: ſequenſque
  Sæpe duos lepores, perdit utrumque canis.
Si te opibus ſatiare prius fortaſſe requiras,
  Explebis tantam quo precor amne ſitim?
Erue Pactoli totas fulgentis arenas,
  Et Tagus & Hermus congere quidquid habent.
Sterne domum argento, tegat aurea lamina muros;
  Omnis ab Eoo ſit tuus orbe lapis:
Nec valeas numerare pecus, nec perdere nummos:
  Plus cupere inde tamen diſcet avara fames.
Quid Natura ſatis credat, nec Opinio, quære:
  Hæc etenim immenſum poſtulat, illa parum.
Numquam dives eris fallentia vota ſecutus:
  Erranti nullus terminus eſſe poteſt,
Horridulum cape mantellum, ſtratoque parumper
  Utere gramineo, ruſticoloque cibo.
Pauperiemve adeo dehinc duxeris eſſe timendam?
  Quid ſi plus locuples anxietatis habet?
An facile eſt multos & edaces paſcere ventres?
  His ſoccos, illis ſuppeditare togas?
Armentiſque luem? ſceptroque timere ruinam?
  Aut nimios æſtus, luxuriemve ſatis?
A rebus ſaltem interdum ſecede caducis;
  Et tandem æternis diſce vacare bonis.
Temnere ſi nequeas cenſus, interritus illos
  Poſſide, & his animum poſſe carere doce.

Epithalamium.

Ille opifex rerum, qui connubialia ſanxit
  Jura, volens unâ carne ſubeſſe duos;
Ille, inquam, ſine quo fauſtum nihil auſpice cedit,
  Adſit, & has placido comprobet ore preces.
Det ſponſo, & ſponſæ multos concorditer annos,
  Et longo videant ordine progeniem.

Et

Et quæcumque velint nolintve, precamur, ut idem
  Arbiter hæc ſemper nolit, & illa velit.

Ad Flaccum.

Immenſas tremulæ grates age, Flacce, ſenectæ:
  Nam quod debueras nec voluiſſe, nequis.

Ad Paulum.

Felices, clauſis cerâ quos auribus antra
  Sirenum tutos præteriiſſe ferunt.
Nunc opus eſt alio farcimine. namque videmus
  Omnibus immanes eſſe locis ſcopulos.
Hîc puer, hîc meretrix, laudum ſitis, ardor habendi:
  Hîc odium, livor fraus, gula, faſtus hiant.
Et quota pars hæc ſunt? citius quis poſſet arenas,
  Præcipites hominum quàm numerare vias.
Quas ſalvis tranſire queas ut mercibus: aures
  Nec cerâ oblies, nec pice, Paule, volo.
Sit mens aſſiduis addicta laboribus: iſtud
  Vel gypſo gluten firmius eſſe puta.

Ad Endromicum.

It citò fluxus aquæ; tranſit citò fulmen: at ipſo
  Tempore comperies nil magis eſſe fugax.
Evolat, in mortemque aliud nos ducit agentes;
  Cum nihili faciant vir, mulierque diem.
Cetera ſint quamvis haud noſtra, Endronice, præter
  Tempus; id in minimis ducimus eſſe tamen.
Et bona (ſi bona ſunt) noſtris aliena probamus
  Nos magis; & caris vilia præferimus.
O nimium mens cæca hominum, ſe more ferarum,
  Corporeis patiens ſenſibus uſque trahi.
Jam jam quod vitæ reliquum eſt, ratione regamus:
  Haud unquam virtus ſerior ulla fuit.

Ad Picum.

Firmus amor, ſtudioſa fides nil ferre recuſat:
  Bigulus ecce tuus, Pice, vocatus adeſt.
Non hunc aſperitas, non hunc ignota viarum
  Semita, non patrii detinuere Lares.
Nec mirum, mens hujus enim ſub pectore ſemper
  Tecum habitat: corpus, quo lubet, illa trahit.

Ad Fortunam.

Me licet exiguo ditaris, Nortia, cenſu;
  Attamen expediam plurima digna viro,
Munera de proprio noliſque veliſque dabuntur;
  Quæ dare de rebus vis nequit ulla tuis.
Qui nihilo niſi divitiis innititur, illum
  Mancipium tantum dixeris eſſe tuum.

Ad Titum.

Quo pacto abſtineas vitiis, Tite, diſcere quæris?
  Credito ſupremum quemlibet eſſe diem.

Ad Urſum.

Orator dici cupis optimus. id tibi tandem
  Perſuade; tantum quod decet, Urſe, virum.
Qui ſibi, quod rectum eſt, numquam perſuaſerit; huncne
  Jure oratorem dixeris eſſe bonum?

Ad Album.

Quo plures ætas tua præcipitatur ad annos,
  Hoc tibi majores adcumulantur opes.
Ridiculum nimis eſt, majora viatica cùm quis
  Præparat, Albe, magis deficiente viâ.

Ad Ferandum.

Magnus es, & magnas mihi res promittis, & eſſe
Pars animæ dicor dimidiata tuæ.
Quiſquis perſonis, nec rebus, verba, Ferande,
Æſtimat, hunc cautum dixeris? anne levem?

Ad Linum.

Qualiter abductâ ſævit, Line, conjuge taurus;
Ut ruit in furias ſanguinolentus aper;
Haud aliter furis inviſos offenſus in hoſtes.
Neglige lædentem, ſic gravis ultor eris.

Ad Titum.

Vivere flagitio ſi vis, Tite, liber, ab omni,
In deſolato ſit tua vita loco:
Atque ibi quidquid ages furtimve palamve, memento
Inſpectatorem ſemper adeſſe Deum.

Ad Pamphilum.

Neſcio quid ſtupido miraris, Pamphile, vultu,
Anne clientelas hujus? an hujus opes?
Anne catenatos claros ex hoſte triumphos?
Aut celebri primos nunquid in urbe gradus?
Quidquid habet terreni aliquid; mirabile numquam
Dixero; nec magnum cui citò finis erit.

Ad Angelum Politianum.

Cùm ſis & vates, noſtri decus, Angele, ſæcli;
Et mihi Phoceâ junctus amicitiâ:
Quis credet de me tibi tanta? poëtica quando
Fingat, & ex facili decipiatur amor.

Ad Paulum.

Qui nudo & pænè exanimo ſuccurrit amico,
Paule, nec occurrit; diligit? anne pudet?

Crapula.

Nec gladio, nec navifrago tam magna profundo
Turba perit; nimio pondere quanta cibi.

Ad Virginem.

Theſaurum cùm, Virgo, tuum vas fictile ſervet:
Ut caveas quæ ſunt noxia; tuta cave.

Eleemoſyna.

Felix ô nimium, qui victum præſtat egenis:
Pro fragili æternas ære lucratur opes.

Ad Franciſcum.

Omnibus ut notus fias, Franciſce, laboras:
Compos eris, nullus ſi tibi notus erit.

Ad Ludovicum.

Quod laceras, Ludovice, meam, mihi gaudeo, vitam.
Laudari eſt, homini diſplicuiſſe malo.

Ad Mamurium.

Quiſquis concupit inter innocentes
Vitam ducere, Mamuri, quietam,
In ſolos fugiat locos neceſſe eſt.

Ad Flaccum.

Quid juvat externis populis indicere bellum?
Cum vitiis malim prœlia, Flacce, geras.

Ad Urſum.

Quod patriâ careas quereris: patria, Urſe, putanda eſt,
Quocumque eſt homini vita quieta loco.

Ad Aulum.

Mens ditem, non gaza facit, pauperrimus, Aule, eſt;
Majores quiſquis jugiter optat opes.

Ad Marium.

Quòd tacitum cupis eſſe, Mari, ne dixeris ulli.
Si tibi ſecretus non eris, alter erit?

Hipocryſis.

Sancta foris, ſed prava domi eſt mihi vita, placendi
Cauſsâ homini, parvi lædere pendo Deum.

Ad Maurum.

Maure, tuus jacet ante fores & ſupplicat hoſtis.
Pœnarum, ulciſci poſſe, ſat eſſe puta.

Coſcientia.

Crimina multa licet nullo ulciſcente patrentur;
Effugiunt morſus non tamen ulla meos.

Ebrietas.

Viſus hebet, fumant artus, cerebrumque rotatur:
Nec facit officium pes animuſve ſuum.

Invidus, pœna ſui.

Mordenti mirare meos me parcere verſus?
Invida ſat gravis eſt mens, Tite, pœna ſui.

Suos

Suos vincere turpe.

Arma moves contra conſanguinitate propinquos
  Galle tibi: fœda eſt vincere fama ſuos.

Vita, digitus.

Qui neſcit, quo vita modo volat; audiat horas:
  Quàm ſit vita brevis, nos docet ille ſonus.

Ad Album.

Unde adeò ſecura tibi mens? unde peritos
  Negligis? & pariter deſpicis unde rudes.
An quia te miſeris è ſordibus, Albe, levarit
  Fortuna ad fauſtæ culmina celsa rotæ?
Ah Corydon: clavo nullo illa tenetur aheno;
  Illaque de vitro eſt; frangitur, ergo time.

Joanni Pico.

Cùm te divitiis, & nobilitate potentem
  Conſpiciam, & teneris ſit tibi barba pilis:
Miror inaudito te, candide Pice, labore
  Doctrinæ ſtudiis invigilare bonis.
Sed cùm nobilitas, & opes virtute carentes,
  Judicio minimè ſint bona vera tuo;
Vis verè dives, vis verè nobilis eſſe:
  Unus eris dives; nobilis unus eris.

Fletus mortuorum.

Dilaceras crines, fletumque ululatibus imples,
  Mœſtaque ſanguineis unguibus ora notas.
Credis an exſtinctos hinc poſſe reſumere natos?
  Fleri obitum, eſt addi vulnera vulneribus.

Ad Titum.

Unde nihil patrare homines diverſa puderet
  Crimina, quærebam quæ, Tite, cauſſa foret
Vox mihi, neſcio quæ, tenui ſic viſa ſuſurro eſt
  Dicere: Nulla caret noxa patrocinio.

Ingratus.

Multa petis ſtrictæ conſanguinitatis amore,
  Multæ ſacroſancti jure ſodalitii.
Cuncta negant fratres; tibi cuncta recuſat amicus,
  Quippe manu refugis, Petre, fricare manum.

Ad Cæcilianum ſuſpitioſum.

Nil famulo credis, nil fratribus, atque parenti;
  Nil audes thalami credere conſociæ.
Quid facis infelix? multi docuere fidelem
  Fallere, dum falli, Cæciliane, timent.

Ad Pamphilum curioſulum.

Quidquid fit ruri, quidquid fit in urbe requiris
  Et quid inops Codrus, quid Mida dives agat.
Quid tibi quæſo ferunt aliena negotia rerum?
  Anne magiſtratus Pamphile? numquid opes?
Qui res alterius propriis indagat omiſſis,
  Blandiri, aut nigro rodere dente cupit.

Ad Coſsum, Principes indocti.

Sic humana jacet virtus, ut nulla ſalutis,
  Judicio ſpes ſit, Coſſe, relicta tuo.
Quæ ſit cauſſa, taces, dicam tibi; cauſſa malorum eſt
  Plena quod indoctis omnia ſint Dominis?

Ad Calliſtratum inſipientem.

Forſitan iraſci tibi me, Calliſtrate, dicis,
Quod me mittendum dicis in Anticyram.
Do veniam; neque te merito reprehendere poſſum:
Inſipiens omnes mente carere putat.

Ad Homerum hypocritam.

Laudo quod adſiduâ ſis in prece, templa frequentes,
Otia quod fugias, illicitoſque toros:
Quod neque fœnus ames, neque delecteris honore.
Non tamen eſt aurum, quidquid, Homere, nitet.

Ad Caprum, Convitia.

Te quereris natum nimis infelicibus aſtris,
Quod Fabius multis te premat opprobriis.
Parce, Caper, lacrimis: nec enim convitia quiſquis
Audierit; ſed qui fecerit; hic miſer eſt.

Ad Laurentium, Tempus.

Quo te cumque die nil ſancti egiſſe videbis,
Hunc tibi, Laurenti, deperiiſſe puta.
Iſta nec in minimis ponas diſpendia damnis:
Ære poteſt nullo vel breve tempus emi.

Ad Creticum; Pueri inſtituendi.

Formatur tenera in varias argilla figuras,
Ceraque tractanti mollificata manu.
Non ſecus ingeniis licet impreſſiſſe tenellis
Sive bonos mores, Cretice, ſive malos.

Ad Urſum, Detractor.

Quod percunctanti de relligione, recuſem
Reſpondere tibi, te ſtupor, Urſe, manet.
Extimeo canibus ſanctum dare, quippe latrantem
Vitæ hominem alterius, ſuſpicor eſſe canem.

Ad Philenium, Adulator.

Accipitres ubi vidit anas, & aprica, Phileni,
Cerva canes, properæ dant ſua terga fugæ.
Sic velut hoſtiles fuge dulcia verba ſagittas:
Mollis adulator non minus hoſte ferit.

Ad Arnum, Crapula.

Unde tot angantur mortalia corpora morbis,
Me petis; a lauto eſt multiplicique cibo.
Priſci, uno utentes & ſimpliciore valebant;
Tunc herbas norat vix medicina decem.
Nunc nemora, & montes ſcrutatur, & æquora, & audet
Uti etiam magicis ſæpe magiſteriis.
Excedunt tamen & morbi medicamina, quippe
Quiſque mori mavult quam cohibere gulam.

Meretrix.

Cum fruſtra vitii ſiccetur rivulus omnis,
Ni fontem validis clauſeris aggeribus;
Incaſſum ploras, incaſſum pectora cædis:
Expellenda prius turpis amica domo.

Ad Pamphilum, Amicitia.

Si me per terras, ſi juſſeris ire per æquor,
Scrutabor terras ſedulus & maria.
Nullaque me poterunt loca deterrere ferarum,
Nec furor undoſi turbidus Oceani.
Contemnam glaciem, ignitoſque Hyperionis æſtus;
Contemnam ventos, ſaxa, nives, pluvias.
Forte loqui videor nimium ardua, Pamphile? nullum
Difficile eſt veræ pondus amicitiæ.

Punitio.

Dira per Italiam bacchantur bella, Putaſne
Hæc fieri minimè proſpiciente Deo?

An quereris nimis hunc acri ſævire flagello?
Hei mihi, quam timeo ne graviora paret!
Crimina quo creſcunt hominum magis, hoc magis ipſum
Creſcere ſupplicium, Bartholomæe, decet.

Ad Iliſiam, Vanitas.

Quidquid & Euphrates emittit, & Indus odorum,
Id totum atque etiam plus, tua veſtis olet.
Væ tibi, cum numquam ſuccurrat, Iliſia, menti,
Quam gravis in buſti carcere fœtor erit.

Ad Juſtinianum.

Credebam te forti animo ſimilem eſſe Catoni:
Sed tibi femineum pectus ineſſe doces.
Non aliter verbis te detractoris iniqui,
Quam trifido ſterni fulminis igne ſinis.
Fac redeas in te, nec enim convitia quidquam,
Sed vitium turpem, Juſtiniane, facit,

Ad Lazzarum; Vitium in honore.

Miraris noſtro decurrere fulmen ab ore:
Me ſtupeo in tantis vivere poſſe malis.
Qui ſcelera ulciſci deberet, peccat aperte.
Hic bona pupilli diſſipat: ille negat.
Venditur ad dominam ſententia judicis haſtam.
Venales teſtes angulus omnis habet.
Denique ne longus ſim, Lazare, mentis habetur,
Nunc quicumque malos non imitatur, hebes.

Ad Xantippum.

Haud fieri, Xantippe poteſt, fugientibus ut quis
Æterniſque frui delitiis valeat.
Quare age præſentis bona, quam potes effuge vitæ:
Si bona ſunt quorum finis it in lacrimas.

Patientia.

Se Deus in placitis abs te cum noſſet amari;
  Qualis in adverſis ſit, videamus, ait:
Teque flagellatur. ſolita eſt offenſa docere
  Felici verè tempore ſi quis amat.

Ad Paulum. Meretrix.

Paule tibi quoniam blanditur Iliſia, gaudes.
  Lætari proprio res miſeranda malo eſt.
Illane te ſolum vox præterit aurea paſſim
  Nota? meretrici nulla adhibenda fides.

Ad Quintum. Finis.

Præteritos quamvis bene, Quinte, peregeris annos,
  Non tamen in tuto diceris eſſe vado.
Qualem habeant finem Chriſti vexilla ſequentes
  Quærendum eſt; vitam mors probat, aut reprobat

Ad Ponticum. Exempla.

Tolle tuos monitus & verba diſerta, movemur
  Exemplis multum, Pontice, voce parum.
Namque loqui facile eſt; ſummi at feciſſe laboris.
  Si cupis audiri, quæ loqueris facito.

Ad Marianum. Perſeverantia.

Cœpiſti ſceleris viam cruenti
Declinare, bene eſt: tibique quantum
Poſſum gratulor. attamen memento,
Non qui cœperit, adſequi coronam;
Sed quiſquis, Mariane, perſeverat.

Ad Ollum. Pœnitere.

Si cupis ob ſcelera iratum placare Tonantem,
  Et votis placidum reſtituiſſe tuis;

Illicitis quantum te noveris, Olle, vacaſſe,
  Fac tantum licitis abſtinuiſſe velis.
Namque ſequi vitâ contraria facta priori.
  Criminis hoc verè eſt pœnituiſſe ſui.

Hypocrita.

Nil fieri in toto reor infelicius orbe.
  Atque adeò nobis exitiale nihil;
Quàm ſi quis ſpe glorioſæ ſua membra flagellet,
  Et ſe ſe longâ maceret eſurie.
Hæc vivo, nec defuncto datur ulla voluptas:
  Uſque ſubit pœnas, quas ſibi ſponte tulit.

Ignavia.

Fortes priſca viros habebat ætas,
Viventeſque diu, & diu valentes,
Se ſomno nec enim dabant gulæve.
Nunc, ceu ſica cibus; ſopor ſepulchrum eſt.

Ad Beltrandum. Male mori.

Ventris ab hinc menſes fluctus te diſſipat octo,
  Et febris quarto quoque iterata die.
Non tibi jam ſupereſt ſpes ulla relicta ſalutis:
  Nil medici proſunt, pharmaca nulla juvant.
Et tamen accerſi nondum, Beltrande, jubetur,
  Accuſes proprio cui ſcelus ore tuum.
Sed nihil hoc miror, nam qui male vixit, oportet
  Hunc male, juſtitiâ ſic ſtatuente, mori.

Ad Judicem. Mora.

Qui datus eſt nobis & noſtro terminus hoſti,
  Præteriit: teſtes poſco rogoque legi:
Atque brevi dici jus obſecro, longior anno eſt
  Una homini oppreſſo litigioſa dies.

Ad Paulum. Superbus.

Paulle, vides illum qui tanto incedit honore?
  Quælibet anguſta eſt quo ſpatiante via?
Qui tunicâ latos hinc inde fluente lacertos
  Librat, & ut dicant, rex bone, geſtit, ave?
Mentior, & ferulâ cædi volo, ſi quis ab illo
  Quæſierit quid ſit, dixerit, eſſe hominem.

Ad Eutychum. Finis.

Nullum æquè facilè ac ſe ſe quiſquam, Eutyche, fallit.
  Gaudeo, ſi vitam quam mihi ſcribis agis.
Perge: brevem pariunt homini primordia fructum,
  Congrua ni fuerint ultima principiis.

Ad Maximum. Avarus.

Ne tua deficiant metuis patrimonia, ſi quid
  Ex illis dederis, Maxime, pauperibus.
Heu, quibus excæcat te vaſta cupido tenebris:
  Te nec enim in barathrum proſpicis inde trahi.
Ne pereat cenſus, quicumque recuſat egenos
  Paſcere, pro cenſu funditus ipſe perit.

Ad Baſſum. Incautus.

Femineis pueri ſpectacula feſta choreis
  Dum celebrant, multos, Baſſe, perire vides.
Et tamen huc audes accedere? cæcus & amens
  Eſt mihi ſubſequitur qui pereuntis iter.

Ad Carolum. Doce.

Non eſt te Chriſti ſapientior alter in æde.
  Nec tamen ulla tibi eſt cura docere rudes.
Militibus quemcumque piget ſuccurrere captis
  Carole, cum poſſit, non amat ille ducem.

Venus inſatiabilis.

Humani, numquam Proſerpina nigra cruoris
Sat bibit; & tellus non ſatiatur aqua.
Atque licet Nemeen, totamque ingeſſeris Idam,
Et Pholoen; nunquam ſufficit, ignis ait.
Æſtibus impuri modus eſt ita nullus amoris,
Exitium præter corporis, atque animæ.

Mors unde dicta.

Quæ neque pauperibus, neque mole potentibus auri,
Nec pueris novi parcere, nec ſenibus,
Mors vocor, impoſitum nunquid male dixero nomen,
Quod fugere a morſu res nequit orta meo?

Ad Gallum.

Cùm ſit cunctarum mors, Galle, graviſſima rerum;
Communem velit hanc cur Deus eſſe, petis.
Forſitan ut ſummam ſors omnibus æqua ruinam
Soletur, plures quod premit, eſt levius.

Virtus. Vitium.

Deſine cœleſtes tandem incuſare choreas:
Inſita ſunt nullis crimina ſideribus;
Quo terrena colis, ſtudia ad cœleſtia verte;
Ac bene formandis moribus invigila.
Sic proprii noſces animi, non ſideris eſſe,
Sive hominis vitam degere, ſive aſini.

Ad Hieronymum Caſtellium. Pugnandum.

Invictum te ſæpe doles, Hieronyme, mecum
Turpibus involvi ſollicitudinibus:
Et modo conſpectis carnem prurire puellis,
Et modò cor ſubitâ corripi ab invidiâ.

Per-

Perdere ſpem noli; neque enim ſumus ætea maſſa;
 Dum ſumus hoc clauſi corpore, vim patimur.
Cura ſit, ut ſtimulis circum oppugnantibus ipſa
 Mens numquam cedat, pugna trophæa parit.

Ad Aloyſium Greppium.

Ne bona quis peteret nimio præſentia voto;
 Et mala ne contra nequiter effugeret:
Utraque conſtituit communia ſontibus, atque
 Innocuis trini provida cura Dei.
Cuncta tibi quamvis ſint læta, tumeſcere noli,
 Sisne Deo gratus, certior eſſe nequis,

Ad Ollum. Patientia.

Nec lacrimæ ægroto proſunt, nec thura ſepultis;
 Nec nautis fractâ multa querela rate.
Sic nihil, Olle, tuum ſedant lamenta furorem;
 Imò magis querulâ vulnera voce foves.
Quod pateris, conare animo tolerare libenti:
 Quod geris invitus, te magis urget onus.

Ad Lucam.

Luca, rumpe moras, quæcunque negotia fiunt
 Serius, invitâ mente videntur agi.

Ad Jacobum Melitum. Detractio.

Nemo tam, pius, innocenſque tranſit
Hujus curriculum volucre vitæ,
Ut morſus hominum queat dicaces
Evitare, probris bonos notare
Sunt ſolatia vana peſſimorum.

Ad Paulum Caſtellium.

Quomodo ſcintillam flanti ſi adjuveris ore,
 Continuò magnas elicis inde faces:

Inſita ſic animis virtutum ſemina cùm quis
Excitat, ubertim luxuriare facit.
Dum potes, hæc omni ſtudio cole. ſæpe morantem
Agricolam glebas rumpere, fallit ager.
Humanæ formicam imitans jam conſule brumæ.
Bruma hominis vitæ eſt ultima, Paulle, dies.

Sacra Pagina.

Qualiter eſuriens in campo quærit eodem
Semen avis, ſtramen bos, leporemque canis
Ingeniis ita diverſis diverſa miniſtrat
Pabula, ſiderei Pagina Sacra Patris.
Lac capit hic infans; panem robuſtior ætas;
Nec caret optato curva ſenecta cibo.
Et tamen huic pauci invigilant: quia pleraque turba,
Aures, non animum conſuluiſſe ſolet.

Conſcientia.

Iſtud habet damni vitium inter cetera, quod mens
Palpitat adſiduo flagitoſa metu.
Semper enim vel ſi non deprendatur, in ipſo
Seſe deprendi poſſe putat ſcelere,
Deque ſuo, alterius quoties de crimine ſermo eſt,
Cogitat, & credit ſe magis eſſe reum:
Inque dies timor hinc creſcit, de moribus ergo
Cura ſit: intrepidos nos bona cura facit.

Ad Archemidorum. Captator.

Nunc pyra, nunc turdos, nunc vaſcula mittis Julo,
Et dominum, & regem, ſemideumque vocas.
Quid ſibi quæſo volunt hæc Archemidore? quid optas
Inde? ſenem ex facili fallere nemo poteſt.

Ad Francum. Exemplum.

Pone quòd in tumido ſis æquore, ſæviat Auſter,
Cymbaque fluctivagâ diripiatur aquâ:

Dum-

Dumque truci obniti deberet navita ponto,
Garriat, auxilii quid tibi, France, dabit?
An leviore putas juvenilia corda procellâ
Jactari, fragilis quàm vaga ligna ratis?
Si cupis ut recto proles tua limite vitam
Tranſigat, id ſtudeas carpere primus iter.

Ad Linum.

Si quibus obrueris, mens eſt explodere peſtes,
Eſt opus eſſe alium te, Line, non alibi.

Ad Fauſtinum. Avaritia.

Te quoties, quod ſæpe quidem eſt, interrogo, ſitne
Dextra tibi humano tincta cruore, negas.
Deque meo graviter quereris, Fauſtine, rogatu;
Cum tibi diſpliceat pugna, nec arma geres.
Væ tibi, væ, nam triticei qui munera fœtus
Occulit, humani eſt ſanguinis ille reus.

JO: FRANCISCI BINI
FLORENTINI.

AD FONTEM.

Qui blando obſtrepitis circum nemora alta ſuſurro,
Glareola & quorum murmurat in gremio
Naturâ, ô fontes arti concedite, veſtrum
Nec pudeat tremulos quemque referre pedes:
Nam (ſeu vos pariat tellus ſeu turbidus æther,
Seu mare, quo de omnes proſiliunt latices)
Ut rebus præſtant homines, ſolertia rerum
Humano ſic jam vincitur ingenio.

Ad Benedictum Varchium.

En tibi aprum, Varchi, modò cui de jure calenti,
  Noſtra pedes glacie docta ligavit anus.
Sed nec aper, nec te glacies, neque jura juvabunt,
  Rictum huic ſi admorit noſter, & ora Tryphon,
Qui horridior glacie, qui apris dentatior, & cui
  Dulcior Hybleo juris amor latice.

PETRI BIZZARI

AD HIERONYMUM PRIULUM Venet. Ducem.

CUm latè circumſpiceret Neptunus in omnes
  Oceani partes, & loca pulchra magis:
Nulla eſt urbs, ait, ex cunctis quas adluit æquor,
  Adriacæ ſimilis, nec fuit ulla prius.
Hæc ſtabili imperio ſemper ſua jura tenebit;
  Virgoque dicetur dum fluet unda maris.
Mœnia ſunt cives: lex propugnacula: at arces,
  Mutua pax; turres cura ſuprema Jovis.
Ne verò interea rectore ac principe tanta
  Urbs careat, Priolus Dux erit, atque caput.
Utque illa eſt prima, & reliquas ſupereminet omnes;
  Sic erit hic primus nomine, reque prior.

Ad Franciſcum Roſellum.

Gloria ſponte ſuâ fugientem quærit, & illum
  Conſequitur, quamvis iret ad Antipodes.
Hanc licet ipſe fugis; tua per veſtigia oberrat,
  Et quocumque abeat hæc comitatur iter.

Hanc

Hanc fugis, hæc ſequitur; fugias licet uſque, ſequetur;
Nec te unquam terrâ deſeret, atque mari.
Hanc decoras: te illa, hanc quoniam tu ſemper amaſti,
Hæc te perpetuò, perpetuoque colet.
Felices animæ quas virtus tollit ad aſtra;
Et quarum æterno nomine fama viget.

Ad Robertum Dudlæum.

Innumeri regnant, quos hîc ſervire deceret:
Permultis deſunt, regna regenda, viris.
Tu regere imperio dignus vel maxima regna;
Et quamvis deſint, mens tua digna viget.
Hæc laus eſt potior, quam ſi vel mille darentur
Regna tibi, ſi non dignus honore fores.
At cùm ſis dignus, quàm qui digniſſimus omni
Imperio, Superos dent tibi regna precor.

Ad Thomam Randolphum.

Anglia jure tibi multum, tibi Scotia multum
Debet; utrique bonus ſedulitate tua es.
Dii faxint poſthac poſſis debere ut utrique;
Quo par ſit meritum conditione pari.

Ad Andream Milvinum.

Nulla apis Hyblæis legit de floribus unquam
Deque vilis herbis dulcia melle magis;
Dulcia vina magis numquam de dulcibus uvis
Ulla dedit vitis, quolibet axe poli;
Quàm mihi dulcis ades, dulci ſermone, tuiſque,
Mellitis verbis, moribus ingenio.
Sincerum pectus, fidei conſtantia verè,
Veraque ſincerâ cum pietate fides.
Me tibi ſic vinclo dudum obſtrinxere tenaci
Melvine, ut poſſit ſolvere nulla dies:
Nulla die ſolvet, diſtantia nulla locorum
Imminuet, firmum ſed mihi ſemper erit.

Ad Cupidinem.

Quid tuæ poſſint pharetræ, Cupido,
Quid leves arcus, tua quid vel auro
Illita, aut molli medicata plumbo
Spicula novi.
Ergo quid ultrà feris? ecce tendo
Supplices palmas, genibuſque flexis
Oro deponas tua tela, ne me
Sperne precantem.
Sic tuum numen veneremur omnes,
Quà ſuus Phœbus radiis coruſcat:
Sic puer ſemper vigeas, Venuſque
Prima Dearum.

Ad Lauram Fracanzanam.

Plus tibi quàm matri debet roſa, quam tua geſtat
Dextera candidior candidiore nive.
Namque breves ſuccos dedit hæc, vitamque caducam:
Quæque ut mane viget, ſole cadente perit.
Aſt illi augetur per te decor omnis, oletque
Suavius, inque tua gliſcit ovatque manu.
Adde, quod & longâ eſt tecum victura juventâ;
Forſan & æthereas inde habitura domos.

Ad Franciſcum Stellam.

Ut ſtellæ cœlo fulgent, ſic, Stella, coruſcas,
Ac meritò a ſtellæ nomine nomen habes.
Et tamen haud quævis ſtella es; ſed Lucifer atque
Heſperus: eſque orbis gloria, ut illa poli.

De Catharinâ Mediceâ.

Nunc Arno Eridanus cedat, Tibriſque ſuperbus
Aurea deponat cornua, detque manum.

Non

Non ita ſe geminis jactabat Roma, Cybellæ
Non ita in excelſo vertice mons Phrygius;
Qua Mediceâ Arnus tumet ac lætatur alumnâ,
Et magis auguſtâ prole ſuperbit ovans.
Hanc vos ô Cycni, qui tanti fluminis undas
Incolitis, pennis tollite ad aſtra novis.
Utque immortalis Regali ſtirpe Deorum eſt,
Sic immortalem cantibus efficite.

Ad Meliorinum Ubaldinum.

Quis melior te uno expugnandis urbibus; hoſti
Vincendo inſidiis, Marte, vel ingenio?
Quiſve aciem in pugnam melius diſponet apertam?
Denique bellandi quis tibi in arte prior?
Ergo qui reliquis melior, virtuteque præſtas,
Nomina item dignè tu melioris habes.

In Scipionem Africanum.

Quod fueris bello præſtans, prudenſque, piuſque,
Quod triumpharis, oppida multa domans;
Commune id tibi cum multis eſt Scipio, verùm
Dum capere id renuis quod tibi ſponte datur;
Hæc tua ſolius laus eſt, & gloria: ſola hæc
Te Diis æqualem perpetuumque facit.

In Julium Cæſarem.

Quod totum terrarum orbem tibi, maxime Cæſar,
Subdideris; magna eſt gloria, magnus honor.
Non tamen hic ſolus tuus eſt: Fortuna duceſque
Qui tecum fuerant inde aliquid repetunt.
Quod verò clemens fueris, tua gloria ſola eſt,
Et ſola hæc Superis te facit eſſe parem.

In mortem Eduardi Curtnæi.

Dum Juno & Pallas regali ornare coronâ
Curtnæum, & regem conſtituiſſe parant;

Jup-

Juppiter haudquaquam adſenſus: mortalia dixit
  Hujus ſunt meritis inferiora viri.
Ergo illi cœlum pro terrâ demus; in omne
  Ævum ut nobiſcum regnet in arce poli.

Tumulus Franciſci Davali, Marcb. Piſcariæ.

Quis gelido jacet hic ſub marmore? maximus ille
  Piſcator, belli gloria, pacis honor.
Numquid & hic piſces cœpit? non, ergo quid? urbes,
  Magnanimos reges, oppida, caſtra, duces.
Dic quibus hæc cœpit piſcator retibus? alto
  Conſilio, intrepido corde, alacrique manu.
Qui tantum rapuere ducem? duo numina, Mors, Mars,
  Ut raperent, quiſnam compulit? Invidia.
Cui nocuere? ſibi, vivit nam fama ſuperſtes,
  Quæ Martem, & Mortem vincit, & Invidiam.

In obitum Camilli Triviſani.

Threicius vates cantu placaverat olim
  Inferni regem, ut redderet Eurydicen.
Dulcibus adloquiis poteras quoque flectere Parcas,
  Ni febri arſiſſet lingua, Camille, tibi
Conſultò id factum, ne quid loquerere: ſed ecce
  Nunc omnis de te ſermo per ora virûm.

Ad Hieronymam Columnam.

Ut virgo in viridi Puella prato,
Quod terra omnigeno colore florum
Exornat redeunte Vere, prorſus
Neſcit, quem prius eligat, ſuiſque
Excerpat manibus; videntur omnes
Tam pulchri foliis, odore viſu:
Sic dum multiplices, quibus refulges,
Seu partem inſpiciam penitiorem
Quæ cœlo venit ac Deorum imago eſt;

Vel

Vel quæ lumine cernitur patenti,
Aut quæ ſorte bona obtigere: prorſus
Ignoro, unde prius mihi capeſſam
Ullum principium, vel unde ſperem
Eventum ex animo. Decus vetuſti
Num clarum generis, parente utroque
Deductum celebre, ac domi foriſque
Longâ poſteritate ſæculorum
Inſigne hîc referam? omnibus propago hæc
Terris cognita, laudibuſque cunctis
Jamdudum micat: an tui venuſtam
Formam corporis, oris, atque vultus
Narrem? num eximias tibi paratas
Arte, aut ingenitas, dataſque cœlo
Virtutes recinam? id referre longùm
Et ſupra ingenium eſt meum, ergo tantas
Laudes præteriens, colàm ſilenti
Te voce, atque animis fovebo, donec
In nobis animæ ulla pars manebit.

MARCI ANTONII BOBÆ

CASALENSIS, S. R. E. CARDIN.

AD CAROLUM SABAUDIÆ PRINCIPEM

In obitu matris.

TAndem querelis pone modum tuis:
Et matris ultrò ſidereas domos
Tenentis, incaſſum quietos
Deſine ſollicitare manes.
Conſtanter actæ non ſine gloriâ
Vitæ innocentis, præmia nunc capit:

Et

Et læta poſt multos labores
Colloquiis fruitur Deorum.
Perſpectus almæ jam ſatis eſt tuus
Dolor parenti : Carole, turgidos
Abſterge ocellos, & jubenti
Cede volens generoſe fato.
Fletus inanes comprime, & inclytâ,
Hac ſtirpe dignos indue ſpiritus,
Et mente cœlorum virili,
Diſce puer penetrare ſedes.
Inſigne mater, quàm properè nimis
Nobis adeptam conquereris, ſuæ
Virtutis exemplum reliquit,
Quod ſtudio mediteris omni,
Prognata Regum ſanguine Galliæ
Latè patentis, quo nihil, adſpice,
Luſtrius, quacunque terras
Phœbus obit radiante curru.
Non illa claro nomine regio
Contenta vixit, ſed proprias ſibi
Adjunxit artes, queis piorum
Præteriit benefacta patrum.
Illi voluptas, & ſtudium fuit
Placere Chriſto: hunc viribus omnibus
Sequuta, terrenas Virago
Delitias animo pudico
Se major ipſa preſſit: egentium
Proſpexit, auri prodiga commodis
Solertè curâ, quæ repoſitis
Divitiis potiora duxit.
Virtute pravos continuit ſuâ;
Bonoſque ſummis auxit honoribus:
Vultu ſereno mitis æquè,
Juſtitiæque ſevera vindex.
His illa cœlum poſſidet artibus
Felix; eisdem te tenerum cupit
Formare pectus, quod regendis
Ipſe Deus populis creavit.

Hoc

Hoc orat illa, hoc numina ſedulò
Poſcit, tuarum maxima, Carole,
Tutela rerum: Tu parentis
Vince piis pia vota factis.
Quo caſtra ponas, quo ſuperes modo
Hoſtes, ſagacem quid deceat Ducem,
Bellique fortunâm, triumphis
Conſpicuus genitor docebit.

JOANNIS BOCCACCII

FLORENTINI.

Bucolicon Galla. Ecloga Prima.

Damon, Tyndarus.

Dam. TYndare non ſatius fuerat nunc arva Veſevi;
Et Gauri ſilvas, tenera iam fronde virentis
Incolere, ac gratos gregibus deducere rivos,
Quam ſteriles Arni fruſtra diſcurrere campos?
Quid ſtolidus moneo? prudens es, dic tamen oro,
Quæ te cura gravis juſſit ſuperare nivoſas
Alpes? & fluidas valles tranſire coëgit?
Tyn. O Damon Damon, quantum ſibi quiſque beavit,
Qui potuit mentis rabidos ſedare tumores,
Et patruas habitare caſas, nemora atque remota?
Quod nequeam, duræ de me voluere ſorores.
Hinc igitur tauros curo deducere ſilvis
Alceſti, ſic atra jubet, volvitque cupido.
Sed quid triſtis ades? fervet nunc limpidus aër,
Et fugiunt virides inter ſpineta lacerti.
Quid tu ſolus agis? quid paſcua torrida quæris?
Dam. Ne rogites, ſtat corde mori, mors ipſa quietem
Sola dabit feſſo mors eſt inimica laborum.
Tuque tuus facito ſis, fac quoque ſemper amores

Effugiàs volucres, & diras ſperne pharetras;
Quo fortuna trahet miſerum, moriturus abibó.
Tyn. Es ne tui compos, paulum requieſce ſub antro.
Eſt equidem veteris mihi grandis copia Bacchi,
Perge precor, Phorba, crateras fronde corona.
En pendent anſis patulam ſi cernis ad alnum.
Interea quæ dira lues mihi pandito Damon
Te cruciet, leviat mentes recitaſſe dolores.
Dam. Quis neget? audieram ſolitum cantare Menalcam.
Aſt ego ſi dicam mecum lacrimaberis ipſe.
Tyn. Sic volo, quem lætis tantum dicemus amicum?
Dam. Nympha fuit ſilvis totis pulcherrima noſtris.
Et quantum lauro cedit funeſta cupreſſus,
Cupreſſo myrtus bicolor, myrtove mirycæ,
Tyndare, huic tantum cædit Galatea Myconis.
Hæc facilem placidis quondam me cœpit in annis;
Has inter fagos pulchris comitata Napeis.
Heu quibus hæc oculis roſeo ſuffuſa rubore
Impulit in pectus flammas, quibus uror, & auxit
Blanda nimis, nobis volucres nunc ferre ſagittas,
Nunc ſolita & catulos, nunc retia tendere cervis.
Diſſuadere truces urſos, ac dentibus apros,
Ne ſequerer ſævos, lata & venabula furtim
Surripere, ut vacuo lenes apponeret arcus.
Indignor memorans, quercus mihi teſtis amorum eſt.
Amplexus centum cui junximus, oſcula, centum.
Nunc alios oblita mei ſic temperat ignes
Ut moriar, permitte mori. moriemur amando.
Sed videant ſilvæ, montes, arbuſta, fluenta.
Et memores nymphæ reddant pro munere munus.
Tyn. Abſit, mi Damon, nimium falluntur amantes.
Quid noſti cur iſta feras, ſtat ſæpe ſub umbra
Ignis, dum pallet juvenis, tum fervet Adonis.
Dam. Erras, non ſic eſt: fraus hæc notiſſima nobis.
Antrum grande manet, ſilvis, ſub colle virentis
Montis Ugi, quo forte greges contraxerat Ægon,
Et paſtos gracili ſolus refovebat avena.
Huc ego dum Phytia pecori cuſtode relicto

Er-

Errans advenio, ſic me malus ardor agebat.
Præſenſi, timuique dolos, nam mixta puellis
Galla choros antro feſtos laſciva trahebat,
Nec ſecum Ægoni quidquam cur luderet antro.
Pamphilus interea dum cogeret inde capellas
Ad ſalices, tacitus meditans ſub rupe ſedebam
Inviſus, petiit verum ille ſecreta ſalicti.
Et ſtipula doctus pariter fidibuſque canoris,
Carmen inauditum cœpit, tunc ſiſtere ſilvas
Cantu, & ſtare capros, & ludere ſaltibus hædos
Vidiſſes, quid multa feram? jam certus amorum
In longum tenuit, donec laſciva per umbras
Veniſſet juvenis, tumidos quis fallet amantes?
Venit & illa quidem Catulis ſociata duobus,
Illis illudens manibus, ſuccinctaque ramis
Voce ciens comites, ne forſan longius iret
Pamphilus, at poſtquam coram lenique ſub umbra
Ilicis argutæ conſedit, & ilice teſte
Paſtorem flagrans cœpit ſpectare canentem.
O ſibi quos oculos, actus quos, quoſque reflexus
Auricomi capitis, quos riſus, quoſque rubenti
Obtulit amplexus facie, vix illa profecto
Abſtinuit quin viſa prius ſe conderet altis
In ſilvis, nec plura loquor, mors eripe flammas.
Tyn. Nequidquam lacrimas fundis, narrare ſolebat.
Tityrus, heu nobis quondam dum dulcior ætas.
Non lacrimis ſatiatur amor, non rore cicadæ.
Non cythiſo pecudes æquè, nec prata fluento.
Quid facies igitur? flebis? quas ſordidus ulmus
Abſtulit autumnus, cernis ver reddere frondes.
Et Zephyrus placat, quas undas turbidus Auſter
Miſcuit, & pandos delphines ludere ſæpe
Vidimus in pelago, quod ſorbſerat ante carinas.
Sic peragit fortuna vices, nunc livida vultu
Proſternit miſeros, relevat nunc fronte ſerena,
Eſt reditura dies, qua dicas, non tibi primus
Paſtorum ſilvis ſit, fletus pone precamur.
Nam ſi non redeat, ſunt & medicamina mille.

Carmine ſævus amor ſacro, revocatur & herbis;
Carmina ſunt nobis, & gratas novimus herbas.
Jam dudum veterem Phorbas jam portat Jacchum:
Dam. Cum capreis paſcetur ovis, lupus acer hibiſco;
Gurgite cum vultur, vivet, cumque æthera piſcis;
Cum freta ſulcabit vomer, cum paſcua navis,
Tunc ſervare fidem incipiet laſciva puella;
Carmine tunc Gallam revocabimus arte vel herbis:
Idalium petii culmen, ſanctumque cythæron.
Atque Paphi myrteta dolens, oſcillaque ramis
Suſpendi, pia thura dedi, precibuſque potentes
Tentavi nymphas, votis ſuperoſque vocavi.
Poſtque preces, ſupplex ingentia munera miſi
Incaſſum, crudeſcit amor, crudeſcit & ipſa.
Hei mihi nequidquam defers Amaryllidis olim,
Caſtaneas Phorba nobis, bromiumque vetuſtum,
Frons cecidit, vireſque animi, præcordia dirus
Urit amor miſero, ſaxis heu verba movemus.
Tyn. At tamen expecta ſi ceſſerit impius ignis.
Dam O quantum natura parens, tibi Pamphile, rerum;
Poſſe dedit nemori, tu ſertis nectere flores,
Tu cantu recreare greges, fluviiſque quietem
Ponere, tu validas ornos, cauteſque movere
Noviſti, & mulcere Deos, & flectere montes.
O quantum, neque ſævus amor ſua jura negavit
Ipſe tibi, nam velle tuo (ni fallor) habenas
Nunc manibus, nunc mente regis, quod forte tonanti
Non licuit quondam ſilvis dum captus amaret.
Quis niſi tu placidam fuſca ſub veſte per arva
Ægonis Gallam nuper traxiſſet in antrum?
Quiſve inter ſalices, & denſa vepreta, volentem?
Te Silvane pater precor hæc, fac cernere poſſim
Quos pectit croceos crines, per tempora canos,
Et rugis roſeas plenas palleſcere malas.
Et tacitis nemorum jaceat neglecta ſub umbris.
Ut ludam tremulos greſſus, oculoſque gementes.
Hoc ſi forte neges, patiaris, ut ultima ſaltem
Me rapiat mors atra, meo poſitura quietem

Fer-

Fervori, corpuſque tegant ſub ceſpite ſicco
Paſtores miſeri, ſignent & carmine buſtum.
Tyn. Trux amor, & juvenum ſemper certiſſima peſtis;
Heu cecidit lymphas manibus portate recentes
O pueri, ſi forte queam revocare dolentem.

PAMPINEA. Ecloga Secunda.

Palæmon, Melampus.

Pal Quid merui? duris fuſtemne ſecuribus olim
Conceſſi Silvane ſenex? aut fontibus urſos
Segnes immiſi, nymphas leſurus agreſtes,
Ut crucier, miſereque trahar moriturus in arvis?
Nunc tacet omne nemus, ſubeunt vineta cicadæ,
Omne pecus radios ceſſat, cantare volucres
Deſiſtunt, & colla boum diſiungit arator
Feſſus, & umbroſos quærit per rura receſſus.
Me miſerum male ſanus amor per devia ſolum
Diſtrahit, & longos cogit ſine mente labores
Ut ſubeam, victuſque ſequar veſtigia, nondum
Cognita Pampineæ, dixi ſequar inſcius, immo
Perſcruter, nec cura poteſt retinere peculi
Quin montes celſos, denſoſque per invia lucos
Diſcurram, triſtiſque ferar, referarque, ferarque,
Quo jubet ire furor proſpectans undique numquid
Venantum turmas videam, nubemque per arva
Surgere pulveream, ſeu capras vertice pulſas
Currere, & auritos lepores, ſi demere campus
Retia, ſi ſparſos æque revocare miniſtros
Atque canes ſpectem, ſed fruſtra lumina tendo,
Nuſquam Pampineam video, veſtigia nuſquam.
Pampineam o quoties nequidquam vocibus uſque
In cœlum totis clamavi vallibus imis.
Pampineam toties valles dixere ſonoræ.
O quoties deceptus ego, ſurgentia longe
Arbuſta aggeribus, zephyro concuſſa putavi.
Utque jubebat amor, redeuntem credidi, & ultro

Obvius in vacuum veni, ſic dirus amantes
Fecit amor pronos, ac omnia credere juſſit;
Silveſtres nymphæ, colui, quas ſæpe per umbras,
Dicite, cur homini reliquis animantibus alma
Indulgens natura minus; nam cetera poſſunt
Indulgere ſuo, nimium ſi fervet amori.
Stant ducibus pecudes, tauro dilecta juvenca.
Turtur in arboribus ſocium, ſociumque columba
Turribus inſequitur, paſtori grata voluptas
Tollitur, atque fugit miſeros quos pulchra puella
Traxerat in caſſes ſuaviis, & murmure dulci.
Quid, dulces, Satyri, faciam? Faunique potentes,
Quid faciam? quid pulchra juvant armēta? quid antra?
Quid nemora, aut valles? uror ſine mente ſub umbra.
Sole ſub ingenti triſtis tremor occupat artus.
Hinc amor infeſtat dubium, timor arguit illinc.
Ne vel dura ſilex ictu, vel bellua morſu
Læſerit incautam, vel feſſam ſæva viarum
Aſperitas, grandiſque labor fortaſſe moretur.
Vel quod fata vetent, non quis temerarius illam
Traxerit invitam, rapiatque per oſcula mentem.
Novimus inſidias, poſuit perſæpe cupido
Silvarum in latebris, & longa ſilentia ruris
Non ſine labe manent, quis nigras ire per umbras
Succinctam, & genibus nudam, ventoque ſolutis
Crinibus inſpiciet nympham, myrtique virentis
Conſpicuam ſerto, qui non rapiatur in ignes
Extemplo Veneris? rapiatque quod optat in uſum?
Dant aditus vires animis, & opaca viarum,
Præterea non Ægla fuit, non culta Neæra
Pulchrior, ac poſito modicum ſit fuſca, quis alter
Aptior eſt ſilvis color? his quoque Juppiter olim
Sæpius in lucis captus. ſic Phœbus, & Argus.
Sed nullus timor iſte mihi, nunc atria cœli
Cœlicolæ ſervant, dubium non ruffus Alexis,
Aut Corydon donis ſoliti hanc tentare viciſſim
Detineant, potuere Deas jam flectere dona.
Hei mihi cuncta meis obſunt venientia votis.

Exi-

Exitium ſtabulis lupus eſt, ſic meſſibus imber.
Frutetiſque novis grando, fœtiſque capellis
Eſt Boreas mihi ſævus amor, quo diſtrahor, uror,
Impellor, crucior, volvor, rapiorque, ferorque
Nec ſcio quid faciam? verum hæc ſententia cordis
Hanc animā exuere, & placidæ hæc dare mēbra quieti,
Hei mihi nonnumquam hos cornix expulſa labores
Dixerat a quercu, ſed mens hæc læva negavit.
O noſtrum predulce decus, qua parte vagaris
Hos inter montes? quæ te mea luſtra ferarum
Accinctam pharetra retinent: quas incolis umbras?
Quave jaces longo forſan nunc victa labore?
O utinam fortuna mihi tam grata fuiſſet,
Ut comes ire tibi poſſem; quis retia cervis
Ponere me melius; quis nam venabula porcis?
Quis canibus dare lora magis? quis flectere retro
Cornua dicteis olim laſſata ſagittis?
Et duros arcus validis curvare lacertis?
Ac telis agitare capros cognovit agreſtes?
Mnaſylus in ſilvis docuit me nempe remotis,
O mihi ſi tantum cupido Phœbeja faveret,
Ut minimos inter pueros, dum ſolis ab æſtu
Aufugis, unus ego poſſem numerarier umquam.
Putre ſolum lymphis premerem, juncoque paluſtri
Tum ſpecus, omne latus ſtruerem poſt gramina pomis.
Lacte novo. & veteris Bacchi, Cereriſque caniſtris
Ornarem juſſus, præſtarent inde mirycæ,
Seu myrtus, vel lenta ſalix in ceſpite lectum.
O tibi quot flores, violas quot, quotque rubentes
Narciſſos ferrem? quis flores non det amanti?
Inde graves animis didici depellere curas,
Fabelliſque novis, demum prohibere latratus
Voce canum, & culices facie removere flabello.
Hæc faceret Corydon? faceret vel ruffus Alexis?
Seu quem tu ſequeris Glaucus? quemque ipſa bubulcis
Præponis, campiſque tuis? cur ergo petenti
Surripis optatos vultus? cur dulcia differs
Oſcula? cur tantos fugiens fruſtraris amores?

Quæſivi perſæpe miſer qua parte Napeas,
Paſtoreſque pios ires, reſpondit Ophelces.
Pampineam Glaucus nuper deduxit in antrum,
Tu montes, & fuſca petis, nunc luſtra, Palæmon,
Heu miſer impulſus cecidi, ceſſique dolori
Et victus jaceo, ſcabroſæ vallis in imo.
Delia virgineum potuit ſi flectere pectus
Endymion, ſi ſæpe tuas celebravimus aras.
Sique tibi lentos fagis ſuſpendimus arcus,
In me flecte tuas iras, me confiſice telis.
Quid prodeſt placidum calamis ſuperaddere carmen?
Quid labor aſſiduus? quid ſaltus ire per altos?
Excepit ſegnis Glaucus, quem vepribus altis
Excivi ſtudio leporem, captoque potitur.
Aſt ego deluſus plorans effundo querelas
Has inter cautes, & ſaxa ruentia ripis
Exeſis, quas aura velox per inane reſolvit.
O veteres quercus, ilex annoſa, nemuſque
Perpetuum, voces miſeri Palemonis amaras
Suſcipite, & morte hos agiles mollite dolores.
En clauſere Dei, nymphæ clauſere procaces
Supplicibus votis aures, clauſere Semones.
Siqua igitur vobis pietas ſub cortice duro eſt
Irruite, & grandi miſero ſub pondere mortem
Ferte precor, ſi dulce fuit ſitientibus olim
Exoptaſſe leves pluvias ſervaſſe virentes
A pecorum morſu frondes, ramiſque bipennes
Obſtaſſe, hæc eſt ſola meos quæ poſſit amores,
Et male complexos quondam diſſolvere nexus.
Quid mihi vita magis? Glaucus bona noſtra moratur.
Is tenet, atque trahit, quid vitam triſtis in annos
Extendis lacrimans? negligis quid perfida tantum
Mors orata? veni, venias precor, impia noſtros
Exime quos nequeo juvenis jam ferre furores.
Advenies tandem? ſed tu quæ dulcia falce
Dum tibi ſolus eram ſignabas cortice fagi
Furta, meos deflens dum cogerer ire receſſus,
Amplexuque morans; ſummum jam munus amantis
Tol-

Tolle volens, facito juvenis ne tempora perdas.
En redeunt flores, redeunt & gramina pratis.
Tempora non redeunt, quæ dudum ſtulta Lycoris
In vacuum flevit moriens, ac obſita canis.
Nos morimur dum, dira jubes, pejora futuris
Linquentes credo, flebit mea Theſtylis, uſque
Vivet, & ornabit buſtum lacrimoſa corollis.
Tu flores, titulumque necis concede dolenti,
Si quondam placui, ſi te ferventer amavi.
Aſt mihi quod reſtat lucis, te conſequar, atque
Dum montes, ſilvaſque coles, & roſcida rura.
Ipſe colam montes, ſilvas, & roſcida rura,
Hæc ſecus umbroſas ripas quis defluit Arnus
Lenis ad Alpheos, proſtratus mente Palæmon
Deflebat lacrimans, aſt ocyor heſperus hædos
Egit, ut ad ſeptas traherem, caproſque Melampus.

FAUNUS. Ecloga Tertia.

Palæmon, Pamphilus, Moeris.

Pal. Pamphile tu patrio recubas hic lentus in antro,
Dum fremit omne nemus pulſum clamoribus ægræ
Theſtylis, & parvi vacuus nunc omnia pendis.
Cantharus attrita nimium puto lapſus ab anſa
Terruit hunc, i, ſiſte ſues, ne gramina campis
Evellant roſtris, & ſilvas mitte ſonantes.
Pal. Marcidus externo credis tibi forſan Jaccho,
Alloquar in ſomnum preſſo, auribus accipe voces,
Si patitur torpor, patitur ſi grata Lyciſca.
Pam. Pace precor noſtra ſedeas, ac iſta ſinamus,
Ignaroque aperi quæſo percepta, Palæmon.
Pal. Tempus erat placidum, paſtores ludus habebat.
Aut ſomnus lenis paſtæ ſub quercubus altis,
Ac patulis paſſim recubabant lacte petulcis
Ubera prebentes natis diſtenta capellæ.
Aſt ego ſerta mihi pulchro diſtinguere acantho
Quærebam, ſervanda tamen dum fiſtula gratos
No-

Noſtra ciet verſus Mopſo, cui tempora digna
Nectere conceſſum lauro, & vincire capillos.
Otia cum ſubito rupit vox improba mæſtæ
Theſtylis, o clamans, quæ te veſania cœpit?
Urſos quid ſequeris, montana per ardua Faune?
Non te cura tui retinet? non parva tuorum
Hædis mixta cohors, cornu ludentibus, arvis
Natorum? non matris amor? dic obſecro, neſcis
Qualis in hos rabies circumſtrepat atra luporum
Allobrogum? credis tantis obſtare periclis!
Femina ſum, poſſim paucis ſociata moloſſis?
Pam. Semper in adverſos ſaltus, fractaſque ruinas
Ire cupit Faunus, monſtra, atque minantia mortem
Quærere; quid tandem? tenuit vox ire volentem?
Pal. Hoc ego quærebam veniens, ſed Mœris ut opto
Ecce venit tardus, baculoque innixus adunco
Neſcio quid ſecum meditans: ſalveris amice,
En optate venis, quis noſtris obſecro nuper
Rumor ineſt ſilvis, noſtin quæ Theſtylis iræ?
Moe. Quid petis? eſt uſquam crebras qui neſciat iras
Theſtylis, & Fauni? nequeunt ſubſiſtere quercus,
Depereunt feſſæ frondes clamoribus, & tu
Si canet Philomela petis, ſi ruminet hircus.
Pam. Sæpius has quondam memini riſiſſe querelas.
Sed tu, Mœri, decus noſtrum modo pone galerum,
Et baculum, mecumque ſede, lucemque ſeveram
Hanc fugito, nullæ veniunt de montibus umbræ.
Alta crepidinibus terræ petiere lacerti.
Hic nemus, & gelidi fontes, & mollia prata.
Hic hedera viridi tectum, pictumque corymbis
Antrum, quo magnus quondam requievit Amyntas.
Et pariter calamis una cantabimus omnes.
Moe. His ego cantabo ſilvis? nemus omne cicadis
Dedecus in noſtrum, milvis, corviſque relictum eſt.
Pam. Quid tandem? corvos obſervent mente ſubulci.
Nos equidem nobis, Mopſo, Muſiſque canamus.
Et placidum gremio ſervabunt ſidera carmen.
Pal. Cura gregis parvi, quem forſan mergere lymphis.
Dum

Dum calor arva tenet, cupit, hoc nunc carmine Muſis,
Et nobis placuiſſe vetat, ſine quæſo reviſat
Delirus Cydipem, tenueſque recenſeat hædos.
Moe. Eſt Cydipes nobis, niveos quæ contrahit agnos
In fontem, cythiſumque paret, vacciſque ſalicta;
Et ſurgent celsæ ſalso de gurgite pinus
Ante quidem, & blandæ venient ad ovilia tigres,
Atque leo cervas fugiet, lupus atque capellas,
Quam mihi non animo Muſis ſervire; ſed ecce
Si tibi tantus amor ſilvarum noſſe tumultum,
Expediam paucis, poſtquam conſedimus antro.
Neſcio ſi montes unquam, nemoroſaque plana
Noſtis, quæ gemino reſident contermina ponto
Auſoniis, magno quondam disjuncta Peloro.
His Argus paſtor merito cantandus ubique
Vivus erat campis, flavos hunc mille per arva
Audivi ſervare greges, nec plenius uſquam
Et ſoles, imbreſque graves, frondeſque ſalubres
Et pecori, fœtuque novo, ſeu flumina quiſquam
Cognovit, tantuſque fuit dum carmine valles
Tangeret, ut noſter Nyſæ cui ſumma dicamus
Amphryſus paſtor, vix quiret tendere ſecum
Vocibus, aut calamis, vel nervis, horrida tandem
Parca virum rapuit, meritiſque recondidit aſtris.
Fleverunt montes Argum, flevere dolentes
Et Satyri, Faunique leves, & flevit Apollo.
Aſt moriens ſilvas juveni commiſit Alexo,
Qui cautus modicum, dum armenta per arva trahebat,
In gravidam tum forte lupam, rabieque tremendam
Incidit impavidus, nullo cum lumine luſtrum
Ingrediens, cujus ſurgens ſæviſſima guttur
Dentibus invaſit, potuit neque ab inde revelli,
Donec & occulto ſpiraſſet tramite vita.
Hoc fertur. plerique volunt quod ſilva leones
Nutriat hæc, diraſque feras, quibus ipſe ſeverus
Occurrens, venans mortem ſuſcepit Adonis.
Si nunc cuncta velim, quæ tunc geſſere propinqui
Paſtores narrare, dies non lucis ab ortu,

Uſque

Uſque domum ſaturæ redeunt cum nocte capellæ,
Sufficeret ſpatio, ſed poſtquam Tityrus iſta
Cognovit de rupe cava, quæ terminat Iſtrum,
Flevit, & innumeros ſecum de vallibus altis
Danubii vocitare canes, duroſque bubulcos
Infrendens cœpit, linquenſque armenta; ſuoſque
Saltus, infandam tendit diſcerpere ſilvam,
Atque lupam captare petit, flavoſque leones,
Ut pœnas tribuat meritis, nam frater Alexis
Tityrus iſte fuit, nunquid vidiſſe furentem
Stat menti, ferro nuper venabula acuto
Geſtantem manibus, multos & retia poſt hunc
Portantes humeris, ira rabieque frementes,
Hac olim tranſire via, ſilvamque per omnem?
Pal. Calchidicos, Iſtroſque refers, quid quæſo tenenti
Eridanum ſecus arva queunt inferre laboris?
Moe. Ecce tene, multi per devia Tityron iſtum
Ex noſtris, canibus ſumptis, teliſque ſequuntur.
Inter quos Faunus, quem triſtis & anxia fletu
Theſtylis incaſſum revocat, clamoribus omnem
Concutiens ſilvam, tendit tamen ille neglectis
Fletibus atque ſuis, pulvis patet aſpice colles.
Pam. Semper in adverſum fertur male ſanus, & egre
Fert Faunus requiem, veniet ni ſibilus Auſtri.
Nunc aures fallit tempus, quo Theſtilis ibit
Heſperi in amplexus, dabitur nec poſſe volenti
Siſtere, ſed redeat cupio melioribus aſtris.
Pal. Quis queat ardores juvenum compeſcere frenis?
Apta quies ſenibus, ſedeant in limine matres.
Naritius nullas potuit præponere laudes
Quæſitis peregre; tibi ſi mens antra nemuſque
Eſt ſervare, precor, cum ſim poſt ire paratus,
Paſce greges noſtros, & donec forte revertar
In ſilvas, ne meam Chryſidem tu ſolus habeto.
Pam. I felix, factumque putes, rediturus, amice.

DO-

DORUS. Ecloga Tertia.

Montanus, Dorus, Phytias.

Mon. Quo te Dore rapis? nemorumne per herbida capros
Scrutaris? ſeu forte boves? conſiſte parumper.
Nondum tecta quidem fumant, non Heſperus ardet,
Do. Da veniam, Montane, precor, fugiamque jubeto.
Quod petis hoc prohibet caſus, nam cuncta paveſco.
Mo. Dives abis, ſi cuncta times, requieſcere mecum
Hic feſſus poteras, nam ſi non tecta liguſtris
Antra mihi videas, eſt nobis ignis, & umbra.
Et quamquam ſteriles agri ſint, proxima capris
Paſcua non deſunt, eſt grandis copia lactis,
Et veteris Bacchi nobis, & farris acervus.
Nec tibi quis Tuſcus præſtabit tutius antrum.
Do. Ah miſerum rides; neſcis quibus ipſa reſervet
Te fortuna dolis, paſtorum paſcua quippe,
Nec bona nunc quæro, magnum mihi tuta latebra,
Ph. Si potius nil, Dore, petis, quid ſumere differs
Oblatum? ſpectare potes de vertice campos
Alpheos, Tuſcoſque greges, Alpeſque remotas,
Et Ligurum ſaltus, Rhodanum, rubroſque galeros
Metiri, ac ægram mentem revocare quiete.
Montani laudanda fides, i, ſume, quid obſtat?
Do. Si laudas faciam, ſperabam poſſe timores
Ponere qua placido Florentia defluit Arno.
Nam priſcam tu ſæpe fidem cantare ſolebas
Florigenum, dum læta fuit fortuna meorum.
Ph. Sic fateor Damas nemorum vidiſſe, luporum
Rebus in adverſis animos ſumpſiſſe; labantem
Proſtravi mentem, & timeo quoſcumque receſſus.
Mon. Sic eſt, intremus poſtquam ſucceſſimus antro,
Tu dic, care puer, nobis, quibus anxius ultro
Sic fugias, medioque cibos Galatea parabit.
Do. O tibi ſi memorem quantis inimica fatiget
Me fortuna malis, non ſi per paſcua tigres.

Immanes videas, fetas agitare juvencas,
In jugulumve rapi tauros, cœloque maligno
Omne pecus captum, triſtique putreſcere tabo.
Sic immite feres, utinam modo fata dediſſent,
Immemor ipſe forem, nam dum mecum acta revolvo,
Vix lacrimas cohibere queo, vix aſpera verba.
Mon. Quin tu pande, precor, magnos audire labores
Non ſumus inſoliti, grandiſque invictaque cordi
Mens ſedet, & nulli cedit mihi crede labori.
Dor. Quæ Volſci coluere prius, campanaque rura
Lucanos ſaltus, Samnitum paſcua, rupes
Et montes Brutios, Calabrumque aſpreta, leveſque
Jam Dauni campos, peligno, & flumina grata.
Olim Argus tenuit, princeps his omnibus unus.
Argus paſtor erat, cui fas complectere cuncta
Viribus, ac oculis, calamis & flectere quercus.
Hic abiit, cœloque ſenex ſe condidit alto,
Defletus modicum, verum præſagia vatum
Prædixere quidem: lacrimas, quas demitis Argo,
Inferias poſcet poſt hunc miſerandus Alexis,
Qui gregibus nimium durus, ſilviſque moleſtus
Imperitans abiit, crudeli funere pulſus.
Munere poſt Phytiæ pulchra eſt mihi juncta Lycoris,
Et ſub me ſeptas Argi tenuere nepotes.
Quas inter, claroſque lacus, pecoroſaque Tempe
Chalcidici veteres ſilvam poſuere coloni
A Cumis, qua nulla prior dum floruit, in qua
Dum nos jurgantes pueros agitaret Erinnys.
Ecce celer quondam patriis Polyphemus ab arvis
Progenitus noſtris, & noſtro ſanguine ripis
Altus in extremis Iſtri, puto lacte ferino.
Quo jaculo incertum, certo mutilatus ab ictu
Parte ſui, juſta rabie ſucenſus, & ira
Irruit ut torrens, qui hybernis imbribus auctus
Monte cadit celſo, & rumoribus omnia complens;
Hæc arbuſta rapit, quatit hæc, ruit atque ſuperbum,
In rupes, & ſaxa trahens ingentia volvit.
Nec ſævo laceraſſe prius ſub vindice fontes,
Nec

Nec poſt innocui Paphi fœdaſſe cruore
Sidereos vultus, truncum & jeciſſe cadaver.
Aut vinclis, gratos nymphis, oneraſſe puellos,
Immitis potuere gravem minuiſſe furorem.
Exuit infauſtos ungues truculentior angue,
Frendens, & pomis, foliis, & cortice nudat
Fruteta, & vitreos perturbans ſanguine fontes,
Dentibus infringens ramos pictaſque volucres
Murmure diſperdens, clauſtriſque repagula frangens.
Omne pecus mungit, decerpit, vellera tondet.
Abſorbet natos, miſeras eviſcerat agnas.
Si pejora nequit, reſcindit cornua tauris.
Vix Cereri ſacras quercus, vix antra Lycæo,
Intacta eſt paſſus, Satyros, nymphaſque vetuſtas,
Et Faunos lucis pepulit, ſic aſtra ferebant.
Mon. Sic magnis priſci finem dare triſtia rebus
Jurgia cantabant nobis quandoque bubulci.
Ph. Quid lacrimis, Montane, mades? ubi pectus herile?
Mon. O Phytia, fateor, quis nam ſibi ponere leges
Sic potuit, pro ut ipſe facis? ſum carneus hercle.
Hæc hodie dum falce Lycas virgulta ſecaret,
Intento gregibus Corydon narrabat Amyntæ,
Et ſi nulla fides illis, ſum flere coactus.
Quid veris faciam? Dorus ſed cœpta ſequatur:
Et me linque meis lacrimis, ſatiabitur iſtis,
Heu pietas, & certa fides, quibus angor, amicus.
Do. Dum ruit omne decus nemorum, nunc ordine nullo
Paſtores, pariterque greges armentaque paſſim
Diffugiunt, timidique ruunt, loca namque miniſtrat
Ipſe pavor, petit hic colles, petit ille cavernas,
Luſtraque ſilvarum, plures ſe jungere monſtro
Sunt auſi, & præſtare fidem, quibus ipſa Deum vis
Siqua eſt, ut fertur, ſtatuet pro munere munus.
Obſcenas ſævi pregnans, vix ſqualida Nays
Evaſit tremebunda manus, onerata gemella
Prole, per umbroſam noctem magalia tentans
Paſſibus incertis, lacrimæ non ſponte tepentes,
Quas tu, Montani, Phytia, ſic ante monebas,

Adveniunt, nec plura quidem jam dicere poſſum:
Mon. Nec mirum, ſed dura animũ, mi Dore, precamur.
Nec taceas reliquum: juvit narraſſe labores.
Ph. Quis neget optatum juveni? mos nempe gerendus
Montano, dic, Dore, precor, nunc cura peculi
Nulla tibi, trahimuſque moras in vertice tuto.
Mon. Quid Paphus quæſo, cui centum brachia, centum
Fama refert oculos, cui tanta licentia fandi
In Superos, hominesque fiat? non cuſpide lata
Occurrit monſtro? quid tunc furibundus Aſylas?
Quid pecudum cuſtos Phorbas? quid Damon amicus?
Quid tu? quid Phytias? quid Pamphilus atq; Molorcus?
Ac alii tecum tangentes alta boatu
Sidera, jactantes vario ſermone paleſtras,
Atque pedum curſus, ceſtus, & fortia facta?
Dor Jam ſatis oſtenſum, Phytias in littore ſolus
Invictus manſit, qui nunc peregrina per arva
Me profugum ſequitur; ſtabat mens currere contra
Ingens, & lectas pharetra de more ſagittas
Abſtuleram, nervuſque levem jam flexerat arcum.
Sed tenuit non ſana fides, numeruſque meorum
Tunc nullus, Phytiaſque boans: quo tendere fruſtra,
Stulte puer, tentas; nequidquam flectere fata
Nitimur, hoc cœlo placuit, ſic Juppiter æquus
Viderat, & penſis dederat ſua jura futuris.
Hinc natale ſolum, ſilvas, armenta, domoſque
Liquimus, ac tenui lembo diffugimus ambo
Infandam monſtri rabiem, nec defuit uſquam
Dux fidus, placideque tulit quoſcumque labores.
Nos turbo fluctuſque maris, Thelamonis ad horas
Impulit, inde tuos errantes venimus agros.
Mon. Ut veſtros doleo caſus, ſit ſilva perennis
Hæc nobis, parvumque pecus, quod ſit tibi curæ
Sumito; tu ducas; ſed ſi mihi nuntia veri
Ilice ab excelſa cornix fuit, ecce parantur
Multa tibi graviora ſatis, redituſque propinquus,
Spes te ſæpe trahet ſterilis; quidquid modo perdis,
Vinces cunctando, ſed non tibi Delphica laurus
Ser-

Sertum læta dabit, donec tu manibus unum
Falce caput tribues pro cunctis; nos quoque diras
Si tibi, Dore, placet faciles tranſire querelas
Mittamus, Bacchoque ſacrum celebremus honorem.
En Galatea vocat, redeunt cum matribus agni,
Et nox cærulea jam terras denigrat umbra.

SILVA CADENS. Ecloga Quinta.

Caliopus, Pamphilus.

Cal. Pamphile, tu placidos tecum meditaris amores
Galcidiæ, viridi recubans in gramine ſolus;
Ipſa dolens, deflet miſeras quas neſcio ſilvas.
Pam. Unde precor noſti? ſis mecum, Phœbus in altum
Tollit equos, proſunt umbræ mihi crede capellis.
Cal. Sicelidum ſaltus, & florida rura Pelori
Forte pererrabam, vox venit triſtis ad aures.
Attonitus tum ſirmo gradum, proſpecto frequenter
Si videam flentem, video, quid lilia falce
Secta loquar, floreſque malo jam ſole reflexos
Ceſpite? ſic nudo lacrimis oppleta jacebat
Illa ſuis, queſtuſque graves ex ore trahebat.
Pam. Heu mihi quid vivo, jam tactæ fulmine pinus,
Et pecudes proſtraſſe canes, noctiſque per umbram
Ex ſeptis ululare lupos, audiſſe nefandum
Prodigium dederant; ſed dic quas obſecro voces
Illa dabat deflens, tua præſto ſtat tibi merces.
Cal. Quas ego concepi referam, tu dulcis Amynta
Nunc oculos gregibus præſtes, ſerveſque precamur.
Ne ſi damna ſatisfaciant fortaſſe capellæ,
Hirſutus Corylus Bavio mictente laceſſet
Hircos, interea, morſu vel terreat agnos.
Pam. Ne dubites ſaxis ſiſtet, baculoque juvabit.
Cal. Illa diu poſtquam Faunos, nymphaſque vocavit
Incaſſum, pectuſque manu pulſavit, & ora
Vocibus aſſiduis Sirenæ in littore fractis
Parthenopis reſidens, miſere ſingultibus inquit.

Non fuit Auſonicis campis me judice ſilva hac
Lætior, aut major, nulla atque capacior ævi.
Hæc fagis cœlum tangebat, & ilice multa
Quercubus inſignis, viridi ſpectandaque lauro;
Ac cedro crebra, funeſtâ & pulchra cupreſſu,
Non adeo quondam formoſa Libyſtidos urſis.
Horrida cui ceſſit, magnorum Erycinia nutrix,
Silveſtrumque boum gelido ſub cardine cœli,
Idaque judicio Paridis memoranda puellis,
Bebritiumve nemus ceſſit, ceſſitque Erymanthum:
Floribus hæc ramos, & prata virentia ſemper
Pingebat croceis, roſeiſque, & mille colorum,
Colchida dum primum ſiccaret vellera Phœbus.
Quid referam claros leni per gramina curſu
Serpentes, rivos, fonteſque, lacuſque recentes,
Antraque perpetuis non arte recondita tophis?
Hac pictæ nidos cunctæ fecere volucres,
Pſittacus exuſtis uſque huc acceſſit ab arvis
Captus amore ſoli, ſic & pulcherrima fœnix.
Nec fuit Italiæ quæ ferret ſilva leones
Hanc præter, mites tulit hæc, iraque verendos.
Ut taceam lepores, cervos, & dente minaces
Apros, & capreas, & grandes viribus urſos.
Hæc niveas habuit pecudes, quibus inclita tantum
Vellera præſtabant reliquis, quantum aurea poma
Glandibus, aut ſorbis, referat quis grandia quantum
Dudum armenta boum pavitque, & texerit umbra?
Quantum lactis eis fuerit, quæ copia prolis,
Paſcua dum magnus ſervabat Tityrus olim?
Heu mihi cognovit Cyclops, aſt Tityrus ille eſt
Qui primus pecori leges, nemorique ſalubres
Carmine cantavit, quarum nec clarior uſquam
Copia dicta fuit legum, nec priſca tulere
Sæcula majores, auro dum floruit ætas
Sanguine, ſi veri quidquam primæva vetuſtas
Inſculptum liquit fagis, vel robore duro.
Me miſeram memini lætas quibus ipſa choreis
Saltantes vidi Satyros, facileſque Napæas

Floribus ornatas, & ſertis fronde revinctis
Eſculea, & gratos ſilvis expromere verſus,
Nunc ſtipulis auctos, fidibus nunc arte canoris.
Sed quid tot refero? complectar ut omnia paucis.
Quantum cana ſalix alno, quantumque myricæ
Quercubus, & celſis cedunt vepreta cupreſſis,
Hunc omnis tantum cedebat ſilva, nemuſque
Pro ſuperum virtus, quantũ hæc modo tempora diſtant
A priſcis, quantumve malis dat Juppiter aſtris
Arbitrii; fortuna quidem quos ante fovebat
Læta nimis, pavidos ſecum revoluta fatigat.
Plangite Silvani veteres. heu plangite mecum
Delapſæ quercus, grandes cecidere cupreſſus.
Eſculus exarſit ſubmiſſis undique flammis.
Pinus nulla ſedet, virides albeſcere lauros
Heu video, & bicolor paſſim jacet undique myrtus.
Aret & omne ſolum pallens, arbuſtaque nuda
Frondibus in nihilum tendunt abiere volucres
Antraque paſtorum video dejecta, receſſus
Incultos, muſcoque putri palleſcere fontes.
Et nitidos rivos turpi ſordeſcere limo
Ac circum ripas, calamos creviſſe paluſtres.
Quod meritum? quod triſte nefas? quod crimen avitũ,
Vel fortaſſe tuum potuit cœleſtibus iras
Injeciſſe tua cum clade? miſerrima quis tam
Quis tam dira Deus permiſit lapſa? quis Orco
Eduxit peſtes in te? quis quæſo labores
Excudiſſe tuos potuit, triſteſque ruinas?
O ruber hortorum cuſtos, cui pulcher acanthus
Aggere ſurgebat viridi, canumque liguſtrum.
Et quem puniceo quondam cum flore roſeta.
Et molles violæ ſtabant, & lilia circum
Hyblæuſque thymus, nigra & vaccinia tecum
Creſcere ſunt ſolita. an cernis quam creverit uncus
Carduus, & vacuus ſurgat paliurus in hortis?
Vulvaque vel ſaturis onagris ſuſpecta cicuta?
Ah Faunum, pietas fertis, Dryadeſve ſorores.
Quis ſtipula toties frondes, virgultaque movi.

Hoc ſpectare nefas? video ſine vitibus ulmos;
Vix hederæ vivunt, ſolitos flaveſcere campos.
En vacuis plenos, proſpecto horreſcere avenis.
Piſcoſique lacus, pontus, fluviique quieſcunt.
Cortex nullus ineſt, reſonant nec littora tonſis,
Et paſſim video ſparſas, heu vaſta per arva
Infectas tabo pecudes, morbiſque capellas.
Paſtoreſque graves, per ſordida luſtra ferarum
Diſperſos, turpique fuga nemus omne relictum eſt.
Alceſtus trepidans abiit, tremebunda Lycoris,
In dubium liquit ſilvas evecta per altum.
Omne decus periit, luctuſque laborque ſuperſunt.
Plangite Sylvani veteres, heu plangite mecum.
Silva decus noſtrum periit, pereamus & ipſi.
Hæc ubi dicta dedit, manibus lacerare capillos
Implicitos vidi, tandem quaſi victa reſedit.
Pam Heu miſer, heu video, quæ ſit ſibi cauſa doloris,
Indignum facinus lacrimis revocare putabat,
Præviſum dudum ſuperis, & penſa ſororum.
Errat ſtulta nimis, cœlo parere neceſſe eſt.
Sed tu dum fleret, nullis ſolatia verbis
Perdita tentaſti placidis reparare querentis?
Cal Non equidem ne forte malus Polyphemus adeſſet
Indignans, celeri ſed te per paſcua paſſu
Quæſivi, tu verba dabis, tu nubila purga
Pam. Quid tibi mercedis ſtatuam? quæ dona labori?
De grege nil poſſum, calamos accepit Opheltes.
Sunt mihi creſcentes catuli, quos ſæva Lyciſca
Lacte domi nutrit, ſummas quem duxeris ipſe.
Cal. Dum grandes faciam, ſed tu modo quære gementem
Dilectamque tibi, pecudes mulſurus abibo.

ALCESTUS. Ecloga Sexta.

Amynta, Melibœus.

Amyn. Paſtores tranſiſſe nives, & frigora læti,
Sub divo veteres ſtipula modulantur amores.
Eſcu-

Eſculeas hedera nectunt de more corollas,
Crateras Bromio ſtatuunt, & vina ſalutant
Cantibus, & multo protendunt carmine ſacrum.
Tu, Melibœe, quidem plangoribus omnia ſolus
Contundis, quæ tanta tibi nunc cauſa doloris?
Mel. Silva vetus cecidit, lapſa eſt, cui præfuit Argus
Cuſtodes abiere gregum, periere ſequaces.
Noſtris an vivat nobis Alceſtus in oris
Incertum, & clauſas diſiecit bellua ſeptas.
Am. Parcendum lacrimis, nam trux Polyphemus abivit,
Alceſtus rediit nobis, rediere vagantes
Paſtores, oviumque greges rediere priores;
Lætitiaque virent ſilvæ, valleſque reſultant.
Omnis ager pubet, redeunt ſua ſidera pratis,
Frondes arbuſtis, hædis quoque cornua ſurgunt;
Cornupetant campis lunata fronte juvenci.
Maſſicus, & Gaurus florent, pulcherque Veſevus
Innovat arbuſtis vites, ſtauratque Falernus
Ulmis jam colles, ſtringit Vulturnus & undas.
Surge ideo, lætumque diem pſallentibus auge.
Mel. Lenta fides magnis ſemper præſtatur, Amynta,
Nec facile annoſum falſis riſiſſe ſubulcum eſt.
Pan Deus a ſilvis oculos avertit, & omne
Sævit in Alceſtum dira vertigine cœlum.
Quis daret heu celeres pennas, quis quæſo volatum?
Quiſve iras ſuperum poſſet placare repente?
I lætis te dede precor, ſertiſque corona;
Meque meis lacrimis ſinito, miſeriſque querelis.
Amyn. Si Corinna meo ſedeat, Melibœe, ſub antro,
Vera loquor, vidi Circæum vertice flammis
Fulgentem in reditu, ſic & Garganus, & ingens
Apenninus heri, fumabant culmine ſummo
Lætitia, & multis quod forſan credere durum,
Ætna quidem plauſu fumos convertit in ignes.
Et ſi nulla fides dictis, hunc ſuſpice collem,
Quam vireat, ſqualentem olim pallore, quid ultra?
His oculis juro, calcantem littora vidi
Euboica, & matrem amplexu, pulchraſque ſorores

Suſcepiſſe pio, lætis ac oſcula dantem.
Mel Quid verbis opus eſt multis, mi dulcis Amynta?
Floribus ut Tytan nocturno frigore lapſis,
Dictamus capreis, pecorique Favonius ægro,
Utque ſalus arvis æſtu ſitientibus imber,
Sic cordi tua dicta meo; te ſumme precamur,
Phœbe pater, te, læta Pales, da cœpta ſecundent,
Non ſilvis umquam, numquam paſtoribus uſquam
Illuxit tam grata dies, tu ceſpite vivo
Erige propter aquas nobis altaria, Phorba,
Et lauro, & ſ rtis hederæ, myrtoque corona.
Inde & Idumæas fer palmas, poſtque bidentes
In ſacrum niveas deduc, ac omnia ſerva.
Tu mœſtas pecudes herbis, & fonte Lycophron,
Et calamis refove: noſti quam turpis Orion
Læſerit has dudum lacrimis dum tempora flerem.
Noſque diem celebrem cantu deducere Amynta,
Et delubra Deum feſtis ambire choreis
Credo decet; viridis foliis ornatus olivæ,
Tu primus ſacrum gracili perflabis avena.
Aſt ego populea redimitus fronde ſecundus
Carmina cantabo, ſtipulis, & carmine docti
Ambo ſumus, nobis nemo nunc prævalet agris
In Siculis, ni forte gravis certaret Jolas.
Hic alios ſuperat, quantum vepreta cupreſſi.
Am. Ergo alacres dignum calamis, & carmine feſtum
Cantemus, tu primus eris, tu carmine major.
Eſculeo dudum deſcriptos cortice raſtro,
Phyllidis incipies, vel quos mage duxeris ignes,
Seu magis Alceſti laudes, non dignior ullus.
Seu magnos Phytias quos pertulit ante labores,
Qui meruit verſus, qua Stilbon flabat avena.
Mel. Phyllis in agreſti ſe jactet ceſpite ludens.
Expectet Phytias, cui credo magna paratur
Poſteritas ſi vera ſonat Deus æthere lævo.
Nos tamen Alceſto dignas per ſæcula voces
Ut dabitur cantare decet, cantabimus ambo
Libetrides noſtrum tollant ad ſidera carmen.

Am.

Am. Ecce puer placida pariter reſidemus in umbra.
Et ſuperis gratos mittunt altaria fumos.
Ruminat omne pecus, pueri, campique quieſcunt.
Quid trahis in longum conceptos jam tibi verſus?
Mel. Alceſtum poſtquam ſilvis abſtraxit amatis
Fatorum prædura lues, flevere dolentes
Parthenopes nymphæ, nec vidit Daunia ſulcos,
Vitibus obſtupuit Bacchus, periere juvencæ,
Vulturnuſque ſenex, ingentia ſaxa revolvens,
Exceſſit ripas, luteus dimiſſus ab urna;
Montibus obtectum nebulis, fumoque cacumen
Vidimus, & valles ululatu flere dolenti.
Tunc quos clara dedit tellus, rugire leones
Non auſos, laqueoſque graves ſentire coactos
Venantum primo, lyncis quoque lumen ademptum.
Ah quantum potuit de te fortuna, quibuſque
Caſibus in dubios te traxit ſæva meatus.
Aſt ego, Phœbe, decus cœli, poſuiſſe labori
Alceſti finem, & patriis poſt reddere ſilvis
Dignatus, meritos nymphæ tibi ſemper honores
Carmine perpetuo reſonent, precor, atque bubulci.
Am. Non thymus eſt apibus, non agnis lenis hibiſcus,
Non cythiſus capris, quantum tua carmina nobis.
Nunc ego reſtituam ſilvis, ſilviſque tenebo.
Plaudite jam colles, & vos jam plaudite montes,
Redditus eſt noſtris Alceſtus, redditus antris.
Littora jam plauſu ſurgant, & flumina certent,
Nunc plauſu complere polos; hic ſpernere terras
Occiduas, ſoliſque vias, cœlumque ſerenum
Cernere, & obliquos Phœbes mirarier orbes
Cœpit, & Aſtream ſilvis revocavit abactam,
Hac tauros curru junget, cerviſque leones,
Armentiſque lupos, ſerpentum ſibila ſulcis
Auferet, & meritos Muſis concedet honores.
Plaudite jam colles, & vos jam plaudite montes,
Redditus eſt noſtris Alceſtus, redditus antris.
Dum mare fluctivagos piſces, telluſque tenebit
Quadrupedes, aër volucres, & ſidera olympus,

Alceſtus ſilvis, paſtoribus, atque puellis
Sit lumen, ſemperque decus, nec limina Ditis
Conſpiciat moriens, ſuperis ſit Delphicus alter.
Plaudite jam colles, & vos jam plaudite montes.
Redditus eſt noſtris Alceſtus, redditus antris.
Nos agnam maƈtare decet, nos cernat ovantes
Alceſtus, taurumque ſibi dum tempora victor
Umbrabit lauro, veniat lux illa precamur.
Et ſuris vinƈtis ſaltabimus inde coturno,
Elicietque ſonos ſtipulis Tyrrhenus Aſylas,
Abſtabunt coram Damon Phytiaſque canentes.
Plaudite jam colles, & vos jam plaudite montes,
Redditus eſt noſtris Alceſtus redditus antris.
Vix, Alceſte, decus noſtrum, vix credere famæ
Poſt nos ruricolæ poterunt, ſed cortice duro
Poſteritas tua facta leget, te populus ingens,
Te Corylus ſculptum, ſervabit te quoque fagus.
Dum fluet Eridanus, dum montes vallibus umbras
Præſtabunt, dum grata ſalix, dum gratus hibiſcus
Naſcetur capris. creſcent ea nomina, quantum
Ipſa quidem fagus creſcet; mirabitur Arnus,
Atque colet gratis linquens tua facta futuris.
Plaudite jam colles, & vos jam plaudite montes,
Redditus eſt noſtris Alceſtus, redditus antris.
Mel. Munera quis ſtatuet pro tanto carmine digna?
Dulce viris quantum ruſco præfertur amomum,
Atque rubis myrtus, laurus vel dignior alga,
Tantum ego tu ſuperes dicam cantando Menalcam.
Et calamis, o quantus eris. ſi præſtet Jolas
Te ſtipula perflare ſua, tunc ſaxa movebis.
Eſt mihi conſpicuum ſignis, quod condidit olim
Ilas Spartanus, quamvis duo vaſa fuiſſent,
Dum placido nobis victus conceſſit amore,
Horum aliud nuper rapuit gratiſſima Phyllis.
Tu reliquum (quamquam tanto ſit munus agreſte)
Suſcipe, ſed noſcas nulli tetigiſſe labellum.
Am. Sat video te cogat amor, dum munera tanti
Concedis puero, non parva teneret Jolas.
Tu

Tu ne ſperne precor baculum, quem Cyprius olim
Dum juvenis Phrigias agitaret arundine damas,
Conceſſit Lycidas ſumptum de rupe Scamandri
Nodis inſignem, nec non & cuſpide fulva.
Sed ſta, chare, precor, modicumque adverte quod oro.
Perſonuit ſilvis Echo? non oro latratus
Concipis ipſe canum? grandis non ille Melampus?
Non gregis, heu cuſtos latrat? Non illa Lyciſca?
Eſt equidem, noſco, timeo ne ſævus ovili
Nunc lupus inſultet, ſeu bellua ſævior, ibo
Ut videam, & manibus tollam, ne lædat hiulcus,
Tu venias quæſo, ſi te fortaſſe ciebo.

JURGIUM. Ecloga Septima.

Daphnis, Florida.

Daph. Florida, quid ſtertens, commiſſum linquis ovile?
Non ſatius fuerat dixiſſes: ſervet amicus,
Hoc ſaltem Daphnis recubas dum victa Lyæo.
Flor. Tu ſervare gregem noſti, fur peſſime Daphni?
Cum veteres flectas fagos immerſus Jaccho.
Daph. Non ego quod vidi nuper dum ſepta Phaſelis
Crinibus exires ſparſis, & veſte ſoluta?
Clam dicam, te triſtis amet ſine mente Lupiſcus?
Flor. Vir gregis impulsus rabie mihi fugerat illuc.
An tibi liquiſſem, quem ſævo vulnere capros,
Alphei in medio nemoris, fœtaſque capellas
Carpentem vidi, quamquam plangore Phaſelis
Poſceret in vacuum, tu per dumeta trahebas
Infeſtus, curva præraptas falce bidentes?
Daph. Nonne ego quo libuit poteram deducere noſtras?
Flor. Portaſti tecum credo, quid, peſſime, noſtras?
Circius aut miſit, ſeu forte Ericinia mater.
Quid fuit Alpheis tecum? vetus extat origo,
His quidem ab Hellaida, tibi triſtis & aſpera patrem
Barbaries inculta dedit, quid, peſſime, noſtras?
Daph. Quid Galatea precor faciet, cum talia luſca

Au-

Audet, & infando deturpat gutture Daphnim?
Bellua, me nemorum nuper, pecoriſque magiſtrum
Silvicolæ fecere ſenes, omniſque poteſtas
Arbitrio commiſſa meo eſt, quos Indus inundat,
Quoſve Pyreneus collis, ſeu cœlifer Atlas,
Quoſque tenet Rhodopes ſilvis, aut abluit Hebrus,
Quoſve niger Garamas ferventibus urget arenis
Arceo paſtores, & tu male ſana ſuperbis?
Flor. Et quos jam cœlo dederat decepta vetuſtas,
Merſerat aut Orco, pariter dixiſſe decebat.
Cum tibi ſit parvus nemorum vix angulus unus.
Jure cui poſſis fragiles injungere leges.
Indos Moſa ſeçat, Getulos abluit Albis,
Atque tuas Tybris, Rhenus nunc ſulcat arenas,
I decus Arctoum, Theutonos lude bilingues,
Nos titulos vacuos, & lentos novimus arcus.
Daph. Quid titulos? non orba vides, quibus ipſe moloſſis
Progredior ſeptus? lauros Galatea reſervet,
Ornet, & ut pexos nobis aliquando capillos,
Flectere ſerta manu cœpit, tunc anxia dices:
Nos titulos vacuos, & lentos novimus arcus.
Flor. O miſerum tibi ſerta comis Galatea virentis
Imponet lauri? tædas extinguere flammas
Tunc dicam, referetque diem tunc heſperus, & ſol
Inducet veniens umbras: qui primus honores
Hos tulit in ſilvis, poterit depoſcere taxos.
Et lauri triſtes porcis exponere frondes
Si te geſtantem videat; mihi numina præſtent,
Ante diem moriar, Latiam quam cernere Daphnem,
Sauromatæ poſſim, crineſque caputque prementem.
Daph. Quid tantum, delira, tumes, quod juſſit Apollo
Tu renuis? melius fuerat componere lites,
Et quos jamdudum noſtris antiquior ætas
Exibuit ſertis flores, tu candida lætos
Præſtares, ut ſacra tuis Jovis ales ab alto
Invigilet gregibus, removens vulpeſque lupoſque.
Flor. Hac ego te ſemper cognovi retia cervis,
Aut capreis laqueos, mediis in vallibus arte

Ten-

Tendere, cum jaculo valeas nil optime, Daphni,
Blandiris, cæcumque putas includere clauſtris.
Noſceris; erraſti, nec tu quibus inſcia quondam
Omne nemus, ſeptaſque dedi, tauroſque, caproſque,
Amplexuſque meos, ac oſcula læta; nec illa
Sæcula volvuntur nobis, nec vertitur ordo,
Qui dudum, quo grandis erat per compita Daphnis;
Abſit, & ut credam de te modo ſentiat, acer
Qui fueras prædo, tam ſanćte, ſummus Apollo
Juſſerit, ut lauro tua cingas tempora ſacra,
Sed cedam, memini puerum dixiſſe Goliam,
Eſſe polos ſuperum, campos mortalibus eſſe
Conceſſos, quod quiſque ſua ditione teneret.
Libera ſum mulier, nullo ſociata marito,
Et thalamis ultro renuo, jurique jugali;
Sunt vires, animique manent, arcuſque, truceſque
Cuſtodes ovium, peperit quos ſæva Lyciſca.
Et moriar potius, quam jactem lilia corvis.
Daph. Libera tu mulier? quaſi non viderimus ipſi,
Quot mœchis proſtrata jaces, carecta Phaſelis,
Si tu forte neges, ſervant veſtigia ſulcis.
Venales tibi, ſtulta, manus mercede paraſti,
Hos fortes arcus, jacula hos, tutoſque receſſus
Eſſe putas? fex nempe virum, ſervique fugaces
Sunt, quos dirus amor, ſeu forſan triſtis egeſtas
E ſilvis pepulit noſtris, non hercle ſagittam
Eximerem pharetra, loris, virgiſque fugabo.
Aſt tu ſume colum, calathoſque, & penſa puellis
Impartire tuis, & paſcua linque bubulcis.
Spirantes tymbræ, tibi ſint, mea Florida, curæ,
Atque roſeta tuis aperi, & violaria pande,
Collige jam flores, pueris compone corollas,
Et natis occide ſues, convivia pone.
Da ſpatium barbas pectant, da ſtringere veſtes,
Da laqueis ambire femur, da tempora ludis,
Da vitreos fontes, quorum teſtantibus undis
Incedant compti. radios & findere Phœbi
Permitte, ut poſſint animos aſſumere grandes,
Dum

Dum tenues idolo ſegnes ſe corpore cernent.
Da graciles ſtipulas, umbras compone recentes.
Sterne leves algas, nymphas immitte procaces,
Da vina, & ſomnos, & veſca papavera lentis.
Pelle canes ſilvis, arbuſtis pelle cicadas.
Sed tandem videas miſeris quid feceris; hercle
Nos Phrigius luſit Paſtor, nos ſprevit Oſyris,
Non impune diu, nec tu ſi ſpreveris inquam

Flor. Sic faciam, dum grata quies, dum floridus annus.
Dum virides ſilvæ ſtabunt, cœlumque ſerenum.
Invidus ut doleas? ſed quid male ſanus amores
Obicis indecores, nemo ſtolidiſſime credet;
Mos vetus eſt mœchis, matronis turpia caſtis
Objeciſſe quidem, teſtis mihi maxima quercus,
Sacra Jovi, quia falſa refers, aſt, inclite, quid tu?
Quid Phrigius paſtor? quid dicis ſprevit Oſyris?
Non impune, miſer? quaſi jam nemus omne Canobum
Videris, & Myſios colles, valleſque Scamandri.
Cum vix agnoſcas tibi celſos elicis ignes,
Hæc ſtolidis ſtipula referes aliquando Napæis.
Dum tu Pannones victos cantabis agreſtes,
Nec taceas nuper ſignatum limen ab angue,
Segnitieque tua pactum ex ferrugine ſertum
In campis Henetum; ſunt hæc purganda, priuſquam
Excidum fagis, Daphni, ſeptiſque mineris
Inflatus rabie, ſatius tibi vertere paſſus
Orbis in extremum, quo tu mulieribus arces
Erigis, ac Onagris componis ſepta comatis.
Vinitor & tenſos reſecat tibi vitibus antes.

Daph. Me miſerum raucis veni contendere ranis,
Te natis commendo tuis, hi pectere crines
Et faciem purgare tuam, veſteſque novare,
Et mores ornare tuos, laudeſque levare
Noverunt, primi facient (ni fallor) ut Arnus
Nuntiet Alpheis, quoniam tua colla ſuperba
Calce premam victor, vacuatis ſanguine fibris,

Flor. Heſperidum mihi poma dedit Tirynthius heros
Aſſeruitque graves ægris, hæc ponere ſomnos

Fre-

Freneticis, his ergo tuo poſt remo medebor
Fervori, magnos memini preſſiſſe furores,
Inſuber, atque Ligus, poſt hæc tua ſomnia ſolvent.

MIDAS. Ecloga Octava.

Damon, Phytias.

Dam. Tolle pecus, Phytia, neſcis quibus inſcius arvis
Nunc ſedeas, Midas ſi te vel forte Lupiſca
Viderit, erraſti, dubium quis promptius ultro
Irruat in prædam, ſeu ſervet durius actam.
Ph. Quid verbis laceras grandes, venerande, bubulcos?
Quid Damon ſuades feſſo? dum juſſit egeſtas
Hunc domini ſervare greges, hanc penſa Minervæ
Ducere per noctes, potuit fortaſſe timeri.
Nunc illis armenta boum per gramina ſervat
Aufidus, & vitulos deducit ab ubere Marſus.
Non hoſtis venio, vult Midas ipſe daturus
Paſcua, ſiqua fides, fonteſque umbraſque recentes.
Dam. Coge pecus dum tempus adeſt, (ni fallor) amata,
Quam nolis veniſſe, dies mihi crede futura eſt,
Et promiſſa quidem tenues diſperſa per auras
In nihilum venient; ſed tu quid ſtulte putabas.
Hos magnos habuiſſe greges, ni fraude paraſſent;
Non hominum juſti quid poſſint ferre labores
Novimus; & quantum ſeptis augere peculi.
Ph. Me miſerum deceptus, inops, per ſaxa, per æſtus
En iterum revocandus eras grex anxie, nuſquam
Comperies, quo grata quies tibi præſtita fœtus
Gramine permittat læto deponere, Damon.
Pana Deum teſtor; non herbida prata. nec amnes
Exhauſti, natale ſolum, patrioſque receſſus
Arcadiæ, ut ſinerem fecere, & quærere campos.
Paſtores nimium cupidi, trucis atque Lupiſcæ
Sola fides, fallaxque nimis ſpes alta Veſevi,
Atque ſinus Gauri virides fonteſque lacuſque
Ut peterem potuere; tamen dum triſtis Orion

Alta tenet, noctis prohibens cantare volucres,
Sta precor, atque doce miſerum, quo jure Lupiſca,
Quò Midas rapiant, armentaque maxima ducant.
Da. Nympha decus nemorum, placidis reſidebat in arvis
Euboicis, nuper clara viduata mitella.
Hanc ardere quidem cœpit, cum ferret ad urbem
Lac preſſum Midas, pecudum & de more cadentum
Exuvias, cœpto favit fortuna furori,
Nam gravis ære domum, fervens dum forte redibat
Ceſpite pro viridi, proſtravit munere victam.
Hæc hujus jam capta, leves è pectore curas
Expulit, ac animos immiſit fervida grandes.
Cumque diem functus terras dimitteret Argus,
Et lævo tandem fato cecidiſſet Alexis.
Extemplo callens hic ſe ſe miſcuit altis
Paſtorum rebus, Dircæaque ſemina paſſim
Omnia complevit jactans, cumque impia virtus
In ſe diſcordes armaſſet cuſpide fratres
Proſiliens, avidus Midas. pecudeſque boveſque
Occupat inſidiis, & ne ſibi tuta deeſſent
Abdita, Melalcem ſtudio conjunxit Amæto,
Quos poſtquam miſeros undis retraxit avitos
In campos, lauro & flavos vincire capillos,
Et querno fecit dextras ornare bacillo,
Primum ſe divum titulis immiſcuit altis,
Cum pridem placido vix eſſet cognitus Arno.
Ph. O felix jam ſorte ſua, quis plura requirat?
Imperat ex ſervo, merces conflavit in aurum.
Dam. Saxeus es, Phytia, video, coluiſſe Napæas,
Et nemorum Faunos æque, nymphaſque puellas
Thure pio credas, qui ſurripit undique capros,
Clauſtraque ſi frangat, felicem dicis avarum.
Ph. Immo equidem dico, nemo, niſi Juppiter æquus
Juſſerit, in celſos uſquam conſcendet honores.
Dam Te Phytiam rebar, ſilvæ fecere Lycurgum,
Et ſuperum mentem video, ceſſere ſubulco
Sulphurei colles. & paſcua grata Lyæo.
Ph. Sum Phytias, Damon, Phytias ſum paſtor, & Arcas
Et

Et calamis didici paſtas mulcere capellas.
Non mores hominum, ſacra & monimenta Lycurgi,
Tu miſerum ridere potes, tibi grandis Apollo
Conceſſit citharam, Pomona cadentia pomis
Arbuta, ſic temnis ſummo de culmine lapſos.
Sæpe vices rerum verti cantabat Amyntas
Jam ſenior, lacrimas mecum mors æqua reſolvet.
Dam. O Phytia, conſiſte precor, mentemque reſume.
Ante polos lintres ſulcabunt, Nerea currus
Orbita, frondoſo pandum delphina Pelorus
Vertice ſucipiet nautem, quam Damon amicum
Contemnat Phytiam, ſed tu modo reſpice verum,
Hujus quippe fuit mos ſemper vertere vultus,
Quodque velit validis ſe nolle infingere ſignis.
Hinc ſerpens pratis viridi contectus in herba
Serpere, & incautas caudá vincire capellas,
Atque hœdos morſu ſolitus lacerare tenellos.
Sed poſtquam vires auxit compreſſa catella
Inſurgens coram tauro, qui ludat in ervo
Perſimilis cornu, celsas infringere pinus,
Sternere prævalidas quercus, ſilvaſque boatu
Terribili complere; leves perſtertere ſeptas
Cœpit, & horrendus rabie leo vertere in agnas,
In circum bubulas, urſoſque arcere frementes.
Quis putet? & Bavio ſubtraxit ſubdolus hircos;
Prægnanteſque boves, & pingues carmine tauros
Eduxit ſtabulis, rauco latrante Melampo.
Quot Faunos quondam, nymphas quot luſit agreſtes,
Quot Satyros ficto calamis per devia cantu?
Seque Mecœnatem, magnumque, deumque vocari
Gliſcit, & invitas dum ſervat rupe Camœnas,
Aſcræum putat eſſe ſenem, ſilvaſque movere
Caſtalias, & plectra Dei, ſacraſque ſorores;
Quis queat inſanos auſus? quis dicere ſævos
Et nemorum, pecorumque ſimul, juvenumque ruinas,
Quas dedit, & pariter ſecum trux inde Lupiſca?
Hæc ſiliquas porcis, & gramina ſubtrahit agnis,
Emungit miſeras turpi ſqualore juvencas,

Ac

Ac matrum parvos ſubducit ab ubere natos,
Terque die pecudes premit, & ter vellere nudat,
Si poſſit, triſtique levem conſiſtere lunam
Carmine, compellit cœlo, & ſibi faſcinat hœdos;
Nec vacat hæc ſomno, virides ambire per agros
Nocte etiam videas; & magnos vertice Gauri
Enumerare greges; quid multa? hæc omnia radit.
Ac ut nulla ſinat ſilvis intacta vel agris.
Arte nova pueros annoſa per antra canentes,
In Venerem rapit illa ſuam, nudatque ſequentes.
Fur Midas igitur, mœchus, ſcelerumque ſatelles.
O facinus, meretrix anus eſt, & avara Lupiſca.
Quæ nuper glandes, oleaſque legebat in agris,
Nunc cœlum violat verbis, & faſcinat agnos.
Quid tunc Melalces? tacuit? quid dixit Amætus?
Daph Aſſenſere Dei, ſic ira, & crimen inultum
Permiſit miſeri laqueo pereuntis Alexis.
Ph. Heu trepidans horreſco ſolum, ſuſpectaque divis
Paſcua! quid faciam? minui poſt verba videntur
Nempe greges, dominam noverunt prata Lupiſcam,
Aſt ego quid merui; nolebam vertere vepres
In lauros fateor, neque celſum extollere olympum,
Degeneres calamis, divos cantare ſubulcos.
Hoc tam grande malum non rebar; luſus & inſons,
Diſtrahor hinc pauper, videat Pan deprecor æquus.
Et quercu veteri nuper mihi garrula cornix
Hos cecinit lapſus, vetuit ſed dira cupido
Noſcere, & in dubios deduxit ab aggere campos.
Nec Corydon dudum ſilvis cantare ſolebat,
Sic lætis dum tantus erat ſub tegmine lauri.
Daph. Non Corydon miſerande tibi, non fiſtula nota
Qua ſteriles vobis blandus cantabat amores,
Senſi ego quam tenues conflaret gutture verſus,
Et modulos, ſtipula laqueos dum poneret arvis.
Ph. Quid faciam, Damon; fugiam dic litus ineptum?
Daph. Sume quod in triſti veteres cecinere bubulci.
Ph. Malo rudes habitare caſas, nemoroſaque teſqua.
Parraſii, lambant malo jam ſaxa Lycæi

Hæ

Hæ pecudes, quam pingue ſolum Stymphalidis agri,
Tot plenum curis; mecum cantabat Amyclas
Rupe ſub exigua tutus, cantabit & ingens
Sylvanus placida componet pace furentes
Ilice ſub priſca bilem, ſtolidamque Dyonem.
Da. Nil melius, pecudes pridem dum forte levarem,
Omnis erat varia plenus vertigine gurges.
Hinc ſenſi monitus venturi turbinis iras,
Et Midæ caſum pariter, pecoriſque ruinam.
Et repetet glandes veteres, oleaſque Lupiſca,
Daph. Sunt in ſeceſſu nobis Florentia rura,
Et gratum nymphis antrum, quod fronde recenti
Sternet amica tibi Glaucis, melliſque parabit
Inde favum: venias; quas conſpicis arbitror umbras,
Ante locum teneas, protendent arbuta longas.
Ph. Tende igitur veniam; teneat ſua prata Lupiſca.

LIPIS. Ecloga Nona.

Batraces, Arcas.

Bat. Quis precor es noſtris in ſilvis exterus hoſpes?
Ar. Arcas eram quondam, paſtorque, & nominor Arcas
Incola Parthenii montis, nunc ductus in oras
Has, caſu video pecudes, armentaque paſſim
Pinguia, ſed ſteriles agros, & paſcua nulla,
Bat. Miraris fortaſſe ſenex, nam cauſa latens eſt.
Nunc [ni cura vetet] noſtris ſuccedito clauſtris,
Et requiem longo paulum concede labori.
Et quæ ſit tibi cauſa precor præpone viarum.
Ar. Sic ego Parraſios umbris perſæpe viantes
Suſcepi feſſos; proſpectat gratus Apollo
Immeritos, ſed prima refer quæ cauſa latens ſit?
Bat. Sunt in ſemotis colles, ſilvæque patentes,
Herbis inſignes, & grandia paſcua rivis
Irrigua, has celeri contendunt undique curſu
Quas habeo fætas vaccæ, redeuntque volentes
Uberibus plenis, quæ poſt pendentia natis

Præbent, & tenues cogunt pingueſcere lacte.
Ar. Eſt memoranda quidem, grandis ſollertia vaccis.
Aſt ego viſurus cupiens Amaryllida veni.
Bat. Archades en noſtram norunt Amaryllida quæſo?
Ar. Quis fuit in terris, qui non Amaryllida norit?
Bat. Quid ſecum tibi, care ſenex? non cura ſacrorum:
Deſpicitis Dori, Thraceſque altaria noſtra,
Ar. Circius ajebant, veniet ſumpturus honores,
Quos vetus athletis dederat victoribus ætas,
Hac ego deductus fama, vincire capillos
Paſtori vidi, poſt hæc quis cultus agrorum,
Qui mores eſſent, qui ritus quæve bubulcis
Artes ſervandi pecoris, lactiſque premendi.
Quæ nemorum leges avidus cognoſcere veni.
Bat. Et nobis quidam nuper referebat Etruſcus
Ornatum Arctoum ſertis, ſed lenta ferenti
Præſtita quippe fides, obſtabat inertia Circi.
Ar. Sic here, ſic factum, verum narrabat Etruſcus.
Circius arripuit ſertum, fuit Albula teſtis
Bat. Inde novos alpes emittunt vertice fumos.
Hinc lupa cum gemmis preſſantibus ubera latrat;
Et vulpes ambire domos, Galloſque timentes
Adverto, triſteſque malas ululare per umbras
Audio paſtores Rutulos, & cuncta timere.
Cinnama nunc Silices pariant, & balſama taxus
Sudet Cirnenſis, triſtiſque cicuta ſabæos
(Poſtquam Romuleis ſic viſum) præſtet odores.
Ar. Indignans loqueris video, tibi Circius ægram
Commovit bilem, nolles redimitus adeſſet.
Bat. Quid non indigner? potuit ſors invida mundo
Crinibus Actois Italas imponere lauros.
Ar. An poſſunt hædos forſan ſaturare petulcos,
Vel quid majus habent Italæ, quam Syrmia laurus?
Bat. Non equidem noſtros ſentis ſatis Arcas honores,
Has frondes pharetris Phœbus victricibus olim,
Ac citharis, lauro facta jam Daphne, dicavit,
Hinc veteres talis ſacras fecere triumphis.
Ar. Quæ precor acta virum; quorum tam fulgida merces?
Bat.

Bat. O longum narrare, ſenex, ſed pauca reportes
Parthenii ſilvis volumus ſacroſque Lycæo.
Linternus Libycas peſtes revocavit ab arvis
Auſonicis, fecitque potens has fundere virus
In colles proprios, ſtomacis & mella Falerna
Immiſit, legeſque ſuas ſervare coëgit.
Ruſticus Arpinas ſulcavit vomere montes
Cyrrhæos Latio, grandeſque olidoſque, per altum
Hircos in Tyberim traxit, domuitque ſuperbos
Cimbrorum tauros, & currus fregit inanes,
Hyrcanas tigres curſu ſuperavit Opheltes,
Armenioſque equidem devictos arte leones
Et curvos Syriæ preſſos ſub faſce camelos,
Aſſyrioſque greges, & quos Erythra Thalaſſon
Littore ſervabat ratibus, devexit in umbram
Tarpei lapidis, Ciliceſque per alta volucres
Cœpit, & in ſpolium, roſtrum portavit & alas.
Allobrogis, Eduiſque bubus, Belgiſque juvencis
Frontibus impoſuit Daphnis virtute capiſtros,
Et ſolitos errare jugis, & ludere flexu
Paſtores tanto contrivit robore feſſos,
Ut juga demiſſa faciles cervice ſubirent.
Gryphes Hiperboreas rapientes unguibus olim,
Quos nobis vitulos ſervabat maximus Iſter,
Privavit pedibus juvenis Corigillus aduncis.
Smyrneus paſtor, Venetuſque, & grandis Etruſcus,
Meonios dudum tauros, Italoſque leones,
Et Tyrios apros, ſtipulis domuere canoris.
Quid tam multa loquar? quid fruſtra cuncta revolvam;
Heſperidum qui poma tulit, qui duxit Iberas
In Latium vaccas, quin vellera longa Britannis
Abſtulit, aut Phrixo nudavit vellere Colcos,
Et niveos meruere Jovis conſcendere currus.
Et plebis plauſus, & tempora cingere lauro.
His Quiris veteri ſancivit lege coronas.
Ar. Magna refers, & laude quidem memoranda perenni.
Sed quid turbaris; poſſunt meruiſſe nepotes,
Quod nequivere patres: eſt magnus Circius hercle.

Bat Heu mihi, dic quando meruit precor iſte nefaſt. ,
Circius, ut ſegnis noſtros ambiret honores;
Hujus avos memini veniſſe ſecuribus altas
Cæſuros ſilvas Latias, Latioque moloſſis
Infeſtis pecori. cui nunc mea neſcia mater
Sponte manu facili lauros conceſſit avitas.
Heu quantum potuit cœli vis plurima, quondam
Dum paſtor luſcus confringeret omnia ferro,
Et noſtras mactaret oves impunis, & antra
Byrſeo victor miſere conſumeret igne,
Non potuere duces flecti cogente periclo,
Ex gemino paſtore gregis pereuntis, ut alter
Eſſet Campanus, cui par labor, atque ſertum
Exitium fuerat, nunc unus Circius hoſtis
Barbarus, immanis, meritis nec laude refulgens,
Omnia ſolus habet, ſilvas, pecudeſque, boveſque,
Ac inſigne decus paſtorum, nobile ferum.
Ar. Erras hoc Latii quondam voluere coloni.
Bat. Confiteor, ſic ſæpe dolor divertit inertes.
Non veterum ſi fuſca quidem, ſed ſacra parentum
Hunc pietas miſerum potuiſſet cernere finem,
Martius in Stygias umbras ſe ſponte dediſſet
Præcipitem, Senoni Pardo nec credo dediſſent
Inferias patres, animas cum ſanguine ſilvæ;
Et reor invacuum juveni cantaſſet, & anſer.
Nec genitor. genituſque parem ſibi ſumere cladem
Curaſſent, canibuſque dari lanianda latinis
Viſcera; quid repetam ſanctos, pulchroſque labores,
Felices animæ? vitam pulchrumque cruorem
Fudiſtis Rheno; ſibi fert Ericinia mater
Inſignes titulos, & per ſpineta nepotes
Diſtrahit heu noſtros, cedunt nunc ſidera Cymbris.
Ar. Quid veteres renovas, Batracos, nunc flēdo querelas?
Dalmata, Pannonus, Grajuſque, & peſſimus hoſtis
Affer jamdudum juga quæ portaverat ipſe
Impoſuit veſtris tauris, traxitque per arva.
Quid tandem? ſilvis fuit hæc, & gloria noſtris.
Bat. Quid veſtris? forſan veſtros non novimus agros.

Ar.

Ar. Credo equidem noſtis, ſed non meminiſſe poteſtis,
Dum genus egregium campis effulſit Amyntæ,
Et cecidere trabes ex Indo culmine nigræ.
Et dum Meoniis dixerunt jura colonis,
Limpidus Eurotas quondam pulcherque Aracynthus,
Sed demum ſubrepta tuos devenit ad agros.
Nil ſub ſole novum rapuiſtis, nunc rapit alter,
Sed tibi quid tanti lætos ſi ſumat honores
Circius, aut viridi circumdet tempora lauro?
Bat. Ægon erat Latiis paſtorum maximus, & quem
Præferrent homines cunctis mortalibus olim
Parte alia Daphnis poſt hunc prægrandis, in ipſum
Inſultans turbavit agros hos quiſque ſequutus
Pro votis, Ægonis ego quia juſtior eſſet,
Partes intravi quod propter credita ſemper
Hoſtis eram Daphnis, cui poſtquam Circius hæres,
Pertimeo, non forte velit renovare vetuſtas,
Iras majorum memorans, vertatque ſecures
In ſilvas, gregibuſque lupos immiſceat acres.
Me miſeram quæ quæſo mihi nunc tuta latebra.
Quo fugiam? quo triſtis eam? mihi terra dehiſcat,
Impia me coget genitrix intrare lupanar.
Me miſeram furias educet Circius Orco
Inclitus hoc ſerto; corvi per inane volantes
Heu roſtris ventura ſonant præſagia veri.
Ar. Debiiis es ne adeo, quin poſſis ferre priores
Inſultus? facili ſolvuntur membra labore
Rhenicolis, ſeptas, quo poſſis robore valla;
Fac circum foſſas, & magnis cinge rubetis,
Adſint paſtores ſudibus, præpone moloſſos,
Da pueris fundas, ac obſtrue ſentibus arctos
Introitus, perſæpe Dei juvere labores.
Bat. Imbellis mihi turba manet, molliſque per umbras,
Aſpicis, ut ſterili nupſit me mater agello,
Cui nec litus adeſt, nec grandis defluit amnis,
Nec prærupta ſoli patiuntur devia currus.
Hincque meum robur juvenes tranſcendere montes
Coguntur pedibus, gregibuſque referre jumentis

Pabula; ſi veniant, timor uſquam nullus adeſſet.
Ar. Erige fac vires, & firma robore mentem.
Vidi ego deſlentem lacrimis Amaryllida nuper,
Quam tu ſponte putas cupido poſuiſſe coronam,
Et nullis ſilvam lætari floribus uſquam.
Fiſtula non cecinit, non æra ſonantia, Tybris
Effluxit tacitus, undaſque retraxit in alvum,
Atque graves tacuere ſenes, tacuere paleſtræ,
Et tacuere nurus pariter, clauſumque lupercal.
Conſtitit, & nullis monſtravit gaudia ludis,
Poſt dum ſediſſet ſcamno jam Circius alto,
Conſpicuas ſerti frondes prænubilus Auſter
Eripuit, ſonituque gravi devexit ad Arctos.
O monſtrum, virides dum defert ille per auras,
Exarſere quidem, tenuiſque per alta favilla
Vix eſt viſa viris, tunc qui prægrandis habetur
Arcadibus paſtor confeſtim dixit Aruntes,
Hic iter in ſilvas faciet tibi Rhene propinquas,
In quibus ipſe diem claudet, condetque ſepulchro,
Quod tam grande rapit nomen, putridumque cadaver.
Vel ſi iterum veniat quia flexit flamma parumper
In reditum fumos, faciet memorabile nullum.
Bat. O noſtris mea ſacra Pales gratiſſima ſilvis,
Fac firmes omen, repetat ſua luſtra bicornis
Bellua, nec noſtros infeſtet cuſpide campos.
En tibi, quam gemini ſugunt, mactabitur agna.
Tuque ſenex Arcas, cui tantum cernere curæ,
Sis mecum, nox atra venit, jam ſidera cœlo
Surgere, non ne vides, abiens permittit Apollo.

VALLIS OPACA. Ecloga Nona.

Lycidas, *Dorilus*.

Lyc. Dorile ſeu pluvias terris immittat Orion,
Aut Amon flores, vel cancer rure cicadas.
Auferat aut frondes Chyron, te fronte recurva
Semper conſpicio triſtem, lacrimiſque madentem.
Quis

Quis dolor iſte tuus; periit tibi vitis in ulmo?
Dor. Juppiter a celſo proſpectans cardine campos,
Proſtravit feriens, ignito fulmine fagum,
His celebrem ſilvis, ſonitu perterrita tellus
Ingemuit, tremuere greges, ac arbuta dumis.
Paſtores ſe ſe comperta fraude viciſſim
In caveis clauſere malis, cui ruſtica ceſſit
Libertas, turbare greges, diſperdere capros
Cœpit, Criſifabro Junoni ſacra paranti
Abſtulit optatum fruſtra per tempora Rufam,
Laſcivuſque meis formoſam Phyllida rivis
Eripuit Phytiæ noſtro, quam magna ſuperſunt
Centauris obſcœna quidem, ſi dicere vellem.
Utque alios mittam, noſtros damnavit amores
Illecebris pedicas ac antra carentia ſole
Impoſuit nulla myrto, nec læta corymbis,
Hæc triſtis ploro, ſed tu fabrilia tractas
Centuculo tectus, nigra & fuligine tinctus?
Lyc. Vera igitur tulerat fuſca ſub valle Menalcas
Adveniens, per Pana Deum non ſordida lædunt
Munera Plutarchi, quantum mala nota furentum,
Quos genui calamos inter, ranaſque paluſtres.
Dor. Tu ne precor meus es Lycidas? te nempe Podarcem
Credebam; quam læta dies, ſpes lapſa reſurgit,
Tu cœlum, campos, fluvios, armentaque nobis
Reſtitues, quernas ſuperiſque, tibique coronas
Poſt aras ſtatuam, placidam contingere dextram
Mittito; quin ſubeas antrum; non lacte tepenti
Caſtaneis, nucibus, pomis, Bromioque fovebo;
Omnia ſubtraxit Polipus; mihi panis, & unda,
Algaque dat ſomnos mollis, ſic vivere divos
Audivi in terris, nec dedignere precamur;
Saltem quæ turbant faciem purgare tenebras,
His poteris lymphis, & feſſos inde cubili
Hoc recreare artus; medios revocabimus ignes.
Lyc. Erras, priſca vides, non me, veſtigia noſtri,
Non ego plus veſter, poſtquam Cyllenius Argus
Surripuit virga radios ex æthere raptos,

Et crinem ſecuit Triviæ jam falce dicatum.
Dor. Ah miſerande puer, periit ſpes alta ſalutis,
Incertuſque mei moriar, nomenque ſub umbras
Auferet atra dies, pecudes ad prata Myconis
Nunc Ilas pellit, manibus nunc ubera preſſat,
Hic cythiſum, ſaliceſque novas, frondeſque recentes
Apparat, ac agnos recreat, matreſque per herbas.
Hic alter merſat rivis, & vellera tondet.
Ille ſuos cantat calamis inviſus amores.
Et corylos faciles mulcet, celſaſque cupreſſus.
Me ſolum miſerumque tenet ſine crimine vinctum,
Heu polipus, dum ſæva rero nunc otia planctu.
Lyc. Caſtaliæ dic oro puer docuere ſorores
Te lacrimis tranſire diem? quis nectere mentes
Atque pios animos potuit vincire geniſtis?
Quis prohibet meliore tui, quin parte peragres
Gnoſiacos ſaltus, & Menala paſcua? quis ve
Paſtores Idæ videas, fonteſque bicornis
Parnaſi, & lauri dulces per culmina ſilvas?
Ah ſcelus infandum, ſic non dum vivere noſti
Annoſus tecum? ſecum ſuperavit olympum
Olim Argus, qui jura Deum viditque deditque,
Paſtores Phrygios orbatus lumine Mopſus,
Et Danaos cecinit, ſic Tityrus arva Latina
Non vidit, Rutulus dum tinxit ſanguine Turnus.
Has lacrimas nobis ſinito, cui nulla poteſtas
Ni damnoſa manet, memores, dum paſcua ſolus
Hæc tenui, quam grandis eram? nunc triſtis egeſtas
Arguit, atque jubet, miſeris ſolatia præſtem.
Dor. O Lycida, fateor duræ ſolamina vitæ,
De te tot merui numquam, ſed pande precamur
Quis tibi Plutarchus, quas valles, quoſve receſſus
Nunc habites, Arcas divos poſtquam abſtulit ignes?
Lyc. Spelunca in medio ſtat Tænaros, inſcia Phœbo,
Qua vehimur cœlo vetiti, cui limine primo
Pervigil inſultat canis ater, & atria ſervat;
Blanditur cauda intranti, morſuque fatigat
Tentantes reditum, ni princeps juſſerit, inde
Et

Et lucos, ſilvaſque vides, fluvioſque lacuſque
Atra loci facies, nebulis, fumoque paluſtri,
Perpetua ſordent vallis, fuligine rupes.
Semper hyems glacialis ineſt, nox ſemper opaca;
Cæcus adeſt ignis, nemorum nec ſtipite vivus.
Arte tamen ſuperum; nec credas læta Pelori
Paſcua vel campos Tyrios, Libanive roſeta,
Tymbreos colles, juga vel redolentia Achanto,
Eridanique leves undas, & amœna colamus
Late Sardoniis, & taxo prata, locique
Omnes conſpicui, vepribuſque, & vimine torto,
Implicitæ miſeras reddentes flentibus umbras.
Inſurgunt ſilvæ, cœno, ſanieque fluentes
In medio maculant olidi de vertice rivi.
Non ibi ſunt celeres capreæ, cervique fugaces.
Serpentum locus ille ferax, peſtiſque nefandæ
Telluris Libycæ, quorum nunc verbere caudæ,
Nunc acri morſu, nunc nexibus angimur ægre.
Syrenæ in ſcopulis vobis, ſilviſque Napææ
Cantantes aures mulcent, ramiſque volucres;
Aſt nobis aliter reſonare per omnia valles
Mugitu valido, turpes & frendere porcos
Dentibus, & ſævos rabie rugire leones
Audires, triſteſque ſonos ut reddat & Echo.
Dor. Quid dicis, Lycida, potuit natura vel alter
Viſceribus terræ tam diram condere ſedem?
Lyc. Quidni? cuncta poteſt qui ſilvas fecit & aſtra;
Sed paulum conſiſte precor, pejora ſequuntur.
Plutarchus ſcopulo reſidet, fuſca atque marita,
Frondibus umbrati nigris, & vellere pullo;
Stant ſquallens circum ſcabies, morbique caduci
Omnes, & pecoris peſtis certiſſima frigus.
Et ſiccæ febres, ac horrida mortis imago,
Has inter colubris hirtus, ſquamiſque cruentis
Trux paſtor, miſeros leviat nec pectine paſtos,
Nec calamis mulcet, ſed cornu territat umbras,
Atque greges, ſurgens ſcopulo, & clamore ſonoro
Irritat furias, vepretaque mandat amœna

Luſtrari, tauroſque iterum per inania verti.
Quot gemitus vox iſta levet, tibi ſidera, pandent,
Si numeres, seu fulva ſali monſtrabit arena.
Concutit inde polos, & ſævo murmure replet
Juppiter iratus ſilvis, ac fulmina vibrat
Quaſſatæque ruunt nubes, & grandine multa
Frangitur omne nemus, nodoſaque robora rumpit
Ventorum vis magna furens; quid multa? dolentes
Heu quot tunc pavidos inter ſpineta videres
Currere, & oppoſitas ſentes contundere dorſo,
Præcipiteſque dari celſis ex rupibus ultro.
Aſt poſtquam Diomedis equas, Geryonis, & acres
Juſſit inire canes omnis per devia turba
Convenit, ac hydris agimur, triſteſque miniſtri
Componunt turmas avidi, pœnaſque minantur;
Nec pecudes credas, tauros hic arguit atros,
Et ſumma de rupe truces impellit ad ima.
Convocat hic torvos angues, & fuſte peruſto
In glaciem cogit, ſquamoſaque tergora frangit,
Iſque lupos igni de vertice culminis alti
Deicit, o quoties hos inter lapſus & ipſe,
Dor. Siſte precor, Lycida, quid tu devolveris oro,
Immixtuſque lupis e ſummo montis in ignes?
Quid ſceleris? quæ dura trucem ſententia movit?
Lyc Heu mihi jam dudum pecudes rapuiſſe Myconis.
Et ſcelus infauſtum, pueros traxiſſe per umbras
In vetitam Venerem, melior dum vita maneret
Has ſedes tribuere mihi ſub vindice juſto.
Dor. Alcidem memini monſtrum traxiſſe trifauce,
Cecropiumque ducem ex imo jam vallis opacæ.
Vis rogitem ſi forte queam quandoque movere
Pana pium retrahat te noſtras mutis in auras?
Lyc. Dorile, ne facias, nequidquam tangere olympum
Jam precibus poſſes, aut inrevocabile fatum.
Actum eſt de me, deque illis, quos juſtus in Orcum
Archeſilas miſit quondam, nunc deſine quorſum
Contendo veniam, & reliquos tibi carmine ſignem.
Setigeros trahit ille ſues, fortiſque frementes
Illi-

Illidit ſcopulis, & membra trementia quaſſat,
Summo alius ſtudio ducit de monte moloſſos,
Tabo & marcentes cogit guſtare paludes,
Immanes urſos ex luſtris pellit ad undas,
Is tardoſque onagros, & ferro tranat adunco,
Faſcinat hic lynces, demum per devia vertens,
Atque fame longa miſeras hinc inde moleſtat.
Nequidquam tibi cuncta velim mala pandere verſu,
Vivimus inviti mortem per aprica cientes.
Nunc memor eſto tui, fugientia ſidera Phœbum
Adventare monent, mihi nec fas cernere tandem.
Tunc Polipus quercum dum ſcandet forte palumbes
Perquirens, mihi crede ruet, noſtroſque tumultus
Adveniens auget, ſic ducunt fila ſorores.
Teque tuis linquet campis, ſic vincula ſolves.
Dor. Numen honoratum ſilvis, Pan, te precor adſis.
Et veniat lux illa mihi, tibi pinguior agnus,
Ex grege quippe tuas ultro ferietur ad aras,
Quas ſtatuam, ludoſque traham tibi carmine ſacros.

PANTHEON. Ecloga Undecima.

Auctor, Myrtilis, Glaucus.

Auct. Eſt tibi Phœbus amor, Clio. quem lata per arva
Inſequeris, noctesque fugis, Tuſcoſque receſſus.
Phœbus amat lauros, quas inter ſæpe labores
Depoſuit ſacros, nec te ſediſſe parumper
Has ſubter virides, fervent nunc arva. pudebit
Decantanda mihi veniunt tua carmina Mopſo,
Sis fautrix, mecumque chelim, tu tange Arethuſæ,
Mopſus enim pellet nebulas a carmine flabris,
Rupis in abſconſo Berecynthia montis agreſtem
En tibi texebat ſeptam ſociatus Amynta
Glaucus, & ardentes lenibant murmure curas;
Ecce ſecus Tybrim fulvos per prata juvencos
Ac olidas virga cogebat pulchra capellas
Myrtilis, & Glaucum placida ſic voce precatur.

Myr.

Myr. Glauce pater, ſi lenta ſalix tibi vimina præſtet
Uſque opus inceptum peragas, ſi ſemper Amyntas
Subſidium præſtans his tecum vivat in antris.
Sis lenis, noſtriſque fave mi candide votis.
Suſcipe quos cernis tauros, has tolle capellas.
Cornibus inſignis frons illis, ſpargere arenam
Spectabis pedibus, lactiſque has eſſe feraces.
Da fontes, cantuque fove, da paſcua cunctis.
Gl. O nimium dilecta mihi jam Myrtilis ecce
Non cythiſum, ſaliceſve vides, non aſpera dumis
Sunt ſpineta meis, humiles ex vallibus agnis
Herbas porto ſenex paucis, nam ſpernimus altis
In ſilvis Rhodopes, me ſpernunt Arcades omnes,
Præterea Cacus ſi viderit omnia paſſim
Diſtrahet in jugulum, dum triſtes impleat iras
My. Heu ſatis hinc video, refugis, mi Glauce, quod optē
Immemor Alcidis veſtri, qui carneus olim
Cortice dum parvo vectus, torpentia circum
Littora Jordanis ſpectares numquid ad hamum
Veniſſet piſcis, ſtudio detentus inani
Te traxit, gregibuſque ſuis præfecit amatis
An tibi quos geſſit, ſoli geſſiſſe labores
Stulte putas? cunctis voluit prodeſſe creatis.
Tolle igitur, novi, quantum tibi prata favoris
Jam fervent, hæc læta magis quam dudum Aracynthū
Viderit Amphyon, ſeu natus Apolline colles
Iſmari, & Amphriſum Phœbum, vel Theſſala paſtor
Proſpiciens pecori, nec deſunt munera cantu.
Stat bicolor mirtus. qua tu ſub rupe ſonantis
Tarpeiæ mihi vinctus eris, noſtroſque per omne
Tempus in amplexus veniens; quid carmina ſervas?
Dic age, jam patulas aures armenta revolvunt,
Et tu magne comes ſtipulis fac dicta ſecundes,
Ut ſonet omnis ager tibi ſit mea laurea munus.
Gl. Myrtilis en vincor, dabimus tibi carmina Amynta,
Expedias calamos ſurgant ad ſidera verſus.
Auct. Inde pium ſumma referans dulcedine pectus
Sic cantare Jovem cœpit, genitumque, ſacrumque

Fla-

Flamen, ut æthereo reſonarent carmine valles
Hinc quibus una tribus deitas connexa moretur
Legibus explicuit ſilvis plaudentibus, inde
Quis terras, undaſque maris, cœlumque ſerenum
Nocturnos ignes dederit, ſuperoſque priores.
Et Phœbi radios, Veneris, Triviæque reflexus.
Fluminibus valles, qua lege & littora ponto,
Qua flores pratis, & denſis arbuta lucis
Sint conceſſa prius, quo poſt hæc ordine campis
Montibus, ac celſis fluviiſque animalia ſurgant,
Atque ferant greſſus, quis ſemper inane volucres
Viribus extollant, quis ſe reptilia ſulco
Proſerpant humili, quis ſulcent æquora piſces.
Quis mentes, Parcaſque viris, quis ſemina glebis
Crediderit primus, ſævus qui ſanguine terras
Innocuo primus macularit, & inſcia primus
Juſſit ut in ſilvas irent armenta, gregeſque
Quis primus placidas pecori componeret umbras,
Quiſve ferox primus ferrum molliverit igne,
Quiſve prior ſtipulis dederit diſcrimina vocum.
Acrius hinc culpam cecinit Lycaonis avari.
Turbatumque Jovem terris, ſilvaſque feraſque
Et pecudum genus omne ſimul ſub gurgite merſum.
Et cymba tenui vectum cum ſemine rerum
Deucaliona pium, pariter natoſque, nuruſque
Hinc lapides jactos, hominumque reſumere formas.
Atque giganteam rabiem, cui ponere olympum
Vertice Pindareo parvum, vel Pelion Oſſæ.
Dejectos colles tandem vanoſque ſuperbi
Balatus pecoris, colles, ſaltuſque petitos
Narrabat varios paſtoribus, atque capellis,
Archipatris pugnas, ſublataque cornua tauris,
Silvanoque ſacrum, quod nondum viderat ætas
Ulla pium, magnos ſervans ſub cortice ſenſus.
Qualiter hinc etiam campos liquiſſet avitos,
Et magni promiſſa Dei, partumque ſequutum
Poſt riſum ſterilis vetulæ, grandeſque paratus.
Ut genitum juſſu ſuperum mactaret ad aras,
Orba-

Orbatos hircos merito, flammaſque Typhœas
E cœlo lapſas ſilvis, vacuaſque paludes,
Et Cynaram Bromio captum vigilaſſe duabus
Monſtrabat natis, aris tum numine raptum
Inter ſe varios claros genuiſſe gemellos.
Hinc ſiliquas quibus ægra fames compreſſa furentis
Eſt apri, fraudeſque piæ Sophronidis orbo
Agnum propoſitas, dum finxit pellibus hircum.
Exilium, paſtciſque greges, munuſque receptum
Et reditum claudi, viſos & in aſtra volatus,
Et luctam inſomnis habitam Stilbonis agreſtem
Et clunem tactum patiter, nomenque ſecundum,
Paſtorumque dolos, & ſævas crimine flammas
Invidiæ, puerumque datum Memphitibus auro.
Viſa Pharath nexuſque graves, dubioſque ſolutos,
Hincque Peluſiacis præfectum meſſibus Argum
Pinguibus, & ſteriles quo reſtauraſſet ariſtas.
Jure vel effœtos Memphim traxiſſet amicos.
Triſteque ſervitium ſuperum poſt fata nepotum.
Inde Foroneum quem ſuſtulit Iſis ab amne.
Niliacas peſtes, & nectos gurgite capros.
Errores duros, damnatas ſidere arenas.
Ac inopes campos, nimium queruloſque ſubulcos,
Et ſaxo latices lapſos, & ab æthere panes,
Juſſa Jovis dum tecta ſibi, dum ſacra parari
Vellet, & abſconſos alta ſub nube receſſus,
Celſo &, Idumæo deſcriptas vertice leges,
Illiſas ſcopulo, poſtquam conflatus Oſiris.
Vulnera ſerpentum, ſerpentis, & irrita viſu.
Et canibus campis, telis arcuque fugatis,
Agros poſt æqua conceſſos ſorte colonis.
Paſtorum veteres cantabat, & inde paleſtras,
Serta ducum, baculos, ſedes, & frondea tecta,
Ceſpite præviridi, ſtructum de marmore templum,
Et morbis aſſumpta malis armenta gregeſque,
Pingue ſolum fuſo grandi perſæpe cruore.
Aggere nudatas ſilvas, & vellera rapta,
Orbatumque ducem pecoris per compita Tygris,
Diſ-

Diſperſoſque greges, ſeptas compleſſe forenſes,
Orſa Deum ſenſu complexa, & ſomnia vatum.
Sacra hominum polluta malis reduceſque magiſtros,
Ac ulmis fruſtra cecinit poſt præmia fixa;
Subſtitit hic paulum ſumpturus pectore vires
Exhauſtas cantu Glaucus: poſt, o precor, inquit;
Romulides majora canam, date carmina nymphæ.
Inde ſatum Maja cœlo per nubila lapſum
Cœpit, & in Daphnis tegulas penetraſſe canoras.
Cumque patris juſſu ſacros narraſſet amores.
Conſenſu primo Daphnis, mirabile dictu
Virginis in gremio verbum ſine ſemine carnem;
Factum cantabat magnum ſuper omnia, necnon
Virginis infractum decus, inde fuiſſe pudoris
Virginei naſcente Deo, fides iſta precor ſit.
Hinc pedibus pulſare ſolum, cantuſque movere
Vidiſſes ſatyros, feſtaſque agitare choreas,
Et Faunos. nymphaſque ſimul, latiaſque puellas,
Floribus, & minio, ſertiſque virentibus omnes
Inſignes, dexiris & tangere cymbala doctis.
Et dulci quondam tinnitu pſallere cœlum,
Ac fulgore novo totum ſplendeſcere, & ultro
Tum varios pratis circum diffundere odores,
Atque novis radiis flavum ferveſcere ſolem,
Et placidam Phœbem fratri conjungere currus,
Rore polos humidos, & claro Juppiter imbre
Arentes quondam placide perſundere terras,
Ludere capreolos, cantu dulceſque volucres
Arbuſtis certare, ignes emittere montes.
Lætari valles, grandes inſurgere cautes,
Surgere tum dumis ramos bicoloris olivæ,
Serpentes hederas, lauros, & creſcere palmas,
Quid cedros Libani? crinitas dicere pinus
Littoris Adriaci? quid vites uſque Salerni?
Quarum antes, gemmas effœti fundere viſi.
Molliri ſentes valide, junciqne paluſtres
Extolli, & ſalices vitreæ, quid cuncta repandam?
Omnia lætitia gaudent, & carmine certant.

Solus in abſconſo Plutarchus triſtior antro
Flet miſere, ſtauratque domos, & limina ſera
Firmat, ut incaſſum tentet poſt vulnera Codrus
Ingreſſum, ſævaſque jubet vigilare ſorores.
Ipſe tamen Glaucus, dum cerneret omnia ſecum
Lætari, faciles fundebat pectore voces,
Et ſe ſe cœptis referens, cantabat odoros,
Paſtores puero portantes thura Sabæos,
Adveniſſe quidem celeri ad præſepia paſſu,
Sidere dante viam montana per ardua claro.
Huncque per exuſtas latum referebat arenas,
Virginis in gremio genitricis aduſque Canopos,
Et rabidum fugiſſe lupum, mœſtoſque dolentum
Balatus ovium, cæſos ob pequiter agnos,
Hincque globos legum ſolventem voce Lycurgum
Paſtorum in medio puerum, geſta atque priorum.
Inde Nathan fluvio lotum, monſtraſſe futuris,
Quo lavacro porcos mundaret ſorde vetuſta.
In Bromiumque Thetim verſam, pulſoſque Catones,
Compoſitos ignes, ventos, fluctuſque tumentes,
Aſclepii juſſu, maneſque, umbraſque ſepultas
Ad ſuperos remeaſſe iterum firmabat, & hujus
Oſtenſum dudum, quibus artibus uſque dolentes.
Purgentur vitio pecudes oleoque veternum.
Quo lapſæ juvenum firmentur robore vires.
Inde Palem, glandes, quas nuſquam terrea quercus
Geſſerit, invitam poſuiſſe labantibus ægris
In cœnam, pueris, & juſſa extrema dediſſe
Atheona pium, cecinitque hunc fraude Menalcæ,
Poſt epulas lotis pedibus, precibuſve peractis
Objectum canibus, quos inter peſſima paſſim
Plurima cantabat, mortique dediſſe trophæum
De ſe, jam nimiis laceratum morſibus, ob quod
Conſciſſos lapides, tractoſque in viſcera fontes,
Concuſſos motu montes, lucoſque revulſos,
Æthere & in terris ſparſas in luce tenebras,
Territa per ſilvas pecora, atque armenta, duceſque
Auditum mugire ſolum, votereſque parentum
Sur-

Surrexiſſe animas tumulis, ſilviſque reviſas.
Herculis hinc durum monſtrabat voce laborem,
Novia dum ſcopulis firmata refringere Caci,
Eſt auſus, raptoſque boves excerpere furi.
Nec non interea ſubdebat in ordine cantu
Poſt triduum laceros artus conſurgere vivos
Hippolyti, & ſilvis iterum, gregibuſque reviſum
Inſignem, lauro, & palmata veſte triumphi,
Mirum grande nimis, ſed quid non Juppiter ingens
Dum voluit potuit? poſt hæc ad ſidera motu
Aſcendiſſe ſuo Phœbum, claroſque relictis
Infuſos ignes ſociis, quos traxerat ante.
Hoſque per Arcturum miſſos, feroſque Britannos,
Æthiopas fuſcos, & Gangis fulgida rura.
Gl. O tibi nympha, decus, quot ſurgere læta per agros
Purpureos flores, & candida lilia cernes,
Mixta ſimul croceis, quot ſurgere læta per agros
Templa Deum, ſacras laudes, & munera cernes,
Et quos pulchra coles campos replerier omnes
Elyſios, & dulce ſolum regionis avitæ,
Hinc Codrus veniet, poſtquam reſoluta jacebit
Igne novo tellus, agnis ſeponere capros,
Atque dabit rebus finem, requiemque bubulcis;
Sed jam tempus adeſt rivos claudamus, Amynta.
Auct. Dum cecinit Glaucus, tacuit ſine murmure Tibris
Myrtilis auratos, frugum fluviique recentis
Immemores tenuit tauros, quos flumine vivo
Jam Glauco reticente ſimul ſe mergier undis,
Spurcitiem veterem tergentes atque renatos,
Miſceri ſe ſe gregibus per paſcua Glauci
Vidiſſes, plauſuque novo concedere carmen.
Heſperus oceanum cantu detentus olympo
Reſpuit, & feras conceſſit montibus umbras.
Ite domum pueri, paſtas revocate capellas,
Ipſe legam lauros, vati vos plaudite colles.

SAPHOS. Ecloga Duodecima.

Calliope, Ariſtæus.

Cal. Quid, puer, has inter lauros, ſtultiſſime, quæris
Nunc has, nunc illas carpens; temerarie neſcis
Sacrilegum violare nemus, niſi conſcia Quiris
Optatas frondes merito conceſſerit ante?
Ar. Ah ſcelus ex minimis tris forſan captus odore
Excerpſi, ſeu nympha loci, ſeu ſis Dea noſtras
Excute tu quercus, ac omnes collige glandes.
Cal. Cogis ut in riſum veniam, ſic obſecro quercus
Equiparas lauris? non illas Juppiter olim
Extulit in tantum, quamquam ſibi priſca dicarit
Illas relligio, neſcis ſtolidiſſime porcis
Serventur glandes, & laurea ſerta poëtis,
Quos nemori, fontique ſacro, pulchriſque Camœnis,
Et cytharis, plectriſque ſuis præfecit Apollo.
Ar. Ergo ſacrum Phœbi nemus, hoc pulcherrima virgo
Neſcius optatum teneo? quis denique præſtet
Quo viſurus eam laudatam carmine Mopſi,
Egregiumque gregem vatum, nymphaſque canentes?
Cal. Quid quæris, nemoriſque mei, quid conſpicis ũbras?
Ar. Ut videam Saphon, noſtin? da nympha receſſus,
Quis nunc lenta diem vertat ludendo per herbas.
Cal. Quid tibi cum Saphu cum ſis puer atque ſubulcus?
Ar. Heu quid? quid juveni credis cum virgine pulchra?
Uror, & amplexus cupio, turmaſque reliqui.
Inviſam, ut videam, nec quorſum, quærere noli.
Cal. Tu cupis amplexus Saphu? nunc ſidera lambant
Quos trahis ipſe ſues, volitentque per æthera vulpes,
Grus trahat, ac anſer pariter per rura quadrigas;
Si memini, tu nuper haras mundare ſolebas,
Et ſcabiem, morſuſque canum, ſeu vulnera veprum,
Nunc manibus purgare palam, nunc gurgite turpi
Unguine nunc vario, ſucciſque potentibus, atque
Galbaneis fumis, nigrique bituminis oſſa.

Viri-

Viribus ellebori, ſtillaque dolentis Amurcæ.
Vel potu triſtes alui depellere ſordes,
Ac herbis variis formare volutabra porcis,
Et nunc Saphon amas, expectet te quoque Pallas.
Ar. Erras, Argus erat, ſed quid non Saphon amarem?
Me Galatea diu, me quondam Phyllis amavit,
Et mollis lanugo genas nunc ſerpere cœpit.
Tradidit & calamos nobis Pandoctior, olim
Et cantus docuit; nec plebis fece creatus:
Cyrenes genitrix eſt nobis, Theſſala nympha,
Nomen Ariſtæus, glandes, & mella vetuſti
Archados accipio nemoris, te noſſe putabam.
Cal. Non ego te teneo, ſic eſt, noviſſe decebat.
Iſmarius tu grandis eras, tu Critis es Idæ.
Non ego te vidi pridem vulgare canentem,
In triviis carmen miſero plaudente popello?
Ar. Vidiſti fateor, non omnibus omnia ſemper
Sunt animo, puero carmen vulgare placebat.
Illud Lemniadi claudo conceſſimus, aſt nunc
Altior eſt ætas alios quæ monſtrat amores.
Cal. Ecaſtor memini nuper diſſolvere linguam
Vix poterat Bathos, ſubito nunc culmina poſcit
Parnaſi, ſtolide captus fervore Dearum,
Factus Ariſtæus, ſed quid non fecit olympus?
Ar. Quid loqueris nunc ipſa tibi? da nympha precamur
Virginis antra meæ, crucior. me fervor adurit.
Cal. Quærere, credo putes Phyllim, ſeu forte Lupiſcam
Quas nemorum, pomis trahitis quandoque per umbras
Hæc Dea, magna quidem, paucis & cognita dudum.
Ar. Meonius paſtor potuit vidiſſe Tonantis
Conſortem, nataſque Dryas ſub quercubus altis
Exuviis nudas, quid non ego cernere Saphon?
Cal. Sic illis viſum; dic tu quo noveris illam?
Ar. Minciadem Silvanus heri, qua Sorgia ſaxo
Erumpit, vallis currens per devia clauſæ,
Convenit, placidaque ſimul ſedere ſub umbra
Ilicis antiquæ; quos poſtquam fronde virenti
Umbraſſe eſculea frontes, & carmine vidi,

Certantes ambo ferrent ſuper æthera cantu,
Acceſſi, & tacitus mediis vepretibus altis
Delitui, porcis Gethæ, ſiliquiſque relictis.
Laudibus hi Saphon reſonantibus undique ſaxis,
Vocibus, & calamis pariter ſuper aſtra ferebant,
Miratus fateor, confeſtim Phyllide mentem
Diverti, ſenſique novos ambire furores,
Intentum modulis pectus; captuſque repente
Exquiro Saphon, cupiens quibus ipſa moretur
Antra videre oculis, quid ſi tu forſitan eſſes?
Nam geſtu, facieque Deam, verbiſque fateris.
Cal. Non auſim juvenis, Saphon me dicere, cum ſim
Obſequiis injuncta ſuis; ſi inſpexeris illam.
Longe aliud dices, verum tibi maximus inſtat
Ante labor; nimium celſos intratis amores;
Præcipites cum turpe nimis ſit vertere greſſus.
Ar. Quid Saphos, ſi tanta tibi reverentia vultus?
Non equidem ſilvis Phyllis, non Delia cœlo
Pulchrior, aſt nobis nomen pulcherrima virgo
Pande, genuſque tuum, ſi noſtras venit ad aures.
Cal. Calliopes vocitor, magni Jovis inclita proles,
Caſtalii nemoris cuſtos, fontiſque ſonori,
Ut reor omnino veſtris incognita ſilvis.
Ar. Immo equidem memini; grandis ſic ante canebat
Minciades, grandiſque ſimul Silvanus in antro.
Tu ſilvas reſonare doces, tu maxima Saphu
Voce refers concepta ſacri tibi pectoris hauſta,
Sed dic quas teneat ſedes pulcherrima Saphos.
Cal. Panis nata Dei celſum tenet optima Nyſæ
Saphos, Gorgonei reſidens in margine fontis,
Hujus ſidereos oculos, faciemque ſerenam
Conceſſum paucis, dudum vidiſse bubulcis.
Laurea ſerta tegunt, & velum frontis honeſtæ,
Cujus in obſequium circum ſumus inde ſorores
Pierides omnes, ſibi cantat pulcher Apollo.
Ar. Quid montes habitat Saphos? quid reſpuit urbes?
Quid faciem formoſa tegit, renuitque videri?
Cal. Hæc ſibi dum vigilat nemorum meditatur honores,
At-

Atque ſedens fuſcos Plutarchi viſitat hortos,
Concipiens nigræ fletus, & diſſona ſilvæ.
Vel pelagi ſecreta notat, lucoſque ſub undis
Phorcinidumque choros trahit, & perſæpe Napæas.
Vel petit Elyſios colles, & gramina læta
Conſpicit, & placidos flores, frondeſque virentes,
Ac avium cantus, & pulchri ſidera cœli,
Viſaque ſublimi complectitur omnia plectro,
Et viridis complexa libri ſub tegmine ponit.
An ne putas, vulgus ſtolidum, ſeu garrula turba
Auritos tondens aſinos, permitteret iſta?
Non equidem clamore gravi, dum ſtringeret hircos,
Omnia turbaret, montana gloria dulci
Pace ſibi plena expetiit mea Fulgida diva.
Et quia quos quærit fruſtra laſciva puella,
Chironi flores pedibus calcamus euntes
Vere novo, Saphos celſo ſe condidit antro,
Atque ſacros lauro texit caſtiſſima vultus.
Ar. Vidi ego conflantem carmen cœleſte Aracyntho
Paſtorem celebrem primo, tandemque cicuta
Sublatum; & Latiis ſe pulſum vidit ab arvis,
Qui Pœnos ſeptis contriverat ante leones.
Sat vidiſſe oculis, ſemel eſt mirabile quodque.
Cal. Sic eſt, ſic ſanctum nimio contemnitur uſu.
Præterea vultu quidam carpſere minaci
Innocuam, maculiſque piam depingere frontem
Si poſſent auſi, quæ poſtergaſſe neceſse eſt.
Ar Immo age nympha precor, maculas oſtende nefandas.
Cal. Mendacem, & ſtupris fœdam, morumque ruinam
Hanc plures dixere Deam, ſcenaſque colentem
Dixerunt alii, mimamque ambire theatra.
Soccos nonnulli damnant, vetereſque cothurnos,
Hi Superum fidibus dicunt, quia cantet amores,
Et facie ficta geſtus deſignet avitos.
Pellendam patria, quaſi regnans occupet urbes.
Syrenam vocitant alii, lucrique voracem,
Cum nequeant, renuantque ſuos cognoſcere cantus.
His etiam commota, volens ſua culmina ſervat.

Ar. Dum porcam Cereri, Baccho dum cædimus hircum,
Forte graves vino ludentes, talia quidam
Eructant curanda parum, pereuntque per auras.
Cal. Non ſic conati nemorum maculare priores?
Ar. Qui precor? an ſano tanta eſt inſania cuiquam?
Cal. Ericolas tales merito dixere veterni.
Ar. Non ſatis accipio qui ſint, tu credo Platoni,
Nympha, putes nunc verba loqui, magnove Lycurgo
Ruſticus, & paucis aſſuetus nympha, rudiſque.
Cal. Qui nuper raptas pecudes ex ore luporum
Dentibus excerpunt, magnos audentque boatus
Vendere ſimplicibus, qui ſe ſe noſcere cauſas
Infecti pecoris, fontes, herbaſque ſalubres,
Et cœli mutare vices. nemorumque fatentur.
Qui Superum ſedes deſcribunt voce ſuperbi.
Et ſentire Deum ſenſus, cauſaſque moventes
In ſilvas fulmen, ſacra atque piacula dicunt.
Ar. Quid precor agricolis eſt cum paſtore? per agros
Ille boves terram cogit reſcindere aratro,
Hic cogit virga pecudes in paſcua, cogit
Vinitor ut certo conſiſtant ordine vites.
Lac premit iſte manu, quod ſumpſit ab ubere pingui
Rancidulus, nil ergo videt de jure bubulci
Ruſticus, & paſtor neſcit de more bubulci.
Nullum ſorte ſua contentum liquit Erinnys,
Hinc peragunt rixas tauri, ſævique leones.
Sed da quæſo viam, qua poſſim lenius alta
Scandere Parnaſi, Saphonque videre canentem.
Cal. Turbavere quidem veſtigia longa viarum.
Et nemorum veteres rami, cauteſque revulſi,
Impliciti ſentes, pulviſque per æthera vectus.
Velleris atque fames, & grandis cura peculi
Neglexit latos montis per ſæcula calles,
Hinc actum ut ſcrobibus viſis, in terga redirent
Jam plures, peterentque ſuos per paſcua fines
Ar. Non ego convertar facilis, nam ſæpe nivoſi
Conſcendi rupes pedibus, ſcopuloſque Lycæi.
Omnia continui, ſuperant mihi crede labores.

Cal. Vicit & ingenium vires, non talia quivit
Exuperare labor, fruſtra ſudavit in altum
Ferreus Arpinas, calamis, & voce ſonorus,
Ar. Mens illi non iſta fuit, nec carminis ardor.
Naſcimur in varios actus, quos optima virtus
Si ſequitur, facili ducetur ad ultima curſu.
Cal. Si tibi tantus amor fontis, Saphuque videndi,
Accipe conſilium, nam quemquam ducere nobis
Ipſa quidem vetuit Saphos, & lege perenni.
Solus inacceſſum potuit conſcendere culmen
Nuper Silvanus, nobis nec charior alter
Mincidis poſt fata fuit, non paſtor Ophelтes
Aonii pecoris ſtragem qui carmine pinxit.
Hunc adeas, dabit ipſe tibi quibus uſus amicis,
Et quibus ipſe viis conſcendit culmen amatum.
Ar. Ibo quidem, & geminos mecum portabo ſuellos,
Silvanum ſi forte queam divertere donis.

LAUREA. Ecloga Decimatertia.

Daphnis, Stilbon, Critis.

Daph. Ocia nunc celebras Stilbon, mirabile viſu,
Et qui ſcabroſas ambire ſueveris alpes,
Candidulos manibus tractans hic inde lapillos,
Torrentis vitrei recubas jam ſegnis in umbra.
Stil. Rupe ſub hac celſa nuper verſutus Amyclas
Forte recenſebat capros, & pulchra Phaſelis
Frondoſas ſalicum carpebat ab aggere virgas
Falce, gregum raris cupiens innectere ſeptis.
Hi feſſum tenuere pecus, tenuere magiſtrum,
Et quos debebant hædos, mihi ſorte dederunt,
Sed tu quid valles peragras, qui lentus in antris
Nunc calamis, nunc voce Deos, mulcere ſolebas?
Ardua non rapidi librat, dic, Phœbus olympi?
Daph. Librat, non homini ſemper datur æqua voluptas.
His umbris equidem tecum refovebo capellas,
Quas habeo feſſas, dum ſcandat mitius aſtrum.

Stil. Immo age, da rivos hircis, umbraſque capellis,
Et mecum, mi Daphni, ſede, placideque precamur;
Dic quæ te curæ curvatum fronte fatigent.
Daph. Gargaphias memini valles, dum ſibilus auræ
Is me lenis agit, Zephyrus ſic omnia circum
Complebat, tunc ipſe meam cantare ſolebam
Elpida, qua ſilvis viſa eſt nec pulchrior ullis.
Stil. Elpis nota mihi, ſed non quam forte recenſes,
Hæc Chryſidis comes, & tua quæ fuit obſecro, Daphni,
Daph. Incola Parnaſi, Nyſæ ſociata Napæis.
Stil. Cæcus amor, cæcique ſumus quicumque ſequentes,
Aonias colit iſte Deas, quibus ultima rerum
Pauperies conjuncta manet, ſemperque manebit,
Cœlitibuſque Deis præfert, ſuadente Dione.
Silveſtros baccas dat laurus, & alga cubile,
Pallenteſque legunt verſus, & murmura criptis.
Tityrus Iſmenus Tybris cantavit ad undas,
Paſtores Tyrios, & fractos vulnere tauros
Argolicos, victuſque fame poſt vendidit agnam,
Nec potuere ſitim latices ſedaſſe Thaliæ.
Daph Sunt oleæ molles, & poma recentia menſis
Addita nunc veſtris, & ſtrata cubilia fronde
Silvis in mediis, ſervat dum Nurſia ludum.
Sed qui Moenias aurum faciebat arenas,
Ac dives latius potator Parthicus auri
Quas habuere dapes, dum flexit nubila vultus?
Vivimus immunes monſtri, nec pendimus iras
Contenti paucis, lauroque innectere crines.
Stil. Rara refers equidem, duris & debita fatis,
Si vacat enumera quot pavit taurus Amyntæ
Quotque greges Mopſo, Pindus, quot Menalus Argo,
Quot Polibo Eurotas Phorbanti quotque Erymanthus;
Alcidis numera pompas, tumuloſque Canobum,
Deficiet tempus, fulgent monimenta priorum;
Vos ſtolido montes fertis volitaſſe boatu,
Saxaque Dircæum, fluvios, undaſque ſequaces,
In fontes rediiſſe ſuos, quercuſque revulſas
Caſtaliis nymphis cithara cantantibus olim.

Sic

Daph. Sic orbare procos Chryſis male cognita novit,
Dum volvit miſeros, ſed ne vertantur in iram
Jurgia, cantemus carmen ſub judice certo,
Tuque Ligus, Tyrrhenus ego, tibi fiſtula collo,
Suntque mihi tenues ſtipulæ, cantabimus ambo.
Stil. Credis ut effugiam forſan, mihi tradidit Hermes
Compertos calamos, ſumus & cantare parati,
Arcadios quamquam dicas habuiſſe magiſtros,
Et quod non audes munus certaminis, ipſe
Deponam vitulam, qua non eſt pinguior ulla
Armentis, etiam ſi clamitet inde noverca.
Daph. Eſt mihi grex parvus, nec poſſum munera tanti.
Dux gregis eſt hircus, tibi ſit ſi victor abibis.
Stil. Te dignum ponis munus, non hercle recuſo.
Eſt mihi quam credas ars major, victor abibo.
Sed quis erit quæſo judex certaminis hujus?
Daph. Non video in ripa purgantem vellera Critim?
Nunc ovium, lappaſque gregis, tribuloſque levantem?
Criti tibi dico, nobis nunc quæſumus adſis,
Et noſtros animo medius fac collige verſus.
Ardua res agitur magno ſub munere nobis.
Cri. Dicite, namque adero donec ſua vellera ſiccet
Hoc pecus, en ſedeo, dulces dat parvulus amnis
Tinnitus, medios inter labendo lapillos.
Atque tacent volucres; Stilbon tu dicito primus,
Hinc Daphnis, vicibuſque ſuis det carmina quiſque.
Stil. Hos calamos, tibi ſacra damus ſi vicero, quercus.
Daph. Tuque virens ſemper noſtros mea laurus habeto.
Stil. Noſter amor Chryſis, noſtros levat ipſa labores,
Ipſa vias nemorum, florum diſtincta corollis
Oſtendit, ſtipuliſque meos deſcribit amores,
Frondibus ut videam veniens quod pergit in antrum.
Daph. Currit in amplexus, quoties libet ire per umbras
Ætherei nemoris, noſtros mea Leſbia Saphos.
Atque volens Pario lapidi mihi carmina celte
Imprimit, & duris mandat mea nomina Tophis.
Stil. Carpatiæ valles, ſervant ſub judice Protheo
Mille mihi vitulos, totidem pinguiſſima Cyrnos
Hir-

Hircos cum gregibus nutrit, premit ubera Dilos.
Congerit Alopis cenſus, Onagroſque fatigat.
Daph. Menalus & nobis lunata fronte juvencos
Bis totidem, his fontes Silvanus monſtrat, & herbas.
Parnaſuſque biceps Muſis cantantibus auget,
Lanigeras agnas, & grandia præmia ſervat.
Stil. Jungere delphines, magnas & cogere frenis
Balenas, nullos volvit docuiſſe Talaſſon
Nos præter, quos ſæpe manu ſuperaſſe ſonoros
Tritonas vidit, natas & vincere Phorci.
Daph. Ponere nos docuit fines aliquando Talaſſo
Phœbus, & agreſtes Phytonas vincere telis.
Et ſtipulis grandes in rixas vertere divos.
Dum nemus omne ſuum luſtramus pectine vates.
Stil. Maſſicus arva ferit, ſervat Garganus ariſtas,
Vina Ligus noſter, Dictæus retia tendit.
Mella dat Iblæus, ſuppletque armenta Britannus.
Et ſi thura petam, Libanus dabit optima nobis.
Daph. Quis cœlum primus dederit, quis ſidera cœlo
Quis frondes ſilvis præſtet, quis ſemina rerum,
Fortunas nemorum, cantataque damna trophæis,
Deſignat radio Pallas pulcherrima nobis.
Stil. Novit Hiperboreus, quæ gignat maximus Atlas,
Quidque ferat Meroe fervens Scathinavia novit,
Noſtro opere, ac undas volucres miſcemus Ibero
Gangis, & Æthiopum Boreas cognoſcit arenas.
Daph. Ferrea vox nobis, annis invictaque laurus,
Cantaber hinc noſcat facimus, quos non videt Indos,
Ac Orco merſos ſuperas revocamus ad auras,
Et magnum placidis ſuperamus cantibus annum.
Stil. Palmite pampineo Cereris ſacra cinget Eleuſis
Cinthius, aut rapiet buxos, & timpana Bacchi,
Ac olidus Paphiæ Veneri mactabitur hircus,
Si Mopſi calamis tenuis ſuperetur Amyclas.
Da. Dum cingent ulmos hederæ, parientque corymbos,
Margine Penæi dum ſurgent undique lauri,
Littore dum bicolor naſcetur myrtus amato,
A tenui Bavio grandis vincetur Amyclas.

Stil.

Stil. Phorcinidum læti nautæ cantamus amores;
At triſti torpent ſcrobibus cum murmure vates;
Eolus inde favet, cœptis favet inde Palæmon,
Libetrides rident verſus, rident Aganippæ;
Daph. Heroum læti vates cantamus honores,
At nautas miſeros ſcopulus terit, unda fatigat,
Libetrides ſervant carmen, ſervant Aganippæ,
Eolus inde rapit miſeros, rapit inde Palæmon.
Stil. Scis fleviſſe Deas, fidibus, ſtipuliſque canoris
Confractis, parva ventis ſurgente favilla.
Romuleus Mavors quandoque volumina mille
Solvit, & in cineres juſſit volitare papiros.
Daph. Romuleus nuper Cilices diſperſit Amyntas,
Montanos faciens ſolitos innare carinis;
Sic Ligurum veniet qui calcet colla ſuperbus
Anguis, & eripiat male partos undique capros.
Cri. Jurgia paſtorum non eſt compeſcere parvum,
Et tu dignus eras vitula, tu dignus & hirco.
Sat dictum, pueri duras componite lites,
Ibo ego nunc agnis tonſurus forfice lanam.

OLYMPIA. Ecloga Decimaquarta.

Silvius, Camalus, Therapon, Olympia.

Sil. Sentio (ni fallor) pueri pia numina ruris,
Lætari, & cantu volucrum. nemus omne repleri.
Itque, reditque Lycos, blando cum murmure, quidnā
Viderit ignoro, cauda teſtatur amicum.
Ite igitur, jam clara dies diffunditur umbris,
Præcantata diu quid ſit perquirite, quidve
Viderit inde Lycos noſter, compertaque ferte.
Cam. Dum nequit in ſomnum miſerū componere pectus,
Imperat ex molli recubans heu ceſpite mœſtus
Silvius, & noctis pavidas luſtrare tenebras
Vult pueros, longo feſſos in luce labore.
Sil. Camale, dum primos terris præſtabit Iberus
Nocturnos ignes, currus dum Delia fratris

Ducet ad occaſum, dum ſternet cerva leones,
Obſequium præſtabit hero ſine murmure ſervus;
O Therapon, ſtabuli tu ſolve repagula noſtri,
Pone metum, videas catulus quid viderit oro.
Th. Feſtina, fac ſurge ſenex, jam corripit ignis
Jam veteres quercus, & noctem lumine vincit,
Uritur omne nemus, fervens jam flamma penates
Lambit, & occurſu lucis perterritus, intra
Feſtinus redii, lambit jam flamma penates.
Sil. Paſtorum venerande Deus Pan, deprecor adſis,
Et vos, o pueri, flammis occurrite lymphis.
Siſte parum Therapon, paulum conſiſte, quid iſtud?
Quid video? ſanus ne ſatis ſum? dormio forſan?
Non facio, lux iſta quidem non flamma, vel ignis.
Nonne vides lætas frondes, coryloſque virentes
Luminis in medio, validas ac undique fagos
Intactas? immo nec nos malus ardor adurit.
The. Si ſpectes cœlo, teſtantur ſidera noctem,
In ſilvis lux alma diem, quid grande paratur?
Sil. Sic natura vices variat, noctemque, diemque
Explicuit myrtos terris, nec lumina Phœbæ,
Nec Solis radios cerno, non ſentis odores
Inſolitos ſilvis? nemus hoc ſi forte Sabæum
Feciſſet natura parens; quos inde recentes
Nox peperit flores? quos inſuper audio cantus?
Hæc ſuperos ambire locos, & paſcua ſignant.
Olym. Salve dulce decus noſtrum, pater optime, ſalve.
Ne timeas, ſum nata tibi, quid lumina flectis?
Sil. Neſcio num vigilem, fateor, ſeu ſomnia cernam,
Nam coram genitæ voces, & dulcis imago
Stant equidem, timeo falli, quia ſæpe per umbras
Illuſere Dei ſtolidos; nos clauſtra petamus.
Olym. Silvi, quid dubitas? an credis Olympia patrem
Ludat? & in lucem ſe ſe ſine numine divum
Præbeat? huc veni, lacrimas demptura dolentes.
Sil Agnoſco, nec fallit amor, nec ſomnia fallunt.
O nimium dilecta mihi ſpes unica patris,
Quis te, nata, Deus tenuit? te fuſca ferebat

Cal-

Calcidicos colles, & paſcua lata Veſevi.
Dum petii raptam nobis, Cybeliſque ſacrato
Abſconſam gremio, nec poſt hæc poſſe videri.
Quod credens, mœrenſque miſer mea virgo, per altos
Te montes, umbraſque graves, ſaltuſque remotos
Ingemui, flevique diu, multumque vocavi.
Sed tu ſi mereor, refera, quibus obſecro luſtris
Te tenuit tam longa dies? dic munere cujus
Intertexta auro veſtis tibi candida flavo?
Quæ tibi lux oculis olim non viſa refulget?
Qui comites? mirum quam grandis facta diebus
In paucis, matura viro mihi nata videris
Ol. Exuvias quas ipſe mihi venerande dediſti,
Ingenti gremio ſervat Berecynthia mater.
Has veſtes, formamque dedit, faciemque coruſcam
Parthenos, ſecumque fui, ſed reſpice numquid
Videris hos uſquam comites, vidiſſe juvabit.
Sil. Non memini vidiſſe quidem, nec pulchrior inquam
His Narciſſus erat, non talis denique Daphnis,
Qui Dryadum ſpes læta fuit, non pulcher Alexis.
Ol Non Marium, Julumque tuos, dulceſque ſorores
Noſcis, & egregios vultus? tua pulchra propago eſt.
Sil. Abſtulit effigies notas lanugine malas
Umbratas vidiſſe meis, jam jungite dextras,
Amplexuſque meos, ac oſcula læta venite
Ut præſtem, ſatiemque animam, quas Pan tibi laudes,
Quas, Silvane, canam? pueri nudate paleſtras,
Et ludos agitate patrum, ſtent munera fagis
Victorum ſuſpenſa ſacris, pateraſque parate
Spumantes vino, lætum cantate Lyæum,
Et ſertis ornate Lares, altaria ſurgunt
Ceſpite gramineo. Triviæ mactate bidentem
Candidulam, noctique piæ ſic cedite fulvam.
Fer calamos pueris Therapon, fer ſerta puellis.
Ol. Sunt, Silvi, calami, ſunt ſerta decentia nobis.
Et ſi tanta tibi cura eſt deducere feſtum,
Ignotos ſilvis modulos cantabimus iſtis.
Sil. Immo, ſilva ſilet, tacitus nunc defluit Arnus,

Et ſilet omnis ager, pueri, vos atque ſilete.
Ol. Vivimus æternum meritis, & numine Codri,
Aurea qui nuper celso dimiſſus olympo
Parthenu in gremium, revocavit ſæcula terris,
Turpia paſtorum paſſus convitia, cedro
Affixus letho, conceſſit ſponte triumphum.
Vivimus æternum meritis, & numine Codri.
Sic priſcas ſordes, morbos, ſcabiemque vetuſtam
Infecti pecoris præclaro ſanguine lavit,
Hincque petens valles Plutarchi ſepta refrinxit,
In Solem retrahens pecudes, armentaque patrum,
Vivimus æternum meritis, & numine Codri.
Morte hinc proſtrata campos reſeravit odores
Elyſii, ſacrumque gregem deduxit in hortos
Mellifluos, victor lauro, quercuque refulgens,
Optandaſque dedit nobis per ſæcula ſedes.
Vivimus æternum meritis, & numine Codri.
Exuvias in fine ſibi, pecus omne reſumet;
Ipſe iterum veniens capros diſtinguet ab agnis,
Hoſque feris linquet, componet ſedibus illas
Perpetuis, cœloque novo poſt tempora claudet.
Vivimus æternum meritis, & numine Codri.
Sil. Sentis quam ſtulti Latios cantare putamus
Paſtores calamis perdentes tempora vocum?
Menalios vidi juvenes per dorſa Lycæi,
Threicium & vatem ſolitum deducere cautes
Carmine, nec quemquam poſſum concedere tanti,
Ut ſimilem natis faciam, quæ guttura? quæ vox?
Quis concentus erat? ſtipulis quis denique flatus?
Non equidem nemoris cuſtos regina canori
Calliopes, non ipſe Deus qui præſidet antro
Gorgoneo æquiparet, flexere cacumina quercus,
Et tenues nymphæ tacitos petiere regreſſus,
In lucem manſere lupi, catulique tacentes.
Præterea, o juvenes, ſenſiſtis carminis hujus
Cœleſtes ſenſus? numquam mihi Tityrus olim
Cantavit ſimiles, ſenior nec Mopſus apricis
Parrhaſius ſilvis, ſanctum, & memorabile totum eſt.
Vir-

Virginibus niveæ dentur (mea cura) columbæ,
Aſt pueris fortes dederat quos Iſchiros arcus.
Ol. Sint tua, nil fertur quod ſi mortale per oras,
Quas dites colimus, renuunt æterna caducum.
Sil. Quas oras mea nata refers? quas deprecor oras?
Nos omnes teget illa domus, ſomnoſque quietos;
Herba dabit viridis, ceſpeſque ſub ilice menſam.
Vitreus is large præſtabit pocula rivus,
Caſtaneas mites, & poma recentia nobis
Ruſtica ſilva feret, teneros grex fertilis hædos,
Lacque ſimul preſſum, quas ergo exquiritis oras?
Ol. Non tibi, chare pater, dixi, Berecynthia mater
Exuvias gremio ſervet, quas ipſe dediſti?
Non ſum quæ fueram dum tecum parvula vixi
Nam numero ſum juncta Deum, me pulcher olympus
Expectat, comiteſque meos, ſtat vertere greſſus
In patriam, tu vive pater dulciſſime felix.
Sil. Heu moriar lacrimans, miſerum ſi nata relinquis.
Ol. Pone precor luctus, credisſe refringere fatum
Nunc lacrimis? omnes ſilvis quotcumque creati
Naſcimur in mortem; feci quod tu quoque, Silvi
Poſt facies, noli quæſo lacerare Deorum.
Invidia æternos annos, tibi crede quietem
Poſt funus, laudeſque pias mi reddito cœlo.
Quod moriens fugi mortem, nemorumque labores.
Separor ad tempus, poſt hæc me quippe videbis,
Perpetuoſque trahes mecum feliciter annos.
Sil. In lacrimis oculos fundam, triſtemque ſenectam,
Heu quibus in ſilvis poſt anxia fata requiram
Te profugam ex noſtris bis raptam viribus ulnis?
Ol. Elyſium repeto, quod tu ſcanſurus es olim.
Sil. Elyſium memini, quondam cantare ſolebat
Minciades ſtipula, qua nemo doctior uſquam.
Eſtne quod ille canit veſtrum? didiciſſe juvabit.
Ol. Senſerat ille quidem vi mentis grandia quædam,
Ac in parte loci faciem, ſed pauca canebat
Si videas quam multa tenet, quam pulchra piorum,
Elyſium, ſedeſque Deum gratiſſima noſtrum.

Sil.

Sil. Quos tenet iſte locus montes? quibus inſitus oris?
Quæ non Minciades vidit, ſeu ſponte reliquit
Da nobis, audire, fuit perſæpe laborum
Utile ſolamen, veniet mens forte videndi.
Ol. Eſt in ſeceſſu pecori mons invius ægro,
Lumine perpetuo clarus, quo primus ab imis
Inſurgit terris Phœbus, cui vertice ſummo
Silva ſedet palmas tollens ad ſidera celſas.
Et lætas pariter lauros, cedroſque perennes,
Palladis ac oleas optatæ pacis amicas.
Quis queat hinc varios flores? quis poſſet odores
Quos lenis fert aura loco? quis dicere rivos
Argento ſimiles? mira ſcaturigine circum
Omnia rorantes, lepido cum murmure flexus
Arbuſtis mixtos, nunc hinc, nunc inde trahentes?
Heſperidum potiora locus fert aurea poma.
Sunt auro volucres pictæ, ſunt cornibus aureis
Capreoli, & mites damæ, ſunt inſuper agnæ
Velleribus niveis, claro rutilantibus auro.
Suntque boves, taurique ſimul, pingueſque juvencæ,
Inſignes omnes auro, miteſque leones,
Crinibus & mites Gryphes radiantibus auro;
Aureus eſt nobis ſol, ac argentea luna.
Et majora quidem, quam vobis ſidera fulgent.
Ver ibi perpetuum, nullis offenditur Auſtris,
Lætaque temperies loca poſſidet, exulat inde
Terreſtris nebula, & nox, & diſcordia rerum;
Mors ibi nulla manet gregibus, non ægra ſenectus,
Atque graves abſunt curæ, macieſque, dolorque.
Sponte ſua veniunt cunctis optata; quid ultra?
Dulciſono reſonat cantu mitiſſimus aër.
Sil. Mira refers, ſanctamque puto ſedemque Deorum
Quam memoras ſilvam, ſed quis nam præſidet illi?
Et comites, mea nata, refer, rivuſque locorum.
Ol. Hac in gramineo ſummo ſedet aggere grandis
Archeſilas, ſervatque greges, & temperat orbes,
Cujus enim ſi forte velis deſcribere vultus,
Incaſſum facies, nequeunt comprehendere montes.

Eſt

Eſt alacer, pulcherque nimis, totuſque ſerenus,
Hujus & in gremio jacet agnus cand dus, ex quo
Silvicolis gratus cibus eſt, & veſcimur illo.
Inde ſalus venit nobis, & vita renatis.
Ex his ambobus pariter ſic evolat ignis,
Ut mirum credas; hoc lumen ad omnia confert,
Solatur mœſtos, & mentis lumina purgat,
Conſilium miſeris præſtat, vireſque cadentum
Inſtaurat, dulceſque animis infundit amores.
Stat Satyrûm longæva cohors, hinc undique ſupplex
Omnis cana quidem, roſeis ornata coronis,
Et cytharis agni laudes, & carmine cantat.
Purpureus poſt ordo virum, venerabilis inquam,
Et viridi cunctis cinguntur tempora lauro.
Hi cecinere Deum ſtipulis, per compita verum.
Et forti ſævos animo vicere labores.
Agmen adeſt niveum, poſt hos, cui lilia frontes
Circundat, huic juncta cohors tua pulchra manemus
Natorum, crocei ſequitur poſt ordo coloris
Inclitus, & magno fulgens ſplendore, ſonora
Voce Deum laudes cantat, regique miniſtrat.
Quos inter placido vultu cantabat Aſylas,
Dum ſilvis aſſumpta prius ſum, monte levatis.
Sil. Ergo precor noſter montem conſcendit Aſylas?
E meruit, nam mitis erat, fideique vetuſtæ
Præclarum ſpecimen, faciat, Deus ipſe reviſam.
Sed dic? tene precor novit, dum culmen adires?
Ol. Immo equidem applaudens injecit brachia collo.
Et poſtquam amplexus lætos, ac oſcula centum
Impreſſit fronti, multis comitantibus, inquit,
Veniſti o noſtri ſoboles cariſſima Silvi
De Libano? nunc ſponſa veni ſacroſque hymenæos
Cantemus, matremque viri mea neptis honora.
Meque trahens genibus flexis, quo pulchra ſedebat
Parthenios poſuit, læta hæc ſuſcepit in ulnis
Ancillam, dixitque pie: mea filia noſtris
Ecce choris jungere piis ſponſique frueris
Æternis thalamis, & ſemper Olympia cœlo

Quæ fueras terris violantes, inclita ſies.
Inque dedit veſtes quas cernis; ſi tibi narrem
Quos cantus tunc ſilva dedit, quos fiſtula verſus
Paſtoris lyrici, credes vix, omne per antrum
Inſonuit carmen montis, tantuſque refulſit
Ignis, ut exuri dixiſſes omnia flammis,
Et totum roſei cecidere per aëra flores.
Sil. Quæ ſit Parthenos nobis ſuper adde precamur.
Ol. Alma Jovis genitrix hæc eſt, & filia nati,
Splendens aula Deum, cœli decus, inſcia noctis.
Æthereum ſidus, paſtorum certa ſalutis
Spes, cuſtoſque gregum, requieſque optata laborum,
Hanc Fauni, nymphæque colunt, hanc grandis Apollo
Laudibus extollit cythara, dominamque fatetur.
Quæ reſidens ſolio patris veneranda vetuſti,
A dextris geniti, tanto ſplendore refulget,
Ut facie ſilvam, montem, colleſque, poloſque
Lætificet formoſa nimis, cui candida circum
Agmina cygnorum volitant, matremque ſalutant,
Luminis æterni ſponſam, genitamque cientes.
Sil. Et vos quid pueri, plaudunt dum gutture cygni?
Nos pueri legimus flores, factiſque corollis
Cingimus intonſos crines, lætiſque choreis
Ambimus ſilvam, fontes, rivoſque ſonoros.
Et mediis herbis ludentes vocibus altis,
Parthenu placidæ, meritos cantamus honores.
Et geniti laudes pariter; quis gaudia ſilvæ
Enumerare queat? quis verbis pandere? nemo
Induat ut volucres pennas, quibus alta volatu
Expetat, & videat, opus eſt, ſunt cetera fruſtra.
Sil Sunt optanda quidem, ſed quis mihi Dædalus uſquam
Qui tribuat pennas agiles, nectatque lacertis,
Oſtendatque viam facilem, doceatque volatum?
Ol. Paſce famem fratris, laſſis da pocula feſſis,
Adſis detentis, & nudos contege lapſos,
Erige dum poſſis, pateatque forenſibus antrum;
Hæc aquilæ volucres præſtabunt munera, pennas,
Atque Deo monſtrante viam, volitabis in altum.
Sil.

Sil. Quo tendis? quo nata fugis? miſerumque parentem
Implicitum linquis lacrimis; heu ceſſit in auras
Æthereas, traxitque ſimul quos duxit odores.
In mortem lacrimis, ibo, ducamque ſenectam;
Vos pueri vitulos in paſcua pellite; ſurgit
Lucifer, & mediis jam ſol emittitur umbris.

PHILOSTROPHOS. Ecloga Decimaquinta.

Philoſtrophus, Typhlos.

Ph. Luſimus, & ſertis nimium, nymphiſque vacatum eſt,
Inſtat hyems, ſiduſque malum, mi Typhle, minatur
Exitium pecori; non cernis ſumma Cephœi
Jam texiſſe nives, & ſilvas ponere frondes?
Ty. Quid montes ſpectem? video flaveſcere campos
Et cantu raucæ quatiunt arbuſta cicadæ.
Ph. Falleris, aſt veniant ſegetes, cantentque volucres,
Nonne puer Hiacynthus erat? puer & Cipariſſus?
Florebat juvenis, cecidit dum pulcher Adonis,
Et victor florebat herus Calidonius apri?
Exarſere novi pratis jam frigore flores,
Et Cereris grando plenas vacuavit ariſtas,
Eſt mutanda quidem ſedes, dum tempora cedunt.
Ty. Quis neget incautos quoſdam cecidiſſe puellos
Aſt ego ſi varios timeam quos aſtra minantur
Armentis caſus, nuſquam mihi paſcua tuta,
Hic gelidi fontes, hic paſcua pinguia, quid plus?
Cœlum mite ſatis pecori, coryliquc frequentes,
Glandiferæ quercus, & celſæ vertice pinus.
Novimus hic omnes ſaltus, & luſtra ferarum.
Quid potius quæram? diſſolvet more vetuſto
Sol glaciem, pelletque nives, frondeſque redibunt.
Ph. Heſperidum tibi poma Chryſis, fonteſque Ticini
Spondet, & apricas Penæi littoris umbras;
Murmure ſic blando, & lacrimis verſuta Diones.
Heu pedibus laqueos, & collo vincula nectit.
Si fors illa tuum feriat caput impia, quæ jam

Pervigilem, lucis Daphnim ſubtraxit, & Argum.
Cognoſces lacrimans, quid nunc mea verba reſultent.
Ty. Quid tandem ſi vita placet? ſunt otia nobis,
Exoptanda Deis, & ſpes majora reſervat.
Ph. Non prius humentem cantu ſecedere noctem
Excubitor præmonſtrat avis, quam ſurgito, Typhle,
Inquit, amica Chryſis, pete paſcua, ſolvite ſeptas.
Surgis iners, gelidas tenebroſa per invia valles
Innixus baculo quæris, tectuſque galero.
Hic imbres quatiunt miſerum, lubricumque fatigat
Inde ſolum; nunc terga tibi, nunc pectora nudat
Infeſtus Boreas; pelles injuria vincit
Ætheris adverſi; veniet ſed mitior æſtas;
Inſomnes noctes, radios dabit illa diurnos.
Intentos ſtimulis culices, & mungere capras.
Lac palmis preſſare tuis, fluvioque lutoſos
Nunc purgare greges manibus, nunc vellera lappis.
Quas animo feſſæ pecudes, morboque tacentes
Iniciant curas taceo, ſpes omnia ſuadet.
Nam tibi parta domi requies, ſtratumque cubile,
Seu validas nemorum ſuperare ſecuribus ulmos.
Carpere ſeu meſſes, ſeu terram vertere raſtris
Cogeris in reditu, ſunt hæc precor otia, Typhle,
Exoptanda Deis? non te Chryſis optima linquit
Inſudare jocis, juvenumque intrare palæſtras.
Nondum ſacra Deis fumant altaria ruris;
Femina nulla minus voluit penſare labores,
Non ut grata tuæ ſervet male parta quieti,
Sed mœchis, quot ipſa novos exquirit anela.
Ty. Quos nequit amplexus ſibi ſumere, damnat iniquus
Invidus extemplo, quot mœchos quæſo puellæ
Uſquam noviſti mordax Philoſtrophe? narra.
Ph. Quod nolles audiſse petis, quot ſidera cœlo.
Teſtantur veteres fagi, teſtantur & antra
Silvarum flammas Chryſidis; criptæque, ſcrobeſque
Quotque lupis miſere nudos, canibuſque reliquit.
Ty. Ex multis unum ſaltem, ſi dicere plures
Forte piget numera, Chryſidis jam pande lupanar.

Ph.

Ph. Nonne piget, clades pariter narrabimus, ut quis
Sit finis videas mœchis cultoribus, atque
Auro qui nuper Pactoli tinxit arenas,
Et Phrygios pavit vitulos, dilexit, & atro
Tandem ſuccubuit potato ſanguine tauri.
Thymbræique ducem pecoris, non dente moloſſus
Ex ulnis hujus rapuit, ſilvaſque ruinis.
Argolicis turbo delevit miſſus ab antris?
Paſtorem Eoum cui Ganges grandis, & Indus.
Potavere greges, & longus culmine taurus
Pavit, in Arctoos flexus ſeu verſus in auſtrum,
E gremio Chryſidis carpſit, ſus feta, caputque
Sanguine reſperſit putrido, truncumque cadaver
Exibuit Scythicis corvis, milviſque, feriſque
Silvarum prædo prægrandis, & arbiter olim
Pharſalicus Chryſidem tenuit. poſt liquit amatam
Adverſis hauſtis deceptus jaſpide ſuccis.
Nec tu Damœtam gratum vidiſſe negabis
Infandæ juveni, cui dum Pan juſſit, abiret
Exul in externos agros, conceſſit eunti.
Nec lacrimas ommitto greges, non peſſima veſtes,
Sed ſolum nudumque ſolo, canibuſque reliquit,
Ni pia tunc gremio Cybeles cœpiſſet amico.
Et miſerum riſiſſe ſenem potuere ſubulci,
Quid numerem multos? dudum Chryſis impia nobis
Obtulit, obſcenos quercus has inter amores,
Ty. Me miſerum quoties urſis, & ab ubere natos
Eripui, quoties tremulis pendentia ramis
Mala tuli Chryſidi, quoties pulloſque palumbis
Subtraxi, curſuque pedum, jaculiſque coronas
Quæſivi mœchis video, nunc pulchra Diones
Sola meas placido ſervabit pectore curas.
Ph. Corporis exitium fugies, mentiſque ruinam,
Si blandam fugias nimium, ſævamque Dionem
Ty. Quid meruit quia blanda fuit? dilexit amantem.
Ph. Quid meruit? cernis quot gignant arbuta frondes;
Tot mala, tot mœſtis dedit iſta, pericula ſilvis,
Hæc Nyſi crinem Dictæos jecit in agros,

Paſiphaën tauro ſtravit, Muramque nefandis
Ignibus incendit, privavit vellere Phaſim
Quondam Dircæo, flammas contorſit in Idam,
Lumina turbavit Mopſo, ſic Circis honores,
Abſtulit Alcidi clavam, quid multa recenſem?
Plura petis ſatis iſta quidem, tu neſcius erras,
Dum lacrimas credis, dum ſumis & oſcula diris
Delinita malis, has peſtes mitte precamur.
Hoſtes pelle precor diros, ne forte morentur
Sedibus his captos, pluvius dum ſurgat Orion.

Ty. Auribus ecce lupum teneo, quos damnat amores,
His cupio, timeoque dolos, & temporis ortum.
Præmia quis linquat Chryſidis? quis grata Dionis
Baſia, & amplexus ac dulces reprobet ignes?
Quiſve nives, imbreſque graves, cœlumque ſuperbum
Perferet, & ventos, & duras ætheris iras?
Sed quid dimoveor? nunc primum perdere frondes
Vidimus has fagos, nivibuſque albeſcere montes?
Quæ tulit Alcidamas, quæ paſſus grandis Oſiris.
Non ego ferre queam; ſtipulis, & carmine vitam
Ducere conſilium, Chryſis adſit, & alma Diones,
Illa legat flores, imponat & altera ſertum.

Ph. Decidet iſte calor, pratis armenta peribunt,
Infames ſtolidum rapient per devia nymphæ,
Teque Thrinos, Ponoſq; trahent, Thlipſiſque, Lipiſq;
In ſcotinas ſilvas, famuli paſtoris averni.

Ty. Ætatis placidos ludos dum credis amicæ,
Teque ſimul perdis memini, cantabat, ineſſe
Paſtor Epy, ſilvis quondam famoſus apricis,
Interitum menti pariter cum corpore cunctis.

Ph. Typhle precor ſanus ne ſatis? dic improba credis
Dicta ſenis damnata diu, cum dicat Ariſton
Et Samius cantet paſtor, cantentque bubulci,
Omnes, Romuleos qui mulcent pectine ſaltus,
Æternas hominum mentes a numine lapſas
Æthereo, firmetque Soter, qui ſanguine ſilvas,
Infectoſque greges pridem purgavit, in altum
Scandere non ſontes, & lætis ſedibus uti.

Sic

Sic alios poſt fata focos intrare Typhæos.
Hos ego ſi poſſem mecum, mi Typhle, volebam
Effugeres, rupeſque novas, ſcopuloſque videres.
Ty. Quid faciam ridenda mihi, Philoſtrophe, ſuades.
Certa ſinam, non certa ſequar? quis quæſo ſequatur?
Ph. Quid certum dic Typhle tenes? rapit omnia tempus,
Quas Ammon veſtit ſilvas, denudat Orion,
Et ſub ſole cadit, quidquid ſub ſole creatum eſt.
Verum ego perpetuos fontes, umbraſque perennes,
Ut videas, teneaſque loquor, peſteſque furentes
Chyronis fugias, præponens firma caducis.
Ty In Siculis Arethuſa jugis hæc paſcua ſervat?
Ph. Non equidem noſtris nemus hoc plus diſtat ab horis.
Ty Quis colit hoc igitur? Thrax forſan, forte Canobus?
Ph. Surgit ſilva virens cœli ſub cardine lævo,
Aſpera dumetis, & ſaxo infixa rubenti,
Præſidet inſignis, magnuſque Theoſchyrus illi
Paſtor, & emiſſos lambunt de rupe liquores,
Selectæ pecudes paucæ, domitique juvenci,
Ac herbas tenues carpunt, quas undique præſtat
Ipſe lapis, dum longa quidem jejunia ſolvant,
Quod mortale ſolum fecit per inania pingue,
Ty. Quid fruſtra ſignare locum, nemus atque laboras?
An viſurus ego veniam, Philoſtrophe, ſilvas,
Hujus quæſo ſenis, cujus rapuiſſe juvencam
Jamdudum memini? leges, rituſque ſuorum
Jam pedibus calcaſſe meis? manibuſque nefaſtis
Carpendas porcis olim jeciſſe Dionis?
Non veniam, timeo vires, iraſque frementis.
Præterea in ſaxum fecundas ducere capras
Præcipis, ut pereant, macie, ſcabieque geluque.
Non faciam, potius noſtris eſt vivere ſilvis.
Ph. Non hominis mores noſti, miſerebitur ultro
Si dicas precaſſe ſibi, veniamque preceris,
Quid Glaucus fecit? quid poſt hunc magnus Amyntas?
Sed ſine deveniam, quo tendit ſermo priorum
Et demum ſi jure potes præmiſſa refelle.
Hinc faciles ſcandunt ſcabroſi culmina montis,

Lætaque comperiunt quæ dixi paſcua fronde,
Fontibus, ac umbris, longoque patientia tractu.
Non ibi feſſa gelu pereunt armenta, nec Auſter
Aut lætum Boreas adverſis flatibus orbem
Concutiunt, non dira lues, aſtrumve malignum
Infundunt peſtes, Zephyrus ſacer omnia mulcet.
O tibi ſi referam quas educet illa puellas
Silva parens, nymphaſque Deas, Dryadeſque frequētes,
Illico damnabis Chryſidem, turpemque Dionem.
Sponte quidem dices, Satyros dimitto jocantes,
Et Faunos, canuſque avium, placidoſque colores
Herbarum, florumque ſimul, tu forte videbis.
Ty. Jam cupio, ſed quæſo refer, quis ſibilus auri
Detulit iſta tuæ, ſeu ſi tu forſan adiſti.
Ph. Arcades, ac Itali firmant, priſcique Sicani
Paſtores, quibus ante datum, conſcendere culmen.
Ty. Quæ nova lux oculis venit, Philoſtrophe, noſtris?
Jam foveas, & putre ſolum, rupeſque cadentes,
Inſidiaſque graves, & ſævi gurgitis iras,
Et pecoris peſtes video, nimboſque minantes,
Adſis, pulchra Pales, ſupplex tua numina poſco,
Optime da veniam, pater, oro Theoſchire lapſo.
Heu mihi quo fugiam? gelidas has linquere valles,
Infectoſque greges cupio, ſilvaſque remotas
Quærere, ſi poſſim duras fregiſſe catenas,
Quas poſuere truces pedibus, colloque puellæ.
Ph. Vir nuper fueras, Polyphemi tractus in antrum
Obicibus fractis, & nunc es femina mollis,
Frange trabes animo forti, poſteſque revelle,
Reddito teque tibi, pueris aliena ſinamus,
Et noſtro meliora gregi, nobiſque petamus.
Ty. Me quoque terret iter durum, vertexque levatus.
Deficient vires, non eſt præſumere ſani,
Quod non perficias, hominis; deſiſtere mens eſt.
Ph. Nondum fregiſti laqueos, tua lumina circum
Obſcenæ volitant volucres, obſiſte, repelle,
Eſt iter imprimis durum, parvoque labore
Vincitur incœptum. vires præſtabit eunti
Ipſe

Ipſe Soter, nunc ſurge precor, ſol vergit in undas.
Ty. Urgeor, inſiſtam, tu primus ſumito callem.
Laurea ſis felix, & vos eſtote capellæ,
Imus, ut ex Syrio carpamus littore palmas.

ANGELOS. Ecloga Decimaſexta.

Apenninus, Angelus.

Ap. Angele, quis quæſo pecus hoc, fortaſſis Apollo
Vallibus Amphryſi pavit, dum paſtor honores
Perdidit æthereos? videas, non invidus illud
Faſcinet, & pereat, metuunt mala murmura pingues.
Ang. Apennine, reor tibi pinguis ludit in arvo
Taurus, & umbroſo recubant ſub colle Lycæi
Nunc paſtæ, fetæque boves, ſis lætus, & oro
Parcius ignoſcas miſeris, fortuna ſecundis
Invidet, & celſas excerpſit turbine fagos.
Ap. Peccavi fateor, ſed tu quæ paſcua quæris
Cum grege tam modico? fallor? ter quinque capellas
Nec plures per rura trahis; conſiſtere mecum
Si libet hic poteras, vepreta hic grata capellis;
Hic fontes, hic antra novis jam tecta corymbis,
Ang. Juſſus in id venio, non ſolum jungere parvum
Hic pecus hoc veſtris, aſt ut tibi largiar omne;
Nil equidem majus potuit nunc mittere pauper
Cerretius, dic oro, ſenem noviſtis Etruſcum
Hos inter montes, & pinguia pabula noſtrum?
Ap. Jam vidiſſe ſenem memini, noſtriſque ſub antris
Nonnumquam duros ſolitum recreare labores.
Dumque Ravennatis Cyclopis ſtaret in antro,
Et feſſus ſilvas ambiret ſæpe paluſtres
Vidimus, atque Henetum dum venit cernere colles,
Sed pecus hoc claudum ſervans vix pellibus oſſa
Quid mihi? Silvano decuit miſiſſe, videret
Et morbi cauſas, læta & medicamina morbis.
Non Arcas, Siculuſve fuit, non Iſmarus olim,

Non Italus paſtor, cui tantum juris in agris
Alma Pales dederit, Fauni, nymphæque ſedentes
Abſurgunt homini, ſilvæ, placidique receſſus,
Antraque paſtorum, fontes, quid multa? Deorum
Tecta patent Tuſco, & patuere ſilentia Ditis,
Angele, huic potuit pecus ægrum mittere noſter.
Ang. Erubuit munus tam parvum mittere tanto
Paſtori, ſueto tauros deducere regum,
Sidereoſque greges, quamquam nil ſanctius uſquam
Diligat, aut optet celſis præponere ſilvis.
Si calamis, ſi voce canat, ſi forte ſuſurro
Murmuret, ipſe ſibi ſemper Silvanus in ore
Cerretii reſonat, ſemper Silvanus ubique
Et pater, & dominus, ſpes grandis, & unica ſemper.
Teque, fidemque tuam colit Apennine ſecundum.
Nunc ego per dulces, nuper tua cura, Napæas,
Apennine precor, parvum ne reſpue munus,
Sunt tenues fateor, nec multum lactis habentes
Sed prædulce quidem, pomiſque, faviſque Menalcæ
Si guſtent Latii, ſi guſtes ipſe parumper
Præpones, quæſo parvum ne reſpue munus.
Ap. Da, ſordis cauſam: dabitur fortaſſe mederi.
Ang. Paſcua ſunt nobis Cerreti montis in umbra,
Heu ſterili nimium, nullis frondentia lucis,
Nec ſalices capris ſurgunt, nec ſurgit hibiſcus.
Lambere muſcoſas ſalices, rarumque vetuſtis
Immixtum conchis ſerpillum carpere cogit
Ægra fames miſeras, illis hinc ſqualida pellis
Hinc macies, triſtiſque color, ſetæque cadentes.
Elsa brevis fluvius poſt, his præcordia ſaxum
Fecit, & attonitas vacuavit ſanguine fibras.
Tu pingues facili facies, cœptoque favebit
Conſiliis, herbiſque ſuis Silvanus, & undis.
Ap Invitis nobis, tenet hæc nunc paſcua veſter
Cerretius, ſcabris quid nam grandævus in arvis
Inſerit, aut ſevit? quid credit ſolvere raſtris
Exhauſtas glebas grandique labore colonum
Emunctas proſit? timeo non ſæva Diones
Occu-

Occupet inſanum, ſenis eſt dimittere mores
Non numquam juvenum, luſit Galatea potentem
Viribus, enervem faciet quid luſca Diones?
Ang. Abſit, nulla ſeni talis nunc cura, doletque
Obſequio quondam, nimiumque vacaſſe liquoris.
Sed quid vis faciat, patrios ni ſpectet in agros?
Nil gregis eſt illi, nec ſunt ſibi paſcua, ſi ſit,
Torpendum eſt igitur ſeu vomere vertere glebas.
Ap. Angele, jam noſti, non omnia novimus omnes
Teque latet video, quoniam perſæpe remotum
Cerretium dudum, vel viva voce vocarit
Silvanus, charoſque greges, tacitoſque receſſus,
Quos Ligurum ſaltus, quos ſervant paſcua ruris
Anſeris antiqui, quos ſervant pinguis, & ingens
Euganeus, Venetumque palus, præſtare paratus.
Quæ cupias majora precor? venere Sicani
Dictæique duces, Cyprii, magnique Quirites,
Et Satyri, Faunique omnes, nymphæque, Deæque,
Hunc inter fœdas undas audire canentem,
Panque Deus calamos poſuit ſtupefactus amicos,
Et pauper noſter, longum ſpreviſſe videtur.
Quid ſi tantus amor; quid ſi reverentia tangit,
Negligit oblatum? veniat, duroſque relinquat
Agreſtes, patriiſque ſinat dare ſemina ſulcis.
Ang. Ignaros quoties heu fallit cæca voluptas.
Dixiſti nuper, non omnia novimus omnes.
Et merito, noſtro ſæva ſi ruſticus Ammon
Peſte boves mediis pingues conſumpſit in arvis,
Pectoris ardentis multum ſibi ceſſit Apollo.
Quem tacitum, mitemque vides, & rura colentem,
Noluit Ægonis nuper deſcribere dulces
Pellibus is pecudum, quos ipſe canebat amores,
Dum majora legit, dum ſe majoribus aptum
Æſtimat, & dudum dum fervidus omnia campis
Sol raperet, ſacra Cereri conſedimus ambo
Ilice ſub viridi; tunc primus verba faceſſo,
Convenioque ſenem, dic inquam? cernere concas
Has putres, ſterilique ſolo decerpere credis?

Quid

Quid non Silvanum ſequeris jam ſæpe vocatus?
Ille diu corylos tacitus proſpexit, & inde:
Omnia qui profert nil dat, mihi maximus Ægon
Jam dixit, Midas pridem dum fortior ætas.
Juſſerat illud idem; cujus dum credulus intro
Feſtinus ſilvas, Gaurum, Bajaſque ſaluto
Fontibus inſignes, & paſcua credo parari
Non tauris, parvo pecori, parvoque ſubulco,
Hoſpes ſuſcipior placidi Stilbonis in antrum
Aſt Midas patitur, nec tandem pabula dantur,
Nec vocor, ut veniam ſumpturus prandia ſecum.
Miror, & indignor pariter, mecumque revolvo,
Quid nunc ſi lucos intraſſem injuſſus apricos?
Aut ſi maturis tenuiſſem meſſibus apros?
Vel ſi vinetis olidos creſcentibus hircos
Liquiſſem? nullis veniebam candidus undis.
Poſtquam deſpicior, ſic acceſitus, & inſons.
Paſcua ſint Midæ, quæ ſpectat lata Veſevus,
Meque meus tenuis lætum proſpectet agellus.
Flecto gradum, volucer repetens veſtigia retro.
Mœnalios perſæpe lupos, urſoſque coëgit
In laqueos exire ſuos ſudoribus Arcas.
Poſt hæc captivos nemori ſolvebat aperto,
Jam ſat heu votis miſere ſic angimur omnes,
Et ſi ſuccedant fatis eſt, hinc linquimus ultro,
Quid ſi Silvanus faceret, non dulcius eſſet
Quæſo mori? tentare Deos ſtultiſſima res eſt.
Pan nobis prægrande dedit, nec ſpernere munus
Eſt animus, pauci contentor munere panis,
Silveſtres coryli paſcunt, dat pocula rivus,
Dant quercus umbras, dant ſomnos aggere frondes.
Cetera ſi deſint, lappoſaque vellera tegmen
Corporis effœti, quibus inſita dulcis, & ingens
Libertas, quæ ſera tamen reſpexit inertem.
Conticui, quis jure queat prævertere dictum?
Tu tamen interea parvum jam ſuſcipe munus.
Ap. Sat dictum, fiat; ſit noſtrum, claudicet eſto.
Nam prægnas video, prolem ſperaſse juvabit;
Et

Et cœpiſse novam, ſurgunt ex montibus altis
Sidera, ſis mecum, noſtro hoc tu jungito Solon.

ACHILLIS BOCCHII
BONONIENSIS.

Rivalitas Cupidinis duriſſima.

AUrea dum precibus miſeri exoratus amantis
Tenderet in dominum tela Cupido trucem;
Illa dolos ſenſit, pætoſque retorſit ocellos,
Et ridens pueri tela ferocis, ait:
Nil opus eſt pharetrâ, ſinuoſo nil opus arcu.
Congredere, & vires experiare meas.
Dixerat, hæc tenero placuit ſententia Amori;
Tanta fuit dominæ gratia, tanta Venus.
Aſt ubi ſunt arcus poſiti, poſitæque ſagittæ,
Has rapit ultrici protinus illa manu.
Nec mora protendens acrem furialiter arcum,
Incauti figit pectora nuda Dei.
Ictus Amor totus ſubitò inflammatus amore.
Victricem in dominæ ſe dedit ipſe manum.
Proh dolor, ille mihi quem nuper adeſse putaram,
Rivalis jam nunc, durus & hoſtis erit!

Amor negotioſus eſt in otio.

Jamdudum in tenues jerunt mea corda favillas,
Jamque cinis factus qui modò pruna fui.
Sed licet in tenues ierint mea corda favillas,
Jamque cinis factus qui modo pruna fui;
Hæc tamen aſſiduis uruntur pectora flammis,
Quoque magis flagrant, hoc magis ipſe gemo.
Un-

Unde igitur flagrant? redivivi unde ignis origo,
Si ſunt in cinerem corda redacta ſemel?
Nempe faces ipſo flagrant, non cordis imago,
Quam vacuus numquam figere ceſsat Amor.
Cur lacrimas augent incendia? liquitur igni
Humoris toto corpore quidquid ineſt.
Vix credam tanto vitam ſupereſse calori:
Albia ſed vitam ſufficit una mihi.
Urentes pariunt ſemper lenta otia amores,
Unde eſt mors vivens, irrequieta quies.

REGINALDO NERLIO.

Dignum quid ira exiſtimari eſt par, paſi
Quo lædimur? proindè cum potiſſima
Sit noſter animus ipſe noſtri portio,
Præſtare quo cenſemur uno ceteris
Animantibus, quæcumque ſine animi queunt
Offenſione adimi, ea verò temnere
Debemus, ad nos ut nihil ſpectantia,
Damno nec ullo umquam putemus affici
Nos, ſivè fortunæ bonorum lubricæ
Ablatione, ſivè gravibus corporis
Incommodis, doloribuſve acerrimis.
O qui ſecundus es Adamus, Chriſte optime,
Qui conditus ad imaginem terreni es, at
Cœleſtis ipſe, judicium id omne auferas
Quod noxa nobis omnibus primi indidit
Parentis olim. da obſecro tu vim integram,
Puramque noſtris judicandi cordibus.
Lædi innocentiam ut malum graviſſimum,
Iraque judicemus id digniſſimum.
Nobis tuæ invictæ illius conſtantiæ
Robur da, ut hoſtes diligamus invicem
Noſtros: crucemque humaniter tecum ſimul
Feramus almæ ſub Crucis ſigno tuæ.

Ca-

Camillo Urſino.

Iidem labores haud graves
Sunt imperatori æquè, ac militi;
Quod ipſe honor magis leves
Semper labores imperatorum facit,

De Antipatro cæco.

Forte Cyrenaicum Antipatrum muliercula quædam
Luminibus captum vidit, & ingemuit:
Proh dolor, exclamans paſsos laniata capillos,
Quæ porrò in tenebris vita futura tua eſt?
Ille autem; quid agis ſtulta, an nocturna voluptas
Eſse tibi prorſus nulla videtur, ait?

De Philippo, & Lacedæmoniis.

O fortitudinem inclitam Lacedæmonum!
Qui cùm Philippus inſolenter admodum
Per litteras minatus eſset, omnia
Quæcumque conarentur ipſi, ſedulò
Se prohibiturum: quæſierunt, num mori
Se prohibiturus eſset etiam ſedulò?

De CAROLO V. Imperatore.

Rei militaris plurimis ſcientia,
Invicta pluribus animi præſtantia;
Auctoritas pleriſque: raris omnium
Petita votis contigit felicitas,
Quin ſingula hæc præſtare vix paucis licet.
Quæ cuncta ſumma Cæſare in uno Carolo
Extare jam vident vel ii, qui nil vident.
Jamque ipſe Momus id fateri cogitur,
Mirantur autem multi, ego haudquaquam, quid hoc?
Nempe omnia adſunt illa abundè quem pænes
Eſt vera Virtus, maxima una, & optima.

FRAN-

FRANCISCO I. Galliarum Regi.

Dum tua Fortunæ cedit, Rex inclite, Virtus;
  Victricem ſubigit cedere victa ſibi.
Quid duce te faciet victrix, ſi victa triumphat?
  Non hominis virtus, ſed magis iſta Dei eſt.
Ergo divinus cùm ſis, ô maxime Regum,
  Quis jam mortalis fingere te potuit?
Ipſa tamen talem potuit te fingere Virtus,
  Qualem animus poſſit cernere, non oculi.

PHILIPPO.

Idem ſis licet omnibus ſuperbus,
Et magna tamen eſse comitate
Interdum cupias mihi videri.
Si cur defugiam tuum frequentem
Congreſsum rogitas, Philippe, dicam;
Suſpecta eſt mihi comitas ſuperbi.

Ad Andream Alciatum.

Quâ ratione homines rerum caperentur amore
  Pulchrarum, quondam magnus Ariſtoteles
Forte rogatus; ea eſt cæcorum quæſtio dixit:
  Et bene, namque oculi ſunt in amore duces.
Ergo tuæ cur tam capiar virtutis amore,
  Qui quærat poſthac, hic mihi cæcus erit.

Virtuti haud una atque opum æſtimatio.

Divitiæ, & virtus, veluti duo pondera habentur
  In trutinâ, quorum unum eſt alio gravius.
Divitias etenim cum pendit opinio pluris,
  Virtutem inſipiens elevat illa magis.
At ſapiens ratio virtutem quò magis almam,
  Tantò divitias æſtimat ipſa minus.

Nul-

Nulli nocebis: commodabis omnibus.

Magna animi virtus, numquam ſi læſeris, a quo
Læſus es; at major ſi læſus ſponte remittas:
Maxima, ſi parcas, cui poſſis ipſe nocere.

Non eſt amicus hic, qui amare deſinit.

Neſcio cujus id eſt verbum Sapientis iniquum;
Tamquam oſurus ama. Quin ego amare velim,
Ut numquam oſurus, nam quæ vera aut bona tandem
In vitâ reliqua eſt, dic mihi, amicitia?
Si quiſquam olim ita amicũ amet, ut fieri ipſum inimicũ
Poſse putet? Virtuſne iſta rogo, an vitium eſt?
Quin ego non, tamquam ſed numquam oſurus amabo:
Vera ſibi conſtat ſemper amicitia.

Male parta.

Perduntur bene parta ſæpe; ſemper
Perduntur male parta, & auctor ipſe.

Quadratum.

Heroi meritò ſedes quadrata dicatur.
Rectus enim ſemper conſtitit ille ſibi.

Imago juſti Judicis.

Olim Pellæus juvenis cum forte ſederet
Judex, & actori alteram
Interea digito prudens occluderet aurem;
Interrogatus a ſuis,
Cur nam ſic faceret? ſatis Actori eſt, ait, una,
Servo alteram integram Reo.

Alexandro Zambecchario.

Quo mage quiſque ſuæ virtuti fidit; honores
Hoc aliis meritos invidet ille minus.

Veri Principis officium.

Quicumque vero Principis
Vis dignus eſſe nomine;
Nil conferas magis tuis,
Quam quod alienis commodis.
Rhamnuſia hoc jubet Dea
Severa, vindexque aſpera
Titanicæ ſuperbiæ, &
Malignitatis ſordidæ.
Ergo crumenam dexterâ
Plenam ſedenti porrigas;
Frenum inſuper, calcaria,
Normamque temperantiæ.
Ne forte vitans incidas
Stultè in vitia contraria.

De Mercatore, & Lacone.

Cùm forte dives gloriaretur nimis
Mercator olim, quippe qui dimiſerat
Naves in omnem oram maritimam plurimas;
Tunc ſic Lacon: haud iſta ſanè optabilis
Eſt admodum, inquit, apta ſors rudentibus.

Pan victus a Cupidine.

Te quoque Pan, ovium cuſtos digniſſime, Amori
  Luctando quondam ſuccubuiſſe ferunt.
Nec tibi profuerunt ridenti cornua fronte,
  Barbaque Phœbea lampade ſplendidior:
Non illa aſtriferum referens tua nebris Olympum,
  Non calamis ſeptem fiſtula diſparibus.
Non dextrâ geſtaſſe pedum, quo cuncta gubernas,
  Nempe tuum eſt mundi totius imperium.
Ergo ſi tantum numen, tu cedis Amori,
  Ecquis erit noſtrum cedere quem pigeat?

Victore a ſummo vinci, victoria ſumma eſt;
Teſtis naturæ es maximus ipſe parens.

De Anterote.

Olim Cupidinem editum Venus dedit
Blandis alendum Gratiis; mater dolens
Quod nullâ carum diligentiâ puer,
Ipſa ut volebat, creſceret, mox Delphicum
Oraculum conſuluit, inde rettulit
Hæc verbi reſponſi, Α'ντέρωτα gignier
Neceſſe prorſus eſſe: ſic enim fore ut
Certatim uterque ad uſque magnitudinem
Concreſceret juſtam; Proinde cum Dea
Hunc procreaſſet, educandum & Gratiis
Item dediſſet, factum in ipſo tempore eſt,
Quod Delius cecinerat: Hoc quid vult ſibi
Aliud, quam oportere eſſe amorem mutuum?
In corde amantis naſcitur quidem ipſe amor:
Non creſcit is tamen, ni ametur invicem.

Amor laborem fert, cum admiratio.

Pallada miraris cervo inſediſſe fugaci,
Quem ſequitur duplex, adſequiturque canis.
Thaumaſtus petit hinc, acris Camaterus & illinc,
Admirator hic eſt; improbus ille Labor.
Diſcendo mirum parit admiratio amorem.
Quid non improbitas dura laboris agit?

Semper ſuorum cura habenda regibus.

Semper Α'χος regum comes eſt; hos namque ſuorum
Indefeſſa omni tempore cura tenet
Inde pio Æneæ prudens & fidus Achates
Coram ſemper adeſt conſilio, auxilio.

Jo: Baptiſtæ Egnatio. Gloria Crocodilus.

Nota Paretonii Crocodilus, bellua Nili,
  Sectantes refugit, qui fugitant ſequitur.
Uſu etiam ille caret linguæ, morbiſque levandis,
  Utile corporeis, ſuaveque ſtercus habet.
Sic vera inſtantes ſp rnit, ſpernentibus inſtat
  Gloria: quin major ſpreta redire ſolet,
Nil opus eſt lingua, celebris cum fama loquatur,
  Et virtus merces ſit ſibi pulchra ſatis.
Præcipuam utilitatem adfert quoque gloria; tollit
  Multa animi vitia, atque invidiam ſuperat.
Contra, vana illa eſt popularis, quæ Crocodili
  Fucatur ſuavi ſtercore gloriola.

De Spe Auguſta, Aſcanii Sfortiæ.

Spes facit ambiguâ Typhim ſulcare triremi
  Æquora & inſanis tradere vela Notis.
Spes facit Eleum curſorem carcere pulſo,
  Ad metam rapido ſollicitare gradu.
Spes facit incerto peditem ſe exponere Marti,
  Et conclamatam ſæpe redire animam.
Mille quoque adflictum curis ſpes hactenus una
  Erigit, atque animo me jubet eſſe bono.
Quam tuâ in eximiâ illâ habeo bonitate, tuaque
  Juſtitiâ, ac verâ nobilitate ſitam.
Nam mihi qui poſſunt, nolunt prodeſſe, volunt qui
  Non poſſunt; tu vis unus, & ipſe potes.
Flora Auguſta igitur, numquam interitura, bonorum
  Tu caput, & medium es; mox quoque finis eris.

Pro maximo Farneſio.

Monſtrorum Alcides domitor, Jovis inclita proles,
  Circinum agens, Orbem perficit eximium.
Magnus Atlas librum retinens circumſpicit aſtra
  Quæ quondam Alcidæ fulſerat auxilio.

Di-

Divini heroes ambo cœleſtibus ambo
Imperitant aſtris: hic videt, alter agit,
Quæris uter potior? potuit qui vincere monſtra;
Et ſe qui potuit vincere, monſtra poteſt.
Verus hic Alcides ſolidâ eſt qui mente, animoque
Impavido, juſtus, propoſitique tenax.

Arcana continebis, & calumniam.

Legebat olim miſſam epiſtolam ſibi
A matre Alexander Macedo, quæ plurima
Arcana continebat, & calumnias
In Antipatrum; unaque cum Rege, ut ſolet,
Hephæſtion legebat: hunc autem neque
Legere vetuit, at lectâ epiſtolâ annulum
Repente ſignatorium è digito ſuo
Detraxit, atque ori ejus adpreſſit, monens
Geſtu hoc, tacenda arcana. Diſcant poſteri
Fiduciæ exemplum de amico nobile.
Tum humanitatis ſingularis: qui licet
Inviſum haberet Antipatrum, latius
Spargi tamen non paſsus eſt calumnias.

Jacobo Caſonio.

Gratia quàm florum brevis eſt, præcepſque rapina;
Et dum pubeſcunt conſenuere roſæ;
Tam nobis brevis eſt ætas, præcepſque juventa;
Et dum pubeſcunt conſenuere genæ.
Ergo age, dum potis es, præſentibus utere: ne cras
Exſpectes, ſi vis diſcere, diſce hodie.
Sed male doctorum prudens à ſentibus aſpris
Ne lædare prius, quàm doceare, cave.
Sentibus hamatis turpis lætatur aſellus.
Hinc merito Craſsus riſerat ille ſenex.

Jo: Baptiſta Pio.

Qui nuncupari haud immeritò, Pie
In rebus humanis ſapiens cupit,

Non diſciplinis ſat vacare eſt
Rhetoricis, Dialecticiſve:
Verùm diu verſari etiam eſt opus
Illum, diu exercerier omnibus
Conſtanter in rebus videndis
Cominus, atque periclitandis;
Atque omnia acta, eventaque firmiter,
Dum vivit, alti ſub penetralibus
Servare cordis; tum ſecundis
Temporibus, dubiiſque ſemper
Rectum eſse, & ex iis, quæ docuit ſagax
Uſus magiſter, quæque pericula
Ipſa ante moſtrarunt, perinde
Conſulere, ac ſapere eſt neceſse.
Quicumque enim ſcit facta per omnia
Et dicta prudens ingredier, diu
Secum revolvens cuncta, ſive
Sole dies reſeratur orto;
Seu nigro opacum nox Erebo caput
Obſcura profert; haud facile is poteſt
Inducier, quin expetenda
Aut fugienda repente norit.
Hinc nomen adſcivere ſibi patres
Illi priores, & merito Sophi
Dicti; hinc decus famamque adeptus
Pythagoras Samius perennem:
Qui præter Ægyptum, & Babylonias
Luſtravit oras, & Lacedæmona,
Perſaſque, Minoamque Cretam,
Atque ſalutiferam Crotonem,
Vix docto Homeri ad ſidera carmine
Elatus eſſet Siſyphides niſi
Vidiſſet urbes, plurimorumque
Acta hominum, varioſque mores.
Inde optime ipſius Sapientiæ
Uſum parentem & Mnemoſynen ferunt:
Nam longa quid non præſtat omni
Experientia major arte?

Jano Vitali.

Ut Cato pro centum Ciceroni millibus unus,
  Utque Plato Antimacho omnium ad inſtar erat.
Scribo, Epicurus ait, non multis, at tibi amico,
  Namque theatrum ingens alter utrique ſumus.
Unum pro populo, pro uno populum fore dixit
  Quondam Abderites Phyſicus ille ſibi.
Sic mihi lectores pauci ſatis; eſt ſatis unus;
  Ac ne diſſimulem ſat quoque nullus erit;
Dummodo, Jane, velis mihi tu doctiſſime adeſſe,
  Ipſe theatrum ingens, ipſe Cato, ipſe Plato es.
Quin, ut Democrito, populus pro uno eſt mihi, & ipſe
  Unus pro toto ſufficies populo.

De poëmatis Jani Pannonii.

Pannonius dulci Janus dum carmine nuper
  Saxa, feras, volucres, & nemora alta trahit:
Miratus Titan ait; aut non occidit unquam,
  Orpheus, aut alium Calliopea tulit.

Ad LEONEM X. Pont. Max.

Etruſca Regum progenies, Leo,
  Princeps Leo mundi optime, maxime,
  Cui claudere alti ſumma Olympi
  Pro arbitrio, & reſerare regna,
Uni dedit poſſe omnipotens pater,
  Cui cuncta parent. Te duce tandiu
  Nobis negata illa illa tandem
  Aurea jam rediere ſæcla,
Atque ipſa prorſus ferrea deſiit
  Ætas; putrem jam depoſuit ſitum
  Pax læta, & intermortua olim
  Quæ fuerat requies revixit.
Non tetricarum belliger horrido

Noſtras tubarum murmure Marſpiter
Perſtringit aures, non, ut ante
Cædibus Experiam cruentis,
Inceſſat atrox, nullaque prœlia
Miſcet, ſed in caris recubat ſuæ
Amplexibus tantum Diones
Immemor ingeniti furoris.
Non culpa iniqui temporis amplius
Neglecta tetris in tenebris jacet
Virtus, at emergens ſerenam
Explicuit rediviva frontem.
Tu das beatis dulcia vatibus,
Et litteratis omnibus ocia,
Tu verus es Phœbus, tu bonarum
Dulce decus, columenque rerum.
O ſi Camœnas, Sancte Pater, meas
Non ſpernis; en umquam ille dies erit
Cum facta, & audenter tuarum
Fas habeam celebrare laudum
Præconia? en umquam ille dies erit,
Ut carmine alto te liceat mihi
Totum per orbem ferre, & uſque
Tollere pro meritis ad aſtra?
Quid nugor audax, & nimis imprudens?
An geſta, virtuteſque tuas mea
Sperem olim ab imbelli valere
Pro meritis cythara referri?
Quin ſpero, nec me ludit amabilis
Inſania, aſpires modo numine
Præſenti. & illa des cupita
Mi quoque poſſe frui quiete.
Noſtros tamen luſus hilari interim
Vultu hoſce qualeſcumque precor cape, &
Inter tuas lauros tenellam
Hanc ederam ſine pullulare.

AD

AD DIVAM MARIAM VIRGINEM DEI MATREM.

O magna ſummi Virgo Jovis parens,
  Æterna virgo gloria Virginum,
  O & ſalutis porta noſtræ,
  Præſidium, columenque vitæ.
Tu cuncta ſolo ſidera temperas
  Nutu, profundo tu pelago imperas,
  Te mundus omnis paſſim adorat,
  Te Stygius metuit tyrannus.
Quis præco laudum, vel minimam queat
  Partem tuarum tangere, quam ſatis
  Divina nullis Angelorum
  Temporibus celebrat caterva?
Præconia audax qui tua nititur
  Cantare, lymphas Oceano addere
  Et ligna ſilvis, montibuſque
  Aſpra feris ſtudet illa ſaxa.
Clementiæ o fons, mancipium tuum
  Dura laborantem valetudine
  Me reſpice ex alto, piamque
  Jam precor affer opem miſello.
In te ſita omnis ſpes mea, tu mihi es
  Et lux, & umbo rebus in arduis,
  Benigna Virgo, Virgo numquam
  Neſcia ſupplicibus favere.

Ad Philippum Beroaldum Juniorem.

Cum forte Quercenti ſuperbiens nimis
  Nuper Milo inſultaret Heroi, ſuum &
  Dulcis fluentem lacteo eloquentiæ
  Torrente ſæpius citaret Tullium,
  Iſthæc, Philippe, ſcripta Delius tua
  Miratus infit: cedat ipſe jam Milo,
  En Tullium Franciſce nactus es tuum.

Ad

Ad Julium Bocchium Genitorem.

Omni memento tempore languidas
Sedare mentis ſollicitudines
Expers metus, curæ, & dolorum,
O ſemel interiture Juli.
Nulliſque ſuccumbas animo malis,
Seu ferre cogat per fida te jugum
Fortuna ſemper, ſeu malignam
Pauperiem miniſtetur atrox.
Namque ut ſecundis ſedulo temperat
In rebus ipſum ſe ſapiens, neque
Effertur exultans inani
Lætitia, neque geſtit unquam.
Sic inquietæ hunc exagitant nihil
Curæ, metuſve, aut rabidus dolor;
Sors ipſa verſat cuncta, præter
Impavidos animos virorum.
Hanc Dacus aſper duraque Thraciæ
Gens, hanc & urbes, & populi timent,
Hanc bellicoſus Cimber, & trux
Pannonius, Naſamonque ſævus.
Solus tamen fortis ſuperat, premit,
Irridet illam, ac negligit unice
Securus, humanaſque ridens
Deſpicit a ſupera arce caſus.
Vive ergo conſtans, lætus & omnibus
Horis repellas triſtitiam procul,
Cunctoſque ventis ferre tradas
In mare Carpatium timores.

AD ALEXANDRUM MAZOLUM

De morte Nicolai Lomelini Proton. Apoſt.

Quis nunc, quis lacrimis, ah dolor, ah dolor
Quis nam finis erit queſtibus, aut modus?

Quis noſtræ facies mœſtitiæ ſatis,
Quis tanti meritis viri?
Ergo Nicoleon irrevocabilis,
Æternuſque ſopor, Juppiter, occupat?
Cui ſancta heu probitas, relligio, & ſoror
Conſtans juſtitiæ fides.
Quando, proh pudor! ullum inveniet parem?
Fallaces nimium ſpes hominum, & brevem
Hanc vitam! O fragilem ſortem, et inania
Orſa! Heu fata procacia!
Atqui ſic ſtatuit dura neceſſitas.
Quid flendum? ſuperis hoc placitum ſemel;
Nil triſtes gemitus illacrimabilem
Orcum, nil lacrimæ movent.

Ad Marium Siderotomum.

Præco Theſpiadum mari
Noſtri gloria, ſpeſque unica ſæculi,
Quo nemo mihi carior,
Nemo ſuavior eſt, aut magis intimus,
Quid tu carminibus tuis
Doctis, Juppiter, & mollibus ingemis?
Rurſum cur adeo æſtuans
Inſultas, quid acerbum Veneris tuæ
Hoſtem me vocitas? Quid hoc;
Cur mecum varius tantopere es Mari?
Cur ſententia tam cito
Verſa in deterius; Cur facilis modo es
Idem & difficilis modo?
Eſt hoc (quis dubitet) moris amantium.
Atqui deſine, deſine,
Nec tantis miſerum ſollicites jecur
Flammis; quas niſi ſedulus
Averſaberis, heu protinus impia,
Et flecti indocilis Venus
Exuret rapida te penitus face.
O qui miles adhuc novus
Caſtris Cypridos, o compedis inſolens

Duræ o ſervitii hactenus
  Expers, Idalii mitte Cupidinem.
Nam ſi colla ſemel jugo
  Subdes, heu quoties flebis, & anxios
Queſtus ingeminans mei
  Nequicquam fueris conſilii memor.

Ad Petrum Aaron Florentinum.

Errabat olim Muſice per florida
  Novem ſororum prata, qua biverticis
  Late comant amœna Parnaſi juga,
  Ibatque longe celſior, quam aſſueverat.
  Longe & nitidior, comptior, venuſtior.
  Tum Momus, ille ille oblocutor maximus,
  Sardonicum riſit, caninoque intuens
  Hanc vultu ait: Vah vah, quid hoc; Unde hic furor
  Unde hæc licentia; unde faſtus hic novus?
  Quid cetris, quid præſtat hæc ſororibus?
  Hæc atque alia cum forte verba Delius
  Audiſſet, ira accenſus infit: quid tibi
  Cum Muſica, miſelle, inepte, livide
  Naſute Mome, quique cunctis invides,
  Nemo tamen tibi; tace, tace, omnibus
  Inviſe; ſic enim impero, ſic ſancio,
  Sic ceteras inter ſorores Muſice
  Jam nominis primi, caputque, & gloria
  Hanc nobilis poſtquam Fluentiæ decus
  Ille ille Petrus Aaron cognomine
  Squallore & atro vindicavit a ſitu, ac
  Totam nitori reddidit nuper ſuo.
Pulcher loquendi hic finem Apollo fecerat,
  Tum vero protinus miſer Momus male
  Livore edaci percitus diſrumpitur.
  Riſere Muſæ, deinde magnis arduum
  Implere Parnaſi cacumen plauſibus,
  Summiſque tuum ad uſque aſtra, Petre, laudibus
  Efferre nomen; Ergo vives omnium

Quot

Quot ſunt, fuerunt, atque erunt in poſterum
Clariſſimus, dum Cynthius flammantia
Circum capacis ibit orbis mœnia.
Atque interim exultent boni tecum, Aaron,
Rumpatur & livore quiſquis rumpitur.

In Delium adoleſcentem amœniſſimum.

Qualis vere novo Dedala concinit,
Dum celſa luteum ſub trabe nidulum
Fingit Daulias ales,
Nequicquam ingeminans Itym.
Qualis cum dociles multiſona inſtruit
Attis filiolos neſcia garrulos
Olim ponere queſtus
Inceſti ſceleris memor.
Qualis candidus ut fata vocant, olor
Meandri ſibimet cum Phrygii ad vada
Udis ſtratus in herbis
Dulces inferias canit.
Talis Delius, heu lubricus aſpici,
Nigris Delius inſignis ocellulis,
Flaventique capillo,
Et vultu ingenuo nitens,
Nuper flexanimo me mihi ſurpuit
Cantu; o blanda nimis vocula, quæ mei
Semper pectoris imis
Hærebis penetralibus,

AD GALATEUM BOCCHIUM.

Mittit dono calamos, quibus res amatorias olim deſcripſerat.

Heus jam, quid ſtas? ocyus
Surge, Galateumque adi
Illum omnis elegantiæ,
Cultuſque patrem, & offerens

Hoc quidquid eſt munuſculi
Sic dicito; Multum tuus
Salvere Achillei te jubet.
O rara Bocchi gloria,
Lumenque generis, o decus
Urbis tuæ, atque orbis jubar.
Dein fronte calamos hos rogat
Sumas ut illa, qua ſoles
Cuncta efficere lætiſſima.
Qua vinculis prædulcibus
Mirifice omnes allicis.
Nuper fero cupidine
Capto hæc tropæa rettulit,
Quæ nunc tibi victor dicat
Æterna monimenta ſui
Æterni amoris: Jam vale.

Ad Romulum Amaſæum.

Heu heu peruror Romule Romule,
Nec deſit ullo tempore flammula,
Qua durus ille, & trux potentis
Filiolus Veneris medullas
Mi pridem inuſſit: quis penitiſſimum
Reſtinguet ignem? quis rapidiſſimos
Sedabit æſtus? quæ dolori
Huic fuerit medicina præſens?
Me Lydiæ dulcis nitor enecat,
Splendentis omni ſidere purius,
Et lumina illa, heu lumina illa,
Ignifero invidioſa ſoli.
Me ſeu quieſcam, ſeu vigilem improba
Cura Dione perpete conficit.
Proh Juppiter tanto ne ſemper
Pectora ſufficient calori?
O qui favore es Cypridos auctior,
Summoque tangis ſidera vertice,
Succurre jam, & cari ſodalis
Conſule, ſi pius es, ſaluti.

Tumulus Franciſci Saxatelli.

Heus hoſpes, iſtuc, ſi placet,
  Accede rogo, & hæc pauca lacrimans lege.
Mortalium iortis memor
  Franciſcus adoleſcens ſub hoc ſaxo tegor.
Illius hæres nomini,
  Qui Saxatellæ gentis olim gloriam
Virtute adauxit propria.
  Is ipſe avus mihi, aſt pater clariſſimus,
Rarumque totius jubar
  Oenotriæ Janus ſuperſtes hactenus.
Veſtigiis quorum ſtudens
  Inſiſtere, audacique Iberos dextera
Nuperrime oppugnans ſtatim
  Heuheu catervas inter hoſtiles cado.
Sed nil dolendum: nam mori
  Pulchrum eſt ſub armis; id dolendum maxime,
Quod pauca acerbo funere
  Merſus peregi; vix enim annos bis novem
Impleram. Abi ac felix diu,
  (Si quis tamen mortalium eſt felix) Vale.

Ad Conſtantiam Bocchiam genitricem.

Multum ſcio debere, Mater, me tibi,
  Sed Franciæ jam te haud minus.
Tu mi eſſe tantum præbuiſti; at hic tibi
  Diu eſſe pingendo dedit.

Tumulus Antonii Mariæ Carpenſis.

Heus quiſquis hac iter facis; niſi grave eſt,
  Siſte obſecro gradum parumper, & lege hæc.
  Antonius Maria quondam Butrius
  Cognomine appellatus, ortus patria
  Carpo, ſub hoc cippo tegor, vivens fui

Ter-

Terra, marique miles. Hoc ſat eſt. Abi;
Ulterius de me loqui me non decet.

Tumulus Cæſaris Lugi.

Viator hic ſunt oſſa Cæſaris Lugi,
Hunc tu tamen ne mortuum (ut
Plerique forte exiſtimant) putes. Si enim
Eſt vita fortiter mori,
(Ut eſt profecto) Cæſarem quis vivere
Neget, peremptum fortiter?

Tumulus Baptiſtæ Biccardi Fanenſis.

Quæ ſcripta cernis pauca ſunt, Hoſpes lege.
Fanenſis hic Baptiſta Biccardus jacet;
Ut Marte præſtans, ut toga inſignis fuit.
Sed hoc ſciunt vel qui nihil ſciunt. Vale.

De Pacciano.

Cum Paccianum quidam obiiſſe diceret,
Quando (inquit alter) vixerat?

Ad Guidum Poſthumum.

Quid, mi Poſthume, quid ſubinde quæris
An quid te interea velim rogare?
Scin quid te interea velim rogare?
Sit dixiſſe ſemel ſatis ſuperque
Hoc unum tibi. Si me amas, ama me.

Ad Lydiam.

Ah ſævis nimium his tuis ocellis;
Eſſe hos Lydia tu putas ocellos?
Heu ſunt, heu mihi crede, non ocelli,
Sed tela, & rapidæ faces Amoris,
Sic ſic me miſerum enecant, perurunt.
Verum me licet enecent, perurant,

Hoc

Hoc mihi dulce tamen nimiſque gratum eſt,
Gratum, & dulce adeo hos tueri ocellos.
Queis vitam mihi ſæpe ſurpuiſti,
Queis vitam mihi ſæpe reddidiſti,
Queis magnos nitido Deos olympo
Devocare potes; Quibus Tonantem
Cogas imperium tuum ſubire.
O blandi nimium, & venuſti ocelli.

Ad Guidum Poſthumum Reſponſum.

Dum me Lydia pulchra non amaret
Sperabam laqueos ſemel Diones
Vitare, & rapidos Amoris æſtus.
Cum vero gelidum jecur, ferumque
Heu pectus videam recanduiſſe,
Heu heu, Poſthume, nunc magis peruror,
Totuſque in tenues eo favillas.
Non ſic Trinacriæ rapax in oris
Flagrat, Ætna, meæ intimæ ut medullæ.
Nulla ſpes mihi priſtinæ miſello
Libertatis ineſt. Quid ergo lætus
Grataris mihi, ſæpiuſque clamas;
Euge Cypridos auctior favore?
Eſſe hunc, Poſthume, tu putas favorem,
Quod, qui liber eram prius, repente
Factus mancipium unius puellæ
Cogar perpetuis ſubeſſe flammis?
O noſtris utinam impotens Dione
Talem præbeat hoſtibus favorem.

Ad Franciſcum Coradellum, & Galateum Monteclarium.

Salvete, o teneri mei ſodales,
Franciſce, & Galatee, Gratiarum,
Phœbique, atque novem ſororum alumni,
Queis nil ſcitius, elegantiuſve,

Nil jucundius eſt amœniuſve,
Nil eſt candidius, venuſtiuſve.
Quin ipſa haud adeo Venus venuſta eſt,
Ipſa tam nec Amœnitas amœna,
Nec ſcitæ ipſæ adeo Elegantiæ ſunt.
Sumite hoc Xeni quidquid eſt ſereno
Vultu, ſit licet unicum, duobus
Pulchre convenit unicum hoc amicis
Vobis, quos peramo unice. Valete.

SENTENTIA EX ORACULO CHRISTI DEI DE DIVITE.

Arte foramen acus penetrabit nauticus artum
  Funis, quo proras anchora jacta tenet,
Quàm valeat locuples, ullo unquam tempore avarus
  Scandere ſiderei regna beata poli
Ingenium fortuna bonum labefactat opima,
  Et mala Luxus iners omnia progenerat.

Achillis Phil. Bocchii reſponſum ad M. Antonium Flaminiam.

Noſtri floſcule ſæculi, decuſque
  Vatum, & deliciarum ocelle, Marce,
  Si Achillem tibi vis ſuos ocellos,
  Seu quid charius eſt ſuis ocellis,
  Debere, unanimum ut decet ſodalem,
  Noli conqueri amabo, nec putare hunc
  Vecordem uſque adeo, ut tuos amores
  Luceium inſidiis laceſſat umquam;
  Namque hoc unanimum haud decet ſodalem.
  Sed nec te unanimum decet ſodalem
  Non confidere tam bono ſodali,
  Qui te plus oculis ſuis amavit
  Semper, pluſque oculis ſuis amabit,
  Donec ſpiritus hos amabit artus.

Ad Luciam revertentem in urbem.

Tandem redde oculis meis cupitam
Lucem Lucia, quam tuo abſtuliſti
Diſceſſu, tenebras modo relinquens,
Et luctum miſero mihi, & querelas.
Lux vera ex oculis tuis refulget
Lux, qua ſi caream, repente vita
Exutus, tenues abibo in auras.
Ut pulcher radiis ſuis vigorem
Cunctis ſol animantibus miniſtrat,
Magni ſol oculus, decuſque mundi.

Ad Philippum Phaſianinum.

Raro, quod tibi, Juppiter ſecundus
Tot dotes animi ſimul, Philippe,
Uni præbuit: Idem enim es poëta, &
Orator bonus, Atticæ & Latinæ
Interpres bonus utriuſque linguæ
Hoc poëmata docta ſat fatentur,
Quæ nunc mirifico facis lepore;
Hoc Palæphatus ipſe nuper abs te
Donatus nivea latinitate;
Qui ſi vixerit, ambigat profecto
Romanus velit, an Pelaſgus eſſe.
O noſtræ columen decuſque, & ingens
Urbis gloria. Sed quid Urbis? Orbis.

Ad M. Antonium Flaminium.

Salve o prime Sodalium meorum,
Jucundiſſime Marce, Marce tantum
Expectate mihi, omnibuſque amicis
Veniſtine tuum reviſum Achillem,
Penateſque ſuos, ſuumque patrem?
Veniſti? o ter & amplius beatam,

O dignam niveo diem lapillo.
Te ne ego aſpicio, alloquorque? an iſta
Per ſomnum video? Quid ajo demens?
Immo te aſpicio, alloquorque præſens
Præſentem. En cape tandiu negatos
Amplexus veteris tui ſodalis.

De Lydia ad Balthaſſarem Caſtilionem.

Jamdudum in tenues jerunt mea corda favillas,
 Jamque cinis factus qui modo pruna fui.
Sed licet in tenues jerint mea corda favillas,
 Jamque cinis factus qui modo pruna fui.
Hæc tamen aſſiduis uruntur pectora flammis,
 Quoque magis flagrant, hoc magis ipſe gemo.
Unde igitur flagrant, redivivi unde ignis origo,
 Si ſunt in cinerem corda redacta ſemel?
Nempe faces ipſæ flagrant, non cordis imago,
 Quam vacuus numquam figere ceſſat Amor.
Cur augent lacrimas incendia? liquitur igne
 Humoris toto corpore quidquid ineſt.
Vix credam tanto vitam ſupereſſe calori,
 Lydia ſed vitam ſufficit una mihi.

Tumulus COSTANTIÆ Puellæ.

Viator, & Manes colloquuntur.

Via. Quis jacet hic? *M.* heu heu Conſtantia prima decoris
 Gloria *V.* Tam ſubitæ quæ rogo cauſa necis?
Ma Felſineam nuper Mavors dum viſeret urbem
 Immemor, hac, Veneris cœperat eſſe ſuæ.
Funere quam rapido Venus indignata peremit.
 Viat Proh pudor in ſuperos jus habet invidia?

Tu-

Tumulus Pauli Pannoni Pro Seb. Magio Pannon. Diſcipulo.

Ergo jaces, Paule, & medio te flore juventæ
Impia ſurpuerunt tam cito fata mihi?
Quid faciam infelix? omnes moriamur oportet
Quos ſors cumque vocat. ſic placuit ſuperis.
Heu ſortem indignam? I nunc & juvenilibus annis
Crede. Hodie vives, cras cinis ater eris.

Tumulus FRANCISCI Saxatelli pro eodem Sebaſt. Magio.

Fama, & Parcæ colloquuntur.

F. Voſne meum, immites Parcæ, valuiſtis alumnum
Perdere; nec pietas, proh dolor ulla movet?
Ah ſcelus infandum, quæ vos truculentia adegit.
P. Fama, tace quando ſic fera mors volvit.
Cui juvenis dextra dum forte inſultat, & armis,
Iniicit huic rapidas il a repente manus.
F. Egregium vero facinus; per numina juro
Nunc ego te perdam mors violenta magis.
Si vives periere tuæ Franciſce, decorque,
Æternum deinceps vivere te faciam.

De JANO PANNONIO Epiſcopo Quinqueccleſ. Poëta Clariſſimo.

Pæonius dulci Janus dum carmine nuper
Saxa, feras, volucres, & nemora alta trahit.
Miratus Titan ait: Aut non occcidit unquam
Orpheus, aut alium Calliope genuit.

In Valvis Bibliothecæ ſuæ.

Hic Muſis, Phœboque ſacer locus eſt, virtutis alumni
Hic habitant, vulgus turba faceſſat iners.

De Fortuna extempore.

Cum tibi fortunam ſentis properare ſecundam,
Utere; ſæpe etenim non reditura fugit.

TUMULUS MARGARIS GERMANÆ

Pro Sebaſtiano Magio Pannonio Diſcipulo.

Viator, Famam ſepulchro inſidentem alloquitur.

V. Quis tumulus? Quæ tu vario depicta colore,
Os, aures, linguam maxima, crebra oculis?
F. Fama vocor; tumulus tegit hic heu Margarin, olim
Qua nil Germano clarius orbe fuit.
Quid fuit? immo etiam nec erit; ſed plurima in una
Interiere, fides, & decor, & pietas.
Quin etiam Charites ipſæ, prudentia, dulciſque
Admixtus ſuavi cum gravitate lepor.
Huic me præfecit ſummi regnator olympi
Cuſtodem tantum perpetuam tumulo.
Nomina ne pereant, quando tot numina in illa
Jam periere. Sat hoc. Dic pia verba, & abi.
V. Ergo levis tanto cineri ſit terra precabor,
Spiranteſque ferat ſemper & urna crocos.

Tumulus Conſtantiæ Zambecchariæ Bocchiæ
Matris incomparabilis.

Achilles filius, & Manes colloquuntur.

A. Ergo etiam occubuit genitrix Conſtantia? *M.* Quid ni?
Nullum etenim fugiunt impia fata caput.
Sed non occubuit Conſtantia vera. *A.* Quid ergo?
M. Quod mortale fuit pallida mors rapuit.
At vivet conſtans ejus prudentia, & illa
Rara fides, probitas, & bona cuncta animi.

Hæc

Hæc æterna manent. Nam ſæva pericula, ſævas
  Parcarum virtus negligit inſidias
Tempus edax, atque ipſa hominum prece flectier ulla
  Neſcia mors, æqua cetera falce ſecant.

Tumulus Franciſci Doniſmundi Mantuani, ex G. M. B. materno idiomate, pæne extempore tranſlatus in latinum.

Fundimus has vobis lacrimas, lamentaque ab alto
  Corde, pii manes, ſævi monimenta doloris.
  Rurſus & has, noſtris rapidi, quæ fluminis inſtar
  Aſſidue ex oculis demanant mœſta per ora;
  Fundimus heu nobis miſeri, quos care ſodalis
  Liquiſti hic facili evectus ſuper ardua lapſu
  Sidera tam ſubito has numquam rediturus in oras.
  Talis vita fuit quondam dum fata ſinebant.
  Ah talis tua mors, talis præſtantia, virtus
  Et decus, ut nullum queat interiiſſe per ævum.

Alius ejusdem Tumulus.

Tene etiam, Franciſce, heu heu, tene impia acerbo
  Funere mors nobis ſuſtulit ante diem?
Quo dotes abiere animi, quo forma, decorque,
  Majeſtaſque illa corporis eximia?
Heu ſemper meliora prius crudelia Parcæ
  Numina ſuppillant, deteriora ſinunt.

Tumulus Nichili Nebulonis.

Hic Nichilus jaceo nihili dum vita manebat;
  Ex Nichilo moriens in nihilum redii.

Tumulus Nicolai Lomelini.

Hoc ego ſub tumulo claudor Lomelinus, & ipſa
  Relligio, & ſanctus cum probitate pudor.
Dum vixi mortalis eram, ſed plaude viator
  Jam mihi, nam vita nunc meliore fruor.

Si tamen eſſe nefas defuncto plaudere credis,
I, madeant lacrimis noſtra ſepulchra tuis.
Hocque fleas, quando tenebris, & carcere cæco,
Occluſus vita hac non potes ipſe frui.

In ſpeculum.

Judicium formæ Speculum, gratique decoris
Conſule, ſed morum ſit tibi cura prior.

In invidum Corœbum.

Noſtram tabificus licet, Corœbe,
Muſam dentibus, ore virulento
Pergas dilacerare, nil dolebo.
Nam mehercle invidioſus eſſe malo
Semper, quàm miſerabilis velut tu,
Qui te ipſum proprio necas veneno.

Ad Aldum Manutium Romanum ex tempore.

Adde Sophocleo ſemper celebrande cothurno,
Digneque Mœonia tollier uſque cheli,
Quo duce Romuleus vivit nitor, & petit aſtra
Gloria Cecropii jam rediviva ſalis.
Sis felix, faveatque utinam tibi ſemper olympus,
Et votis adſint fata benigna tuis.
Denique longævi poſtquam ſuperaveris annos
Neſtoris, æternam Dii tibi dent requiem.
Et tua perpetuum ver, & ſine pondere terram,
Spiranteſque habeat largius urna crocos.

§§§§
§§*
**

LUDOVICI BONACCURSII

GEMINIANENSIS.

ET fecunda viget genitabilis aura Favoni;
  Dædalaque ipſa ſuas terra miniſtrat opes.
Incuſtoditæ per prata virentia Nymphæ
  Ludunt; & Charites carmina lecta canunt,
Tempora ſutilibus gaudent redimire corollis,
  Floribus & plenos ſæpe referre ſinus.
Hæc legit Idalii monimentum dulce doloris,
  Altera Lampſacio lilia grata Deo.
Altera diſtincto componens ſerta colore,
  Pingit odoratis lactea colla roſis.
Hanc tenet æterno florens amaranthus amictu,
  Miſtaque Coryciis alba liguſtra crocis
Hæc lavat integris candentia pectora lymphis:
  Hæc placido flavas abluit amne comas.
Dulcia purpureis alvearia floribus explet,
  Et liquidum nectar ſedula fingit Apis.
Candida felices impellunt lintea venti;
  Et placidum nautis aura miniſtrat iter.
Tam tener umbroſas intexit pampinus ulmos;
  Dives & in viridi palmite gemma tumet.
Nunc frondent ſilvæ, frondet Phaëtontias arbos,
  Subicit & latas fraxinus alta comas.
Largius & niveæ detondent gramina vaccæ;
  Et referunt dominis ubera tenta ſuis.
Cuſtodes ovium tecti variantibus umbris
  Dicunt in viridi carmina læta ſolo.

Co-

Corniger intonſi repetens Pan ſumma Lycæi
  Capripedes Satyros ad nova feſta vocat.
Jam volucres liquidum concentibus aëra complent;
  Et volitant vario per nemora alta ſono.
Daulias & denſis reſidens Philomela ſub umbris,
  Concinit Iſmarii fata gemens Ityli.
Candidus Eridani cantat modo Cycnus ad undam,
  Dulcius extremum quod canat ante diem:
Et modo Mæonii liquentia ſtagna Cayſtri
  Mulcet, & argutis Aſia prata modis
Nunc leo Getulis recubat placidiſſimus antris:
  Nec cupit imbelles dilacerare feras.
Plurima taurinos initus optatque, timetque
  Bucula, & incurſu florida prata terit.
Jamque audet fluvios ſonipes tentare minaces:
  Et movet excuſſis ardua colla jubis.
Omne genus, magnæ vel quod colit arva Parentis;
  Cœrula vel liquidi quod colit antra maris,
Quodque iter intendit pennis per inane profundum,
  Et fruitur ſemper liberiore polo,
Uritur: & teneros ſecum meditatur amores;
  Et ſequitur Paphii mitia caſtra Dei.
Scilicet intermiſſa diu ſua prœlia miſcet,
  Et renovat pugnas imperioſus Amor.

De Narno, & Heſterie.

Vitiferos effert qua ſcantia villula colles,
  Flavaque Minoas provocat uva lacus,
Lanigeri Narnus cuſtos gregis impiger agro
  Errantem ſtabulis fors revocabat ovem.
Heſterie ſimas paſcens vicina capellas
  Purgabat facili rura paterna manu:
Et durum cantu cupiens lenire laborem,
  Nectebat tenui ruſtica verba ſono.
Carmen erant paſtor, montes, armenta, gregeſque,
  Et quæ Parrhaſio fiſtula grata Deo eſt:
Antiquaſque novo memorabat carmine amores,
  Admiſcens variis verba referta jocis.

Aſt ille argutæ captus dulcedine vocis,
  Captabat bibula ſæpius aure ſonos.
Dumque illam ſpectat, fixoſque in Virgine ocellos
  Uſque habet, in miſerum ſpicula torſit Amor:
Cordaque fatali tinxit moritura veneno:
  Nec fuit a dira tuta puella manu.
Heu heu quid ſævo non expugnabile Amori?
  Senſerunt Paphias ruſtica corda faces.
Inque dies ardor gliſcit: rigidoſque per artus
  Errat: & in medio pectore flamma furit.
Nam modo ſuſpirat miſtum candore ruborem,
  Et modo luminibus lumina grata ſuis.
Jam thalamo fingit: jam caræ munera nuptæ
  Præparat: atque animo ſpemque, metumque fruet.
Nec minus infauſtos Virgo nutribat amores:
  Ardebantque una pectora bina face
Illa ſibi hunc unum fingitque, optatque maritum:
  Nec ſibi, quam Narnum, malit habere Jovem
At pater, innuptæ tangit quem cura puellæ,
  Ut viſa eſt auctis nubilis uberibus,
Hanc ſpondet Mepſo; ſeptem cui pinguia ſilvæ
  Jugera, & anguſtæ junctus ager caſulæ.
Utque domum rediit: flavos mea filia crines
  Come, ait, & verna tempora cinge roſa
Deſponſa es Mopſo, diti cui plurima ſilva
  Frondet: & in ſeptis plurima balat ovis.
Erubuit: certo nec conſtitit illa colore:
  Dicere ſed contra nil tamen auſa patrem.
Nec mora, quum ſertis longos redimita capillos
  Egreditur: feſta limina fronde virent.
Jamque & Mopſus adeſt: feſtoſque Hymenæon ad ignes
  Multifori loto tibia læta canit.
Jam ducunt juvenes choreas, junctæque puellæ:
  Sparguntur pueris myſtica dona nuces.
At miſer auferri ſibi ne ſua gaudia cernat
  Narnus, inhumanos jam parat ire Getas.
Ah nimis infelix, ſi quem temerarius odit
  Ille, ipſos cogit qui juga ferre Deos.

Dum

Dum fugit, Heſterien ſolam miſer invenit: & ne
  Non pereat, renovat vulnera ſævus Amor
Junxerunt pariter dextras: lacrimiſque profuſis
  Occluſum in medio eſt pectore vocis iter.
Tum qui nolenti nuper defluxerat humor,
  Subſtitit invaſit pectoris ima dolor.
Non ſecus obriguit, quam quum Sipyleia mater
  Inter tot miſera eſt funera facta lapis.
Vixque domum Heſteries lacrimis, precibuſque parentis
  Ductus, in agreſtes corruit ille toros:
Faſtiditque dapes, & ſi quid forte ſalutem
  Ferre queat; patris nil valuere preces.
Non hic Phylliride, non hic tua cura Melampu,
  Nec proſunt artes, docta Cytæi, tuæ,
Non ipſa Heſterie, tanto quæ exterrita caſu
  Venerat, ut ſi qua fors pote, ferret opem.
Vocibus illa quidem blandis lenire dolorem
  Nititur innumeris officioſa modis.
Ipſa ſua ponit condita cibaria cura:
  Ipſa ſua miſcet dulcia vina manu,
Ille mori certus, non tantum vina repellit,
  Atque cibos, gelidam ſed neque guſtat aquam.
Pervigil inſomnes ducit noctesque, dieſque:
  Sentit & extremum jam ſibi adeſſe diem.
Heſteriæ aſpectu morientia lumina paſcit,
  Heſteriam nutus, lumina, labra vocant.
Hæc modo contrectat dextram, modo brachia collo
  Subiicit; & longa ſuſtinet uſque mora.
Aſſidet interdum, blandiſque arridet ocellis,
  Non longas ſpondens fors in amore moras.
Sed quæ debuerant flammam extinxiſſe furentem,
  Ignibus inſanis hæc alimenta dabant.
Quarta dies aderat: nec erat ſpes ulla ſalutis:
  Illa tamen ſpretas admovet uſque dapes.
Nil ille: occulto ſed tantum exuritur igne,
  Quam pulſa ingenti Sicelis Ætna Noto.
Ac veluti Arcadius correpta in fomite flamma
  Ardet inextincto protinus igne lapis:

Sic

Sic poſtquam cæcæ ſubierunt intima flammæ,
  Narnus inextinctis ignibus eſca fuit.
Ut vero Heſterie morientis lumina vidit,
  Et lux, ut potuit, dixit, amica vale;
Tunc ſuper exanimes collabens protinus artus,
  Exangui penitus corpore muta jacet.
Excita: ſæve pater, præfer virtutibus aurum,
  Et Narno ingrati jugera pauca ſoli.
Crudeles Parcæ, crudelia fata putatis
  Heſterie hunc ipſum poſſe carere rogum?
Dixerat, & medios totam ſe jactat in ignes:
  Accedens Paphiæ victima grata Deæ.
Felices Animæ, Elyſiis nunc ludite campis,
  Hic ubi perpetuus vincula nectit Amor.



LAZZARI BONAMICI
BASSANENSIS.

Ad Altenerium Avogarum.

AUdivi & dolui ipſe tuo perſæpe dolore.
Nam mihi cum caris fortunam ſemper amicis
Communem duxi: quos tu mea dulcis es inter
Cura, Alteneri: tua noſtro ſemper imago
Atque animo, atque imis habitat jucunda medullis.
Unde, tuæ caſu uxoris perculſus acerbo,
Natorum ſtudia, atque incommoda multa, domuſque
Totius tacito deflevi pectore mecum,
Quem mihi nunc revocat carmen miſerabile luctum
Miſſum ad me, nuperque mihi medicina dolenti
Adfuit; hæc præſto tibi erit medicina dolenti;
Si modo ſanari cupias, morboque levari;
Nec præbere velis crucianti alimenta labori.
Si quid forte optes aliquem rogitare, neque illud
Summis principibus conceſſum umquam admoneare,
Idne petas; turpem vel ſi patiare repulſam
Indignere petens? non arbitror; eſſet iniquum
Hoc etenim; nam Pontificis quod provida cura
Noluerit ſummis Patribus permittier, hoc quis
Audeat impetrare? aut quis tum jure quietus
Rejectus noſtrum? Lex hæc eſt omnibus æqua
Principio, & ſtatuit pater hanc hominumque Deûmque,
Privatim cuiquam nihil eſſe in morte remiſſum.
Magnorum Regum uxores periere, Ducumque:
Ante diem multis nati cecidere, cadentque

An-

Ante diem; ut fatorum ordo atque arcana tulere.
Cuique Dei ſtabili ſortes ducuntur ab urnâ,
Non exorabis prece quas pretiove redemptas.
Ut folia arboribus, nobis ita vita: cadunt hæc
Sponte, arent hæc, hæc vi ſumma diſſipat Eurus.
Conditio hæc eadem miſeris mortalibus apta eſt.
Et quandoque doles, hominem tum te eſſe memento.
Hoc eſt, ſubjectum ſorti, imperioque Deorum,
Et madidi tenuem compacti pulveris umbram,
Quo nihil enixa eſt tellus infirmius umquam:
Tum ſubito faſtus pones, animoſque ſuperbos,
Parebiſque Deûm & naturæ legibus æquis:
Et quæcumque volent, ſcelus hoc, te nolle, putabis
Et diſces te velle, quod accidit, ut tua fert ſors:
Quo vitæ variis in tempeſtatibus actus,
Arte regens teneas portum hac tutiſſimus unâ,
Ne ſcopulis, mediiſque miſer merſere ſub undis.
Quod ſi te tantùm conjux dum vixit amavit,
Quantum te certe ſemper dum vixit amavit,
Forte Deûm juſſu pallentibus extet ab umbris;
Ipſa tuum adſpiciens mœrorem, mœreat ipſa,
Et te a perpetuis lacrimis traducat ad unam
Natorum curam; vivendi ut noſcere rectam
Adſueſcant primum rationem; deinde latentes
Naturæ primas tentent evolvere cauſſas:
Ut ſe abducentes paulatim carcere cæco,
Omnia Diis tribuenda putent, præponere rebus
Omnibus hos diſcant; diſcant his ſacra parare
Pectoribus puris, facibuſque ardentis amoris,
Sin hoc non poſſint, Legum civilia jura
Percipiant animis; his curæ publica ſit res:
Aut præcepta domus teneant præclara tuendæ,
Et tecum exemplo patruus bonus excitet illos
Julius, ingenio nulli & probitate ſecundus.
Nec nihil interea magni doctrina Tryphonis
Profuerit, ſibi quem Aonio nutrivit in antro,
Divinum inſpirans animum crinitus Apollo;
Et Sadoleti liber aureus, aurea fundens

Flu-

Flumina: quæ teneris ſi quis puer ebibat annis,
In terris vivet cœlo digniſſimus, olim
Sedibus æternum acturus melioribus ævum,
In manibus ſtudio ardenti verſetur ab illis.
Et doceatur acu varias depingere formas,
Deque colo celeri deducere pollice fila,
Et tenuem Lucina meâ exercere Minervam;
Adque pudicitiam tenero formetur ab ungue.
Hæc tua ſi tecum coniux & plura loquatur,
Quæ tibi ſubiiciet ſapientia, nonne probares?
Perque tuum caput, & per conjugium inviolatum,
Jurares poſito facturum talia fletu?
Vir age, quæ mulier ſi diceret, effice per te:
Et cum longa dies lacrimas abſtergat inanes,
Præripe conſilio, & annorum percipe fructum:
Et nil proficiens lacrimis, luctuque perenni,
Luſani duc eſſe dolendo augere dolorem.
Natorum ſit cura dolor, convertere mentem
Huc decet, hi luctus tibi, femineique ululatus
Docte Alteneri, permitte & cetera Divis;
Qui multò quàm nos melius curantque reguntque
Omnia: nec ceſſant ullo umquam tempore nobis
Conſulere; incertæ ac miſerati incommoda vitæ
Occultâ ratione juvant, nos ſæpe querentes,
Sæpe pater, natis quod prodeſt ſuaſit; at illi
Detrectant aliquem propter plerumque laborem:
Sic nos facta Deûm ſtultè reprehendimus ægri,
In nobis major quaſi ſit ſapientia rerum.
Artificis ſi docta manus quod finxit in ære,
Aut ebore egregium, ſe ſe miratur in illo.
Illud amat, transfert quò vult, permutat & ut vult.
Hoc, niſi deliret, quis damnet? Non opus ergo
Si ſapiens natura ſuum, aut mundi melioris
Ille opifex terris hinc auferat eſt ubi ſemper
Luctus edax, vigiles curæ, triſtiſque ſenectus,
Morborum & genus omne, iræ, inſidiæque dolemus?
Non ita nos monuere virorum illa inclita proles,
In mortem qui olim pro libertate ruebant;
Nec

Nec qui cœleſtûm numerum implevere Deorum,
Cum quibus eſt nobis nomen commune, nec inde
Quidquam præterea hos animos quidam velut æſtus
Hinc procul & longè ſecum abripuere procellæ.
Tantum ſtultitia, atque ignavia pigra malorum
Innexit, tenebris involvens omnia diris
Pr ſca fides quas ſola poteſt de pectore noſtro
Diſcutere humanis prohibens confidere rebus,
Quarum decipimur ſemper fallacibus umbris;
Quæ bona ſunt, mala; quæ mala ſunt bona noſtra putãtes,
Ut ſæpe adverſo concurrunt flamine venti,
H nc dolor, hinc pavor, hinc ſpes, exultantiaque inter
Gaudia ſollicitas agitant noctesque, diesque,
Mortales ſi qui tantum mortalia curant.
Nonne fuit ſatius cœleſtia templa tueri
Sæpe animo, & noſtras illic ſpes ponere? quas non
Fortuna, aut hominum potis eſt injuria, nec vis
Ulla movere loco, aut tenues diſpergere in auras.
Hoc etenim ſolum pacto traducere vitam
Lætam & felicem, mox & ſuccedere cœlo
Quimus, ab his vacui paulò quæ diximus ante.
His ego fomentis potui ſuperare dolorem
Communem; hæc mihi ſunt curarum dulce levamen;
His pugno adverſus victor tela omnia cæcæ
Fortunæ, auſpicio tamen auxilioque Deorum.
Ergo, quam mihimet quondam, tibi nunc medicinam
Præſentem admoveo, nullo de monte petendam,
Sed quæ, Alteneri, noſtra intra pectora nata eſt,
Tu quoque prompto animo, prius huc Diis rite vocatis
Utere nam mentis ſubito labor effluit omnis
Irritus, & vitæ reddes te, Avogare, beatæ,
Cum Muſis ſemper Phœboque Helicona colentem:
Cujus opes mihi ſæpe legens, huc carmina mittes,
Ut dulci hoc liceat terere otia noſtra labore:
Namque pari Euganeæ viſent te munere Nymphæ.

Carolo Capello S. P.

Cum tua percurrens curſu vada ſalſa ſecundo,
Adpulit ad parvi Jovis incunabula puppis,
Quid tibi viſa ſitus facies, terræque, mariſque,
Quid cœlum ſtudiis Muſarum ardentibus aptum?
Inde ubi te inſignem ſceptro excepere frequentes,
Atque domum celebri comitatu turba reduxit,
Quæ tibi mens, quæ tum cura occurſaverit ultro,
Scire velim: num ſis hæc tecum verba locutus:
Hæc eſt Creta Jovis quondam fidiſſima cuſtos:
Hæc ſunt illius quondam juſtiſſima regna,
Umbris qui meruit dare jura ſilentibus: hæc eſt
Terra antiqua meæ patriæ, tam multa miniſtrans.
Hinc ego præceptis implevi pectora doctis,
Muſurum puer audivi dum ſæpe canentem,
Muſurum, Muſis quo nemo carior, ipſis
Vocibus Italiam docuit reſonare Pelaſgis.
Sum ferus, hic niſi ſim recti, pietatis, & æqui
Obſervator, & huc revocem Minoia jura,
Qua licet: hoc & propoſito ſim fixus in uno,
Ni bona quæ poſſim Cretenſibus omnia curem,
Hæc tecum ipſe, hiſque & multo te plura locutum
Eſſe reor; tacito dum corde arcana volutas,
Quæque Academiæ ſcrutata eſt, quæque Lycæi
Docta cohors; & quæ divino numine vates
Adflati cecinere; Deus cum ſanguine noſtrum
Eluit & ſcelus, & cœleſti in ſede locavit.
Dignum ita te imperio Cretæ præſtabit, eriſque
Civibus Adriacis, necnon Cretenſibus, & Diis
Et carus tibi; nam cunctis benefacta probantur.
Noſſe etiam cupio loca quæ jam inviſeris: an te
Ambages Labyrinthi & inextricabilis error
Ceperit, atque Idæ luſtraveris ardua montis
Dictamnum carpens & olentem cedron, ab udo
Miratus paſſim manantes vertice fontes:
An tibi librorum veterum pretioſa ſupellex

Par-

Parta ſit, Attalicæ vere anteferenda, nec auro
Æquanda, ingeniis quando hæc inventa colendis:
Num quod opus, quod Praxitelis, vel docta Myronis
Finxerit, educens viventes dextera vultus,
Inventum? aut ſi forte alia ornamenta locorum,
Quæ Muſæa vocant, Muſarum ex nomine Graii,
Qualia Medoaci ad ripam fundavimus ipſi
Vicinam triplici Patavi ſub mœnibus urbis,
Et non invitas Muſas huc ſæpe vocamus.
Talibus ornari & tacito quaſi murmure poſſunt.
Denique quis rerum ſtatus omnium amice meatum,
Nunc tuus, ex teipſo Bonamicus ſcire laboro.

Matthæo Dandulo, ad Regem Gallorum a Venetis Legato.

Dandule, qui magnis patriæ de rebus agendis
Miſſus ad egregium es poſt plurima ſæcula regem,
Sero ad te ſcribo, non quo mihi ceſſerit ulla
Cura tui ex animo: quippe es mihi ſemper in ore,
Inque oculis ſemper gero te, geſſique, geramque
Dum vivam; noſtræ veteris ſic poſtulat uſus
Dulcis amicitiæ; ſed te dum diſtinet alto
Congreſſus cum Rege, & prima negotia, dumque
Hoſpes es ignotos inter; dum mille recurſant
Curarum, ne ingrata atque importuna veniret
Littera pertimui; nunc cum præclara parentis
Et tua te virtus cœloque æquarit, & ipſi
Ingenti carum regi, totique cohorti
Reddiderit, multo tibi me jucundius illa
Omnia conabor, quæ ſcribere poſſe putavi,
Effari, quæ nunc, niſi quod te forte moratur,
Accipe: Contendant ſunt qui magis eſſe beatum
Te modo Gallorum viventem in divite terrâ,
Gens ubi non fallax, non ulli obnoxia curæ,
Hoſpitiis locuples, ubi fontes, flumina, montes,
Arvaque, nec minimum cedentia vina Falerno:
Eſt ubi nobilium comitatus regius auro,

Et veſte inſignis qualem nec Perſidis ora,
Nec dives vidit Syrius, nec diſcolor Indus.
Jam Rex ipſe animo ante alios clariſſimus omnes,
Pellæo juvene, aut ſublimi Cæſare digna
Concipiens, largâque effundens munera dextrâ:
Qui, quo quæque loco ſita ſunt, & quæ poſitura
Terrarum; & cœli, quæ cuique potentia regno,
Et belli, paciſque artes, quæ virgine natus
Edocet ætheriis nos inſertura beatis,
Et tenet, & doctas Muſas colit; & Philadelpho
Egregiâ laudem delibat Bibliothecâ.
Macte animo, Rex magne, Deûm certiſſima proles;
Imperium Superi, & divina incepta ſecundent.
Te quoque nunc facit illuſtrem, magis atque habitandam,
Quamvis prole virûm per te ſis Gallia felix,
Italiæ decus Hippolytus, qui pectore ſacro
Virtute æternas flores decerpit ab omni,
Præſtanteſque viros paſſis complectitur ulnis
Dona ferens, Latii antiquo digniſſima more.
Quid dicam, quæ nota tibi tot millia, quæque
Audire eſt operæ prætium, oblectantque videndo,
Multarum quibus & patitur ſapientia rerum:
Quæ ſi cuncta velim percurrere, longior eſſem
Quam par eſt, proprium nec haberet epiſtola nomen.
Nos etiam his ita te felicem ducimus, ut non
Uxoris memor excludas de pectore curam,
Quæ te ſuſpirat lacrimans nocteſque, dieſque:
Uxoris, quâ nec melior nec ſanctior ulla
Dotibus Adriacam exornat muliebribus urbem.
Ut gravis occurrat tibi mater ſæpius annis,
Infelix mater quæ te ſic quærit, ut undam
Cerva ſiti ardenti fauces ſiccata, cadente
Nec Sole, aut curam nati exoriente remittit.
Harum commotus juſto, Matthæe, dolore.
Abſentiſque tui luctu, & deſiderio, ſit
Ipſa licet tanto florens nunc Gallia cultu,
Non tute ad reditum ſubito accingeris, ubi ipſi
Et patriæ, & Regi ſat feceris? O ego tecum
Æſti-

Æſtivo quam ſæpe die ſermone retexens
Omnia, quæ magno in Rege admiranda, rogabo,
Videris, audieriſve, tuum cui ſæpe per hortum
Spargemus flores, & frigida vina bibemus;
Aut auram foribus ſimul accipiemus apertis,
Dulcem auram, quæ ad nos curret pernicibus alis;
Aut ex Medoaco ſurgens, aut ex Aquilone
Et gratas magis efficiet de rege loquelas?
Interea bonus, & doctus Daneſius, iſtic
Eſt ſi forte, meis verbis ſalvere jubeto:
Inque vicem fratres, perquam bene convenientes
Cum raro ſtudiis florens Baptiſta Rodolpho,
Nobiſcum tradunt ſe ſe tibi: jamque videre
E Celtis cupiunt nitidâ cute te redeuntem,
Amplectique ſimul, ſimul oſcula dulcia ferre.
Ac ne res Italas ignores: frugibus annus
Felix & Baccho eſt; nec plurima bacca olivetis,
Nec deſunt pratis herbæ, nunc ruſtica pubes
Læta adventante eſt plenâ jam meſſe, paratque
Primitias animo Cereri, patrique Lyæo,
Et Floræ, dedit & doctis quæ nomen Athenis.

De Lucia a Sole, ante ejus obitum.

Dum ſolus recreor, nocturnaque frigora capto,
  Ecce mihi a tergo Sol novus exoritur.
Diſpeream, niſi tunc me totum ardere putavi,
  Et mediâ clarum nocte videre diem.
Altera lux, nova lux, Solis qui lumina vincis,
  O oculis utinam ſæpe oriare meis!
Nam ſine te denſis nox omnia plena tenebris
  Occupat, & tecum naſcitur ipſe dies.
Phœbe, tuas inhibe, Sole hoc lucente, quadrigas,
  Ne te homines Solis nomen inane putent.
Forſan & e Superum pulſo te ſede jubebit
  Juppiter hunc alto pandere ab axe diem:
Aut certe terras hunc te luſtrare ſecundo,
  Ut ſit ab æthereâ purior arce dies.

Ni potius cœli rector Junone relictâ,
Hanc amet, hanc ſociam malit habere tori.
Sic Patavi urbs mœrens raptâ ſibi luce dolebit,
Et minor in ſuperis Sol erit ipſe locis.

Ad Benedictum Rhambertum.

Dum Venetum ſecreta animo, Rhamberte, volutas,
Quæ molem imperii tantam terrâque marique
Suſtentant, Patrumque decus majoribus augent,
Dumque tuum nomen longos extendis in annos,
Regibus expromens doctis hæc omnia chartis;
Me mea rura tenent, ſemper gratiſſima rura,
Sed tunc grata magis, quoties ver fundit odores,
Temporaque arrident cœlo diffuſa ſereno.
Hîc ego dum curas aveo deponere amaras
Reddere meque mihi, vitam præſtare beatam
Quid queat, adverti; modo quis procul urbe relictâ
Rura colat, ſtudiiſque animum delectet amœnis.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Errabam vacuus, depreſſæ collibus altis,
Quâ ſe ſubiiciunt valles, ac florida circum
Prata rigant, liquidis fontes ſalientibus undis;
Ecce mihi auditus ſublatus ad æthera cantus
Paſtoris tremulâ recubantis molliter umbrâ,
Cui reſpondebant cantanti hæc concava ſaxa:
Quid datur a Divis melius mortalibus ægris,
Quam bona quæ pariunt paſſim lætiſſima rura?
Hic hominum primi vitam incoluere beatam,
Cum placidam nondum turbarent prœlia pacem,
Nec caderent miſeræ crudeli cæde phalanges.
Huc etiam Divi deſcendere non dubitabant,
Horrida nec puduit ſe ſe demittere in antra,
Incertoque gradu nitidos errare per agros,
Atque humiles alto terras præponere cœlo.
Nec mirum; vultu læto cum dia voluptas
Suppeditet nobis bona gaudia tempore in om
Cum variis tellus redimitur floribus, & cum

Ar-

Arboribus virides redeunt per brachia frondes,
Atque avium dulces cantus nemora avia complent.
Quin etiam ſpectare juvat flaventibus arvis,
Undantes ſegetes, juvat & conſidere in umbrâ
Tum pater Autumnus decerpit mitia poma,
Et juvat in mediis nivibus venarier apros.
Quid ſimul attulerint urbes? Latet urbibus altis
Curarum genus indomitum, durique labores.
Hunc levis ambitio exagitat noctéſque dieſque,
Omniaque evertit jucundæ commoda vitæ.
Eſſe poteſt quid enim damnoſius ambitione,
Aut quod diſcruciet magis, aut mage ſit fugiendum?
Illum divitis videas inhiare repertis,
Sub pedibuſque Deum ſubſternere religiones,
Pluribus ut terram fecundam vertat aratris,
Et colat auratas ædes, ſtratiſque recumbat
Quæ Tyrio tinxit conchylis purpura fuco.
Quid maris horrentes quoties tolerare procellas
Cogit avarities, quando dulciſſima conjux
Linquitur, & dulces nati, quos cura fatigat,
Ne pater infelix ſpumantibus occubet undis?
Præterea armatas acies concurrere cernas,
Seditio quoties ſtimulis incendit amaris
Commotas hominum mentes, queis lenius Auſtri
Sæpe ruunt, vaſtique cient fera murmura ponti:
Tutius ah quanto eſt ſilvas verſarier inter,
Horribileſque feras quam diras ſeditiones,
At non hanc rabiem nobis bona rura tulerunt,
Queis natura parens æquos partitur honores,
Ne ſocio invideant alii, quoniam altior illum
Tollat honos, ſolioque inſignem exornet eburno.
Ruris opes varias cumulat quas prodiga tellus
Quis memorare queat? non ſævum trans mare navi
Cogimur in dubiâ peregrinas viſere terras,
Et tempeſtati caput objectare furenti.
Nobiſcum ſemper vivit dulciſſima conjux,
Nobiſcum nati faciles ſubiiſſe labores.
Et juvat & lætæ traducere tempora vitæ:

Præcipuè vero convivia ponere in umbra,
Cum canis arentes rumpit latratibus agros,
Qua tenues ſpargit rivos argenteus amnis,
Securiſque animis ſomnos inſtillat inertes.
Has ego paſtoris voces poſtquam auribus hauſi,
Rhamberte, atque animum ſenſi lætarier intus,
Commoda dum ruris meditatur cuncta beati.
Tunc mecum: aut felix nuſquam vitæ genus ullum,
Quo ſe mortales jactant, aut hoc erit unum.
Quod ſi vis divina animi bona rure beato
His etiam addiderit, nihil eſt felicius illo
Quæ poſſunt homines cœli ad ſublimia templa
Erigere, & famâ tandem donare perenni;
Aſſidue veterum tractant dum ſcripta virorum,
Sollicitas mœſto pellunt quæ pectore curas,
Et virtute nihil demonſtrant pulchrius eſſe:
Quæ poſtquam elegit, cæcâ caligine denſæ
Diffugiunt nubes radiis pulſæ rationis.
Felices; quibus hunc vitæ decurrere curſum
Numina amica ſinunt! illis non anxia cura
Deprimit in terras divinæ lumina mentis,
Sed veluti in ſummo ſublati vertice montis,
Quem teneat tranquilla quies atque otia læta;
Deſpectare queant alios erroribus altis
Implicitos, rectæque viæ deflectere curſum.
O Divûm munus rarum Sapientia, quantis
In tenebris ſine luce ſuâ vita ipſa vacillat!
Quin etiam rerum cauſſas ſcrutantur, & omnes
Diſpiciunt mundi partes: quos aurea curſus
Sidera conficiunt: num ſempiterna manebunt,
An potius tenebris aliquando immerſa jacebunt:
Quâ cauſſa maris unda tumet, rerumque tenetur
In medio ſuſpenſa gravi cum pondere tellus.
Has artes docto moderantur carmine Muſæ,
Rura quibus ſecreta placent, colleſque beati,
Concinere adſuetæ frondenti Heliconis in um
Hæ ſi cui variis ornabunt tempora ſertis,
Non illi in vitâ Fortunæ tela nocebunt,

Et

Et vaga contempto volitabit fama ſepulchro!
Quod ſi unquam optati huc tulerit me dextera fati,
Secernens populo ac tranquillá in ſede locabit,
Diſpeream ſi quid magis oblectare meum cor
Poſſit, & ad ſedes ſummorum attollere Divum;
Non mihi ſi quis opes dederit quas Africa latis
Fertilis effudit campis, quaſque India gemmas.
At vero imprimis cuperem tot gaudia tecum
Percipere, & tecum ſpatium conſumere vitæ,
Quod ſupereſt, cum ſis vitâ mihi carior ipsâ.

Matthæo Dandulo ad Pont. Max. a Venetis Legato.

Gallia bis quondam, nunc te clariſſima Roma
Legatum caput orbis habet, quam leniter amnis
Cæruleus Thuſcis interfluit ortus in oris,
Hinc atque hinc humiles ſurgunt ubi vertice colles;
Frondentes ſeptem colles, ſeu frigus ab Arcto
Urgeat, haud hyemis dubitant ſuperare vigorem,
Seu ſol æſtivas emittat in æthera flammas,
Se ſe non ceſſant aurâ recreare ſalubri,
Undique convictos priſci quo ſæpe Quirites
Duxere æternos Capitolia ad alta triumphos;
Omnibus implentes virtutis honoribus orbem,
Hic tali & tantâ cum ſis orator in urbe,
Et vacat a curis patriæ, & teris otia ſolus,
Num venit in mentem tibi quod mihi? Namque ego ſæpè
Hæc mecum: O ſi quis tali qui primus in urbe
Antiquæ Romæ imperio mentemque, animumque
Conciperet dignum, peperit quod plurima virtus,
Et præceps dedit hæc eadem in contraria verſa:
His omni monitus virtutem ex parte vocaret
Terrarum Romam; Septem ſe attollere colles
Inciperent: ſe ſe & diffundere nomen in orbem
Romanum populi leges, & jura volentes
Acciperent Romæ, ut quondam, nunc optima quæque
More jacent noſtro ſi quid laudabile, ſunt qui

Ju-

Jure putant ſimulatum id totum, alioque relatum.
Hinc odium hinc magnæ nata eſt contemptio Romæ,
Quid ſi ſe regere imperium cœleſte putarent,
Ut regit, atque Deo curæ commiſſa fideli?
Fallere quem nemo poſſit, qui reddere coget
Quemque ſuæ, primæ repetens ab origine vitæ,
Et dicti, & facti rationem; quæ quis & intus
Condiderit tacitus, depromere cuncta jubebit:
Quem mirabuntur candenti in nube ſedentem
Matres, atque viri, & variæ longo ordine gentes,
Terribilemque oculis, & majeſtate verendum;
Nonne putas aliâ ſubito tunc mente futurum?
Nonne ſuos, ſua quæ non ſunt, partitus in uſus
Rite Deum atque homines placaret? nonne repente
Mutaret totum vitæ genus ille, Patrumque
Sanctorum indueret mores, felicior omni
Principe, principibus cunctis venerabilis? ut nos
Cum ſervis noſtris aliquid mandamus, ita illi
Parerent dicto ſenioris; at arma jacerent
Subjecta illius pedibus Mavortia, pluſque
Nutu proficeret, quam Cæſar Carolus armis.
O tum quæ facies urbis, quæ ſurgere templa,
Dandule, conſpiceres, hominum qui cœtus in urbe;
Quam ſimilis noſtro Polo, pietaſque, pudorque
Europæ, atque Aſiæ partes manaret in omnes.
Fuſa Dei hunc propter ſupremâ a luce benigni,
Fecundo plueret tum gratia ſemine terris,
Hunc ego, mortalis vitæ compage ſolutâ,
Quam tamen (ut licet hic) exegerit ipſe beatam,
Cœleſtum ſublatum alis ſuper alta volare
Sidera crediderim, & numero ſuccedere Divum
Viſuros homines, cui vota, & ſacra quotannis
Ætas ſuſciperet mirata hæc poſtera; ſed non
Hæc animo miſeri fatis agitamus iniquis,
Adverſis aut Diis non credimus, ore tot olim
Quæ cecinere Patres, Deus eſt effatus & ipſe:
Tantum importavit res hæc privata malorum;
Tantas blanditiæ, mundi effudere tenebras.

Hæc

Hæc ſæpe ut dixi mecum; quæ ne patiare
Efferri rogito: ſola hæc tantum tibi ſoli
Scripta, aut cum magno duces communia Polo;
Quem docuit puerum quondam demiſſus ab alto
Spiritus, inſevitque pio ſub pectore motus
Divinos animi, & cœleſtia ſola tueri
Donavit; nobis conceſſum hoc tempore veræ
Exemplum ſolidæ virtutis, nonne ego felix
Sim ſi forte altâ reſidentem in ſede viderem?
Nam reor hunc (veri ſi quid mens augurat) eſſe
Illum, reſtituat claræ qui mœnia Romæ.

Ad Reginaldum Polum Cardinalem.

O alto qui cuncta animo circumſpicis, & quæ
Recta, & curva vides, fugis hæc, legis illa: nec ulla
Vis potis eſt animum recto deducere: ſi tu
Forte probas, Lybiæ domitor quæ ſæpe ſolebat
Dicere, & egregio de pectore fundere in auras:
Eſſe unum hoc nobis omni ratione, modoque
Optandum & conandum acri aſſiduoque labore,
Ut ſimus primum, deinde ut videamur honore
Digni tum nobis poſtremaque & ultima cura,
Quod tamen eſt hominum primum pleriſque, ſed ægris,
Ipſe honor: anteferas Romanis, Pole, triumphis
Quòd tua te virtus in cœlo ponit, & aſtris:
Quod te mortales omnes, juveneſque, ſeneſque
Optabant ſacris præfectum rebus, & eſſe
Errantum paſtorum ovium, qui paſcua læta
Monſtrares, dulcique impleres ubera lacte.
Et, ſi non ullis nimium mens læva fuiſſet,
Paſtor eras, ſed te Deus ad majora reſervat
Fortaſſis momenta, nihil nos novimus: ille
Omnia: & æterno moderatur cuncta tenore.
Interea longo quondam quæ nota labore,
Prælucente Deo, tibi ſunt, pater optime, ſacris
Eruta de libris, noli occultare, ſed auras
Profer in ætherias: volitent ſine pectora circum,
Et

Et doceant Chriſti cultum: qui miſſus ab alto eſt
Æthere, ut in cœli clara nos ſede locaret.
Dumque hoc, dumque illud laudant diverſa ſequentes,
Inque ſuum errantes errorem ducere tentant
Quiſque viæ ignaros, certa vix lege tenemus
Illius præcepta: ferent quæ ad ſidera cœli.
Qui potes, huc fer opem: populo ſuccurre labanti:
Da lucem tenebris, caligineque hinc procul acta
Veram oſtende viam, ſoli tibi quæ patet, & jam
Olim trita tuis pedibus veſtigia ſervat.
Fac tonet eloquiis, fac fulminet illa tibi uni
Vis conceſſa, Deus quoties ſummus rapit, & te
Ad ſua convertit, te talia munera poſcit
Et Deus, & noſtri magna inconſtantia ſæcli.
Aggredere: & noſtros, pater optime, dirige greſſus:
Qui tanto ſtudio ſacros evolvere libros
A puero es ſolitus, puroſque haurire liquores.
Fontibus, irrigui manantibus æthere cœli.
Hæc erit una Deo gratiſſima victima cunctis
Egregibus: nec te hanc pigeat mactare cruenti
Succinctum de more Popæ, tibi Tertius olim
Hæc eadem juſſit Paullus: jam juſſa capeſſe,
Aut potius cœptum percurre, & perfice munus.
Sic tibi propitus faveat Deus uſque, tuamque
In terris vitam ſervet ſine labe decoram,
In ſedes tua te accipiens poſt fata beatas.

Ad Joannem Matthæum Gibertum Veronæ Epiſcopum.

Jam nix in liquidas canis de montibus undas
Liquitur, & rigidi Boreæ furor æthere ceſſit:
Inſinuanſque almis Zephyrus ſe molliter arvis,
Perflat in amplexus telluris: at illa repente,
Cœleſtes ubi concepit fecunda colores,
Parturit: umbroſis crinitur frondibus arbos:
Et ſurgunt pictis pubentia gramina campis,
Nonne vides? variis ſubrident floribus horti,
Quos

Quos circum violæ, & ferruginei hyacinthi
Funduntur, calyceſque comis diſcludit odoris
Vere roſa exultans primi ſub lumina ſolis.
Jamque ſuis properant obiiſſe negotia curis
Omnia, & ignavæ propulsant otia vitæ.
Ecce thymum perquirit apis, roremque marinum,
Nunc hoc, nunc illud peragrans nemus, arteque mira
Anfractus molli e cera diducit & intus
Diſtendit liquido manantia nectare mella,
Sedula jam denſa feſtinat in arbore nidos
Ponere avis, caros ut quondam educere natos
Poſſit, & ardenti repetit ioca ſæpe volatu.
Frondoſique alta nemoris Philomela ſub umbra
Dulce querens, tenui premulcet gutture ſilvas.
Albus olor per colla modos dat longa canoros
Propter aquam, gaudens viridantis germine ripæ,
Jam procul a ſtabulis ducunt armenta, gregeſque
Paſtores, monteſque petunt, ac paſcua nacti
Herbida, projiciunt læti ſe in gramine læto,
Argutumque cava modulantur arundine carmen.
Quorum alius duros queritur maleſanus amores.
Contra alius placidæ decantat dona puellæ.
Reſponſant quibus antra eadem, valleſque ſupinæ.
Mugituſque ciet paſcens ad carmina taurus.
Navita jam ſiccas deducit in æquora naves,
Explicat & vernis ſinuantia carbaſa ventis.
Quod ſi plena auris nunc pandit vela ſecundis,
Et latum trabe nauta cavâ deſcendit in æquor;
Sibila dat paſtor ſeptem deducta cicutis;
Si raucum niveus nemoroſa ad flumina cycnus
Concinit, Alycones fundunt per littora cantus,
Attica populeos inter Philomela receſſus
Obſtrepit, & volucres ſuſpendit in arbore nidos:
Ipſæ etiam paſtæ flores alvearia circum
Taurigenæ meditantur opus cœleſte volucres:
Omnia ſi repetunt grato intermiſſa labore,
Feſtinantque ſuis percurrere munera curis:
Cur vati non turpe, decus, Giberte, ſaluſque
No-

Nominis Auſonii, hoc non tempore dicere carmen?
Et tibi qualemcumque ſuam exercere Camœnam?
Qui facis, ut cuncti poſſint tibi ludere verſus.
Hunc igitur noſtris percurrere vocibus altæ
Convalles, ſilvæque omnes, fonteſque, lacuſque
Gibertum, atque iterum Gibertum, aræque ſonabunt.

Ad Diegum Hurtadum Mendozam.

Villa ſuburbano dum me delectat agello,
Hinc Patavi egregiam ſtudiis, & mœnibus urbem,
Amplo & circuitu, & fluviis, cœloque ſalubri,
Illinc cæruleo ſurgentes leniter arcu
Palladis, & Bacchi ambiguo certamine colles
Cernentem Euganeos, ſubjectaque collibus arva,
Læta Ceres alto quæ ſæpe adſpectat olympo,
Inde per excelſas Alpes converſus ad Arcton,
Dum miror tarde volventem plauſtra Booten,
Et tot diverſis lucentes partibus ignes,
Cepheaque, ardentemque canem, ardentemque coronam,
Pleiadas, Hyadaſque auroque Oriona micantem.
Milleque præterea naſcentum, mille cadentum
Stellarum motus, ſeu cum ſol exit Eoo
Oceano, Heſperias ſeu cum ſe condit in undas:
Paulatimque feror ſublimior, arteque doctâ
Quis ſit, & hæc certâ qui temperat omnia lege,
Contemplor: licet ante alios ſit pectore Cæſar,
Et bello inſignis, teneatque patientia regna;
Ipſe tui tamen ingentis tum Cæſaris arma,
Regnaque contemno, curſu peritura fugaci:
Tum me felicem, tum me reor eſſe beatum,
Cui datur hæc, miſera procul ambitione tueri,
Non ego diſpoſitis trans altas evehor Alpes
Feſſus equis per ſaxa, & depreſſas convalles,
Fluminaque & rupes per mille pericula carpens,
Dum dicto citius cupio mandata referre,
Triſte juventutis ſolamen, triſte ſenectæ:
Atque pedum, atque alvi linquo, renumque dolores.

Non claſſem amiſſam Libycis in fluctibus, & rem,
Quæ bene non geſta eſt, cogor lugere, nec imo
Ingentem verſo curarum in pectore molem,
Imperii ut late fines producere poſſim,
Qui nulli tibi ſunt, animus niſi finiat æquus,
Nullius inſidias timeo, nec perdita cæcum,
Oblitumque mei rapit aſſentatio, non ſpe
Deludor vana, non quemquam denique fallo,
Sed Calcignani modo aprico colle ſub altâ
Ilice pallentes hederas, oleaſque virentes,
Et vineta inter vario certamine dulces
Excipiens cantus dextra, lævaque volucrum,
Nunc ad Medoaci doctæ ſub mœnibus urbis
Flumina, nunc Patavi ædium in interiore receſſu
Securus mecum meditor, ſi promere poſſim,
Quæ valeant prodeſſe olim mortalibus ægris:
Ut potiora petant, per me potiora videntes.
Quam tibi ſi mentem, priſcâ de ſtirpe, Diege,
Cœleſtes dederint, hæc ut cœleſtia cures,
Cui tanta eſt fortunæ copia, tanta bonorum
Librorum, ingenii multo ſolertia major:
Cujus luce ingens circumſpicis omnia, quæ ſunt
Quaque in re vel agenda, vel acri indagine mentis
Concipienda, in utram libeat tibi te dare partem,
Quæ de tam ſacro manarent pectore in omnes
Terrarum tractus? tua clara Hiſpania bello,
Conſilioque potens, doctâ ſed clarior arte,
Uno te quantum ſeſe jactaret alumno,
Et ſublime tuum ferret ſuper æthera nomen?
Ipſe autem in terris ſimilis Diis, ardua cœli,
Ardua terrarum celeri per inane volatu
Emenſus, primâ & repetens ab origine cauſſas,
Hic ageres Diis cum ipſis immortalibus ævum.
Sed tamen & divini animi ſunt munera, quæ nunc
Exerces, vigilans in publica commoda, magni ut
Cæſaris arma queant noſtris è finibus hoſtem
Pellere communem: pro quo te ſæpe loquentem
Mirantur Veneti patres: tua dicta Senatus

Ob-

Obſervat gravis ille, imoque in corde reponit.
Frumenti per te magnus convectus in urbem
Adriacam numerus, famis expaveſcere vultum
Horribilem vetuit, tu multos mittis ad altum
Scriptores Arno, huc veterum monimenta virorum
Comportaturos. Tu multis pectora placas
Cæſaris, & per te ſuſcepti a Cæſare multi.
Naturæ ignoraſſe vias, & ſidera cœli,
Inventaſque artes fecundi ad littora Nili,
Cùm refluit, totoque caput jam condidit alveo,
Non nocuit cuiquam: nocuit tranſmittere fines
Juſtitiæ, ignarum vitæ, rationis, & artis.
Nec minus in nobis cùm fluctuat, obfuit iræ
Veſanæ ceſſiſſe, & ſuccubuiſſe furenti:
Aut ſi quem cœpit potantem pocula Circes,
Subdola, blanda hominum labes atque eſca voluptas:
Denique pro patriá fugiſſe pericula habendi
Plus æquo, & ſeſe expleviſſe cupidine tantum,
Et ſua vitare, atque hominum contemnere cœtus.
Contra olim multum, ac veteres feciſſe videmus,
Quorum nunc omnes fruimur virtutibus, & quæ
Nunc ſunt illorum nobis peperere labores,
Quorum vita dedit hanc nobis vivere vitam.
Hæc urbes regere, hæc populos ſervare beatos
Sola poteſt, dare conſilium, & ſuccurrere amicis.
Hac vagus Alcides, hac attigit ignea templa
Liber, & in cœlum raptus poſt fata Quirinus,
Innumerique alii: præclara negotia quorum
Otia juverunt aliorum. Lapſus ab alto
Virginis in gremium pater ipſe hominumque, Deumque
Induit humanam faciem, moribundaque membra:
Tantus amor noſtri, miſerans incommoda noſtra
Ille ipſe immenſi ſator, & regnator olympi
Multa tulit noſtro, ſubeundo mille labores
Nomine, ſudavitque, alſitque, famemque, ſitimque
Senſit: & extremo crudelem tempore mortem,
Crudelem, nobis vitam tamen inde ferentem,
Perpeſſus, clauſi portas reſeravit olympi,
Ta-

Taliaque edocuit nos exercere nepotes:
Curemus cuncti ut mortalia commoda, quare
O genus egregium, qui ſanguine clarus Ibero,
Virtute haud minor es cùm ſis ad utrumque paratus:
Et ſit ſumma quidem, & pulcherrima laus in utroque,
I, genium ſequere, & naturæ cede monenti:
Ducet enim, quo pauci aſpiravere priorum.
Nos ſimili monitu, qua cœpimus, ibimus, atque
In cœlum munire viam pergemus, & aſtra:
Si modo Calliope præſtantibus annuat auſis.

Ad Donatum Rullum.

Quid tibi vis, Donate, meæ pars altera vitæ?
Qui cum partiri curas, & vivere mallem,
Quam bene dotatâ, caſtaque uxore videre
Suſceptos patrem circum colludere natos.
Jam tua fortunas induſtria naviter amplas
Attulit, arridens & ſors patrique, tibique
Mille jugis oleæ vobis, armentaque læta,
Arvaque ftumentis aptiſſima, mille gregeſque
Fertilis Appuliæ latis paſcuntur in agris:
Et permutandis non parva pecunia nummis
Creſcit, & auget opes: requies tamen ulla laborum
Non eſt parta tibi, modò mens vaga cogitat ire
Urbem ad Sirenũ, modo Romã, atque huc modo, & illuc.
Seu nix alba tegat terras, ſeu Sirius ardens
Excoquat, in varias diſcindis pectora curas.
Ecquid in his, Donate, magis ſentire beatum
Te potes? an ne animi potius concreſcere morbos?
Qui, ceu turbatis mare fluctibus, æſtuat ingens.
Imo in corde labor, cæcaque cupidine ſemper
Nos agitat, portuque arcet: tum rurſus in altum
Arripit, in portum cùm duceret aura propinquum.
Quòd ſi Pactolus fulvo tibi defluat auro,
Non animi tantas poſſis ſedare procellas:
Illius ventos niſi more Ithacenſis Ulyſſi
Utribus incluſos teneas, nec vincla reſolvat

Ex ſociis quiſqusm, ſed amica pace ligatus
Reginæ ſenſus rationi pareat omnis.
Hoc tibi Socraticæ poterunt præſtare tabellæ:
In quibus e cœlo ſe quondam lapſa ſereno
Condidit, humanos viſens Sapientia cœtus:
Non aurum, non mille greges, non jugera mille:
Quæ ſi nulla ferant incommoda: dic mihi, quæſo,
His ſine qui minor es? vel qui cum his major? ut extra
Te circumpoſitis nihilo majorve, minorve es.
Non ſecus ac curvo clitellas ſi quis aſello
Ex auro, frenum ex auro, atque inſtrata ſuperba
Iniiciat, talem numquam mutarit aſellum:
Divitiis nobis ſic eveniſſe putandum eſt.
Ni tibi, Maphæum Bernardum propter acervos
Nummorum, docto libeat præferre Tryphoni.
Quam ſtulte facimus! ſi conducenda, vel ipſi
Eſt tibi emenda domus, non exteriora putabis
Adſpexiſſe ſatis; ſtudio circumſpicis acri,
Intro adiens, cellas, thalamos, granaria, quotque
Commoda ſint, quæ ſint incommoda, ſed tamen, ô Dii,
Purpura ſola facit, ſolum diadema beatos,
Et nummi, poſitique per horrea longa medimni.
Noſtra ita judicio vulgi cæcoque, levique
Libramus lance, & ſtolidi nil pendimus æquâ.
Quod ſi intromiſſo, illorum tibi cernere detur
Iraſque, inſidiaſque, atraque cupidine motus,
Inter ſpemque, metumque, & acutos corde dolores,
Ah miſeri, dicas, retro & veſtigia vertas,
Improviſum aſpris calces ceu vepribus anguem
Sibila torquentem collo, & fera bella minantem.
Continuoque petes viridis ſpineta Lycæi,
(Si ſapis, & recti tibi vis & conſulere audes)
Unde roſæ, violæque, & candida lilia ſurgunt,
Ver ubi perpetuum, & Zephyris ſpirantibus aura
Divinos effert fecundo ſemine fructus:
Aut Academiæ, & platani quæcumque ſub umbrâ
Felices animæ cecinerunt, diſcere tentes.
O ego quem vellem, ingenii ut tua vena benigna
Mu-

Muſarum in latis flueret nitidiſſima campis,
Omni ſorde procul: non his areſcere curis
Jam ſineres, Donate, diu, qui jam mihi plures
Exoptatus abes menſes, quam me tolerare
Poſſe putem. Jam te liquidis, jam corniger undis
Medoacus, nigram leni qui flumine terram
Irrigat, & Patavi vocat ad ſua munera Muſas,
Jam Calcignani colles, fonteſque videntur
Adventum expectare tuum: tibi nectere nymphæ
Euganeæ vario properant ex flore coronas:
Noſque tuum in reditum pinguem cum matre juvencum
Paſcimus, hircipedique Deo cantanda paramus
Carmina, cum varios ſubmittere terra colores
Incipiet: lupus effugit namque hinc pede claudo:
Et pœnas dedit idem omnes per vota petitas.
Quare, Rulle, brevi, precor, huc. Donate, recurre:
Et caros tandem, cupidoſque reviſere amicos
Ne grave ſit, tibi contingat ſic numine dextro
Vivere jucunde, & bene, perpetuoque tenore:
Degendæ ratio eſt vitæ quæ ſola beatæ.

Ad Torquatum Bembum.

Si cui perpetuam vitam natura dediſſet,
Eſſet nimirum tibi nunc, Torquate, dolendum,
Quod pater æternis Bembus digniſſimus annis,
Liquiſſet terram, vario quam ornabat honore,
Seu Tuſcâ vellet citharâ, ſeu voce Pelaſgâ,
Seu Latio potius depromere carmina cantu.
Jam ſi res geſtas patriæ, & Mavortia bella
Scriberet intactâ multo nive purius, atque
Candidius, paucos illi præponere poſſes.
Quid dicam placidos mores, mentemque benignam,
Quoque vel immanes potuiſſet flectere ſenſus,
Vultumque alloquiumque? ſenis non dulcior ore
Sermo olim Pylii redolens manare ſolebat
Hyblæos flores, his te, Torquate, dolere
Arbitror, & quis non doluit? quis funera magni

Non cecinit vatum Bembi? te maxime Paulle
Pontificum, Bembo lacrimas fudiſſe ſepulto
Commemorant, adeo patrum interiiſſe putabas
Summorum lumen, quorum caput infula ſacrum
Oſtro imbuta tegit, tibi quos pater optime, magno,
Judicio cunctis quæſitos undique terris
Legiſti, noſtri & venturi (ut creditur) ævi
Ornamenta quis ex animo non lugeat imo,
Ingenti & longo virtus ubi parta labore
Occidit, humanis donum rarum ab Jove rebus?
Talia deploras (mittam ut quam plurima) tecum
Fortaſſis, Torquate, tuamque hoc flore juventam
Orbatam, & multis tali ſine patre relictam
Caſibus; hos tantos cari genitoris amores
Laudarem, juſtoſque pio ſub pectore queſtus;
Si redeat ſanguis caſſo jam luce parenti,
Aut hominum ſi quis Stygias non iret ad undas.
Nunc vero cum Mæonides, quem dulcibus ipſæ
Ambroſiæ ſuccis, & largi nectaris undis
Muſæ aluere ſibi, clarum cum, Mantua, nomen
Ille tuum vates, opus immortale ſororum
Occiderint: comes his cum Thuſcæ gloria linguæ
Cujus in ore, novo dum carmine cantat amorem,
Ipſe inſedit Amor dulci face molliter ignes
Inſpirans, dulceſque ferens in pectora curas,
Interdum rapitur ſublimis in æthera pennis
Ingenii, caput & fulgentibus intulit aſtris.
Et tamen is cum olim vitali exceſſerit aurâ,
Non, Torquate, decet te nunc lugere parentem.
Mors etenim nulli parcit, nec flenda ſenecta
Debita, quæ vitæ ſeris irrepſerit annis,
Perpetuo vitæ poſt commoda multa tenore;
Ut Bembo, Torquate, patri eveniſſe videmus,
Cui natura dedit patriam, quâ Phœbus utrumque
Oceanum aſpiciens, ſeu cum ſe flectit ad Urſas,
Seu redit a nobis fugiens, nil pulchrius uſquam
Aut majus circum videt aut illuſtrius orbe,
In toto egregio Bembæ de ſanguine gentis.

Hic

Hic patris primum ſtudio, curaque fideli,
Et Thuſcæ, & Latiæ prima incunabula linguæ,
Mox tenerum effingens docuit Ferraria pectus
Omnia, quæ quondam doctis celebravit Athenis
Integer, impatiens ſceleris virtutis amator,
Et dulcis morum, & vitæ emendator acerbus,
Et divum cultor ſanctiſſimus: omnibus unus
Ex Græcis ipſo ſapiens ab Apolline dictus.
Inde animo ardenti Siculas trajecit in oras,
Græcorum liquidos cupiens haurire liquores.
Nec mora, cum ſubito Græce audivere loquentem
Muſuruſque ſenex, ſimul & ſtudioſa juventus.
Ætnæi vidit rediens incendia montis,
Eruptoſque ignes, exeſaque ſaxa vomentis;
Deſcripſitque ſuo juveniliter ordine totum.
Quo decus Europæ docti cecinere futurum,
Et mirata ſenem primas Europa ferentem eſt.
Multa tibi in medio conſulto nota relinquo;
Cunctis ut carus, cunctis jucundus amicis,
Principibuſque viris placuit, dulciſque juventæ,
Ætatem extremos vitæ ut perduxit ad annos,
Invalidus numquam, ſemper virtute verendus;
Numina quæ raro concedunt munera nobis.
Utque eſſet nihil in terris accedere quod jam
Poſſe videretur; magnus quo tempore Paulus
Tertius amiſſos Romæ inſtaurabat honores,
Delectus numerum in Patrum: Te ſancte vocabat
Te Deus in cœlum confectum ætate, beatum
Inter cœlicolas quondam æternumque futurum.
Salve Bembe, valeque; Deumque precare benignus
Ille tuo ut Torquato adſit, mentemque animumque
Dirigat in melius, virtutis præmia quærat,
Ad laudem egregiam tua per veſtigia currat,
Deponat lacrimas, ingrataque funera: nam tu
Vivis, in æternum & vives: ſuprema tuliſti
Omnia quin etiam vera, & germana propago
Ille heros Medicum Cosmus Dux maximus, hujus
Dux ſæcli, Italiæ juſtiſſimus unus, & unus,

Unus qui priſcæ ſolo virtutis honore,
Ante alios cupiat virtutem extollere in altum,
Marmoreo ut decoret curat te, Bembe, ſepulchro,
Solemni elatum pompâ, exequiiſque ſolutis,
Et lapide ex Pario priſcos æquantis honores
Artificis cum docta manus te duxerit, inter
Apparat, ut ponat Thuſcæ tria lumina linguæ
Viſendum, celebrique loco, celebrique decore
Artis, qua Michaël ſe ſe ſuper evehit aſtra
Angelus, & vultus, ſpirantiaque ora figurat.
Ut faciat quoties iter hac, te, Bembe, ſalutet
Ingeniis gens clara fluit qua vitreus Arnus,
Florentem & mediam ſtudiis interſecat urbem,
Optari an poterat quicquam felicius ulli,
Aut mirabilius poſt ſæcula longa priorum,
Quam tali a tali donari principe laude?
Nil (mihi crede) tuo poterat, Torquate, parenti
In vitâ melius, nihil hic; contingere majus
Poſt mortem poterant verſis incurrere fatis
Multa tamen, longæ quæ ſunt incommoda vitæ,
Qualia multa tulit fortunæ cæca poteſtas.
Ut patrem hac liceat quoque dicere parte beatum
Cujus tu rerum, tanti tu nominis hæres,
Et famæ ingentis, quam ſi virtute tueri,
Aut augere velis, merito nihil amplius optes,
Pelle agedum procul hinc a te lugubria; noſque
Laudemus, tu vero etiam hunc imitare parentem;
Ut clarus viſas, longumque extentus in ævum,
Dignus, ut hoc vivas, dignus moriare parente.

Memoriæ ejuſdem Bembi.

Has fagos inter celſas adſurgit in auras,
  Et late gelidam pinus obumbrat aquam:
Hic ubi montivagæ Nymphæ, Satyrique bicornes,
  Dicunt ad certos ruſtica verba modos:
Et fugit æſtivos ſoles, imbreſque, ſitimque,
  Herbosâ ponens membra viator humo:

Hic

Hic ego rugoſis incido carmina truncis,
  (Sæpe viatori, ſæpe canenda Deis.)
Alcon quæ luſit paſtorum maximus olim,
  Dum læto ad Tiberim gramine paſcit oves:
Alcon, Euganeis, Alcon memorandus in oris
  Hæc nemora, has ſilvas dum mea muſa colet.
Illi etiam faciam, & paterâ hac libabo quotannis,
  Conſidens propter flumina Meduaci.

De Roma.

Vos operum antiquæ moles, colleſque ſuperbi,
  Quîs modo nunc Romæ nomen inane manet;
Voſque triumphales arcus, cœloque coloſſi
  Æquati, Pariis marmora cæſa jugis.
Edita Pyramidum faſtigia, templa Deorum,
  Digna vel æthereis amphitheatra locis.
Vos ævi tandem attrivit longinqua vetuſtas,
  Vos longa tandem fata tulere die.
At Romæ Æneadum magnum, & memorabile nomen
  Tempus edax rerum tollere non potuit,
Nec poterit, clari donec monimenta vigebunt
  Ingenii, quæ non ulla ſenecta rapit.
Cetera labuntur tacito fugientia curſu,
  Calliope æternum vivere ſola poteſt.

JO: FRANCISCI BONAMICI

PRATENSIS.

Petrarcæ carmen imitatur Ode X.
Non al ſuo amante più, &c.

HAud aliter Juveni incauto Latonia Proles
  Depoſita veſte, & merſa in aquis placuit
Vidit ut Actæon fato compulsus iniquo
  Æſtum vitantem pergelido in latice:
Quam mihi perplacuit velum dum forte lavaſſet,
  Quo tegeret flavas ſæva Nigella comas.
Nam ſimul ac vidi, gelidus tremor oſſa petivit,
  Urere cum poſſet ſidera, & arva calor.

Imitatur illud Petrarcæ Ode XIV.
Perchè quel che mi traſſe, &c.

Alterius culpa etſi mi rapiatur, amandum
  Quòd primum duxi; firma fides remanet,
Abdiderat laqueum inter flavos forte capillos,
  Quo collo injecit vincula ſævus amor.
Et quæ in corde latent modo frigora movit ocellis
  Frigidulum reddens lumine cor ſubito.
Quare alias miſero curas de pectore pellit
  Mœrens hæc animus, ſingula dum reputat.
Denique, ne videam crines auro ſimiles, heu!
  Ipſi velantur, lumina clara ſimul.
Lumina, quæ ſolis radios ſplendore fatigant,
  Averſa a nobis ſæva Nigella tenet.
At pulchram mortem quod laus comitatur honeſta
  Demat Amor nolo vincula dura mihi.

M. AN-

M. ANTONII BONCIARII

PERUSINI.

VOTUM DEIPARÆ VIRGINI,
Ad Sacram Ædem Lauretanam.

HÆccine ſancta domus? Mariæ domus? alma Virago
Hic genita eſt, genitura Deum? demiſſus ab æthra
Nuncius huc Gabriel, inopes intrare penates
Juſſus, ab æterno portavit Patre ſalutem?
Huccine (quod nullis eſt enarrabile verbis,
Atque omnem ſuperat mentem) Deus æthere ab alto
Labitur, exiguaque volens includitur alvo
Parvulus, immenſum digito qui librat olympum?
Me fortunatum! cui limina tanta ſubire
Fas fuit, & longum ſaxis hærere beatis
Ore, manu, genibus. Non me laquearia regum
Aurea, non gemmis paries, & luce coruſcus
Purpurea, non fulva ſolum ſi pingat iaſpis;
Non me vel quidquid pretii majoris, avaro
Terra fovet gremio, vel feta enititur unda,
Vel doctæ finxere manus, capiatve, trahatve
(Sive oculis, ſeu mente utar) plus paupere tecto,
Plus latere exeſo, plus nudo, & ſimplice cultu,
In queis parva domus regalibus anteis aulis.
Hæc calcata Deo veſtigia: luſit Jesus
Æde ſub hac infans. Hic blandulus oſcula matri
Natus, & hic nato blanda obtulit oſcula mater.
Hic feſſum cunæ, aut gremium fovere Parentis,
Molliter hærentem, fuſis ad colla lacertis,
Jucundumque bibit, cantu fallente, ſoporem.

Hic

Hic puer excitus, placidis ſeu riſit ocellis,
Arriſit puero tellus, & pontus, & aër;
Seu rurſus madido tepuerunt lumina fletu,
Intepuit fletu tellus, & pontus, & aër.
Hic Puerum grandes volventem pectore curas,
Obſequiis intenta cohors, hinc fuſus, & illinc
Aliger, ætheria ſtipabat ab arce ſatelles,
Felix excubias ſecum partita juventus.
Hos etiam coluiſſe lares elementa feruntur,
Auctorem confeſſa ſuum, dum fœdera diſcunt,
Et proprias ſervare vices. Hoc ante tribunal,
Summiſit natura genu, puerumque popoſcit,
Unde homines pecudeſque aleret, vitaſque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
O dilecta Deo ſedes, & culta Tonanti
Regia, ſupra Orbem felix, cœli æmula: qua nec
Altera ſtellifero magis eſt miranda ſub axe,
Nec metuenda magis Judææ a finibus illam,
Barbaricis infenſam armis, ſublime per auras
Siderei vexere chori; longoque recurſu,
Fortunate tua, Picens, in ſede locarunt.
Tunc venerabundas, curvato tergore plantas
Sponte ſua flexiſſe caput, Dominæque potenti
Aſſurrexe ferunt. Zephyri cœleſtibus auris
Jugier optarunt & dulce per aëra pondus
Suſtentare, avidis inflantes oſcula labris.
Quin etiam ſupplex palmas ad ſidera Triton
Suſtulit Adriacus, volucrem dum proſpicit Ædem,
Nocturnis radiare undis, & finibus altè
Impendere ſuis, Venetamque invitat ad urbem,
Sed fugit illuſtrem patriam, faſtuſque ſuperbos
Excelſi Regina poli, moremque modumque
Antiquum retinens, humili ſe ſiſtit in ora.
Nec ſtatio diuturna tamen: (mirabile dictu,
Horrendum viſu) gentes exoſa nefandas
Caſta domus, cædem. luxus, & turpia fratrum
Jurgia, furtivo per proxima rura volatu,
Ter, quater avecta eſt; certoque in littore tandem
Vix

Vix ſtetit. At quæ me Furiæ (Deus o Deus) urgent?
Quis tantus mentem pavor impulit? Hei mihi quales
Occurſant animo peſtes, & conſcia turbant
Pectora, commiſſas horrentia pectora culpas.
Men' veritum non eſſe, ſacro ſuccedere templo,
Et ſanctam violare domum? Cui quercus, & ornus,
Inclinata locum dederunt, quam ſilva beato
Excepit tremebunda ſinu, quam Tartarus horret,
Et Cœlum veneratur; ego hanc, ego tango profanus,
Et maculo impurus? Quæ tanta piacula tantum
Heu, ſcelus eluerint? Quis Cœlo infenſior alter
Tentavit cœleſtem aditum? nec limen ad ipſum
Corruit exanguis? Me vel diſperdite venti,
Vel rapite Eumenides; vel vos arcete coloni,
Ne culpis offenſa meis, ſanctiſſima Virgo,
Me fugiens, alio venerandam transferat Ædem.
Sed tu: namque ſoles trepidis, Dea, rebus ab alto
Conſulere, & noſtros leniſti ſæpe dolores;
Nec te nequidquam voti damnata Patronam
Turba ſuam compellat ovans, & templa tabellis,
Auxiliumque tuum, Numenque loquentibus, implent:
Aſpice me, quamquam ſcelerum contage pudendum,
Et morbis ſqualentem animi; tamen aſpice Virgo,
Nec mites averte oculos; ſi pœnitet? actæ
In pravum vitæ; ſi trux dolor oſſa remordet;
Propoſitique tenax, Cœlo converſa ſereno
Mens inhiat, curas & deteſtatur inanes.
Tu veniam, tu Diva Deum, commiſſa paventi,
Et pectus plangenti, & fletibus ora riganti,
Et longa ex alto ſuſpiria corde cienti,
Poſce libens; animumque novo munimine firma.
Non ego quos habui, repeto, Dea mater, ocellos,
Non repeto: valeant: nec ſunt mihi lumina tanti,
Lumina, quæ duras ob magna piacula pœnas,
Quas meruere, luunt. Aliud mihi lumen ab aſtris
Affulgere peto, cæcis quod corda tenebris
Exuat, & pandat mihi me. Vos nocte ſepultæ,
Non luces, potius miſeranda cadavera lucis,

Per teſtes oculorum orbes, animæque canales
(Jam ſpeculæ fuerant) effundite pectore ab alto
Perpetuos lacrimarum imbres, dum crimina veſtris
Noſtra laventur aquis, veſtro decet amne lavari,
Quæ veſtra inprimis ſordeſcunt pectora culpa.
Me miſerum! quoties parulis ingreſſa feneſtris
Mors, animi penetrale petens, immanibus ægrum
Confecit plagis! quoties nil tale timentem,
Non advertentem, non obvia tela videntem,
Per vos, fraude, dolo, jaculis armatus inermem
Transfodit Satanas! Utinam ſe conderet ante
Sol nobis, utinam maturior ingrueret nox,
Raptura innocuas luces, oculatior eſſem,
Ante carens oculis: & feſtinata ſerenum
Augeret caligo jubar. Mea lumina, certe
Si largum pluitis, talemque rependitis uſum
Orbato: poſſum tenebris ignoſcere veſtris,
Et poſſum ſoles animo delere ſerenos,
Nec meminiſſe diem. Totas immittite habenas
Undarum: plenos interni carceris amnes
Laxate, & ſanctum lacrimis conſpergite poſtem.
Felices oculi, per quos abluta niteſcent,
Cara Deis nato pariter matrique, futura
Pectora: felices lacrimæ, quas ubere vena
Manantes, hæc ſaxa bibent: hæc ſaxa verendo
Conſecrata Deum tactu; qua Virginis ante,
Mox Pueri repſere pedes. & utrumque beatus
Suſtinuit paries, veſtigia prima moventem,
Hærentemque manu. Quis me felicior alter,
Sive hic languentem paulatim deficeret mens,
Sive hoc in lacrimas reſolutum defiueret cor,
Seu totus fierem lacrimæ? Templa ipſa rigarem,
Huc illuc impune fluens, & dulcia ſaxis
Oſcula libarem, fieremque per oſcula ſaxum.
Talis Nereidum lapideſcere fletus in unda
Dicitur, innuptis corallia grata puellis,
Bacca verecundis imbuta coloribus. O me
Dilectum Superis, immortalemque futurum,

Hac liceat ſi lege mori! Sors nulla beatæ
Conferat huic ſeſe ſorti: vita invida talem
Suſpiret mortem; cupiatque hæc illa vocari,
Arbitrata parem, vel ſe confeſſa minorem:
Si non eſſe juvet, ſi luce beatior omni
Nox premat æternum. Quamquam non mortuus eſſem,
Virgineæ compago domus, & ſanctus in ipſa
Factus morte lapis. Magni tu Sponſa Tonantis,
Et nata, & mater, longum miſerata dolorem,
Atque humiles lacrimas: oculo meliore labantem
Reſpice, da, cæcum laqueis ſubducere greſſum,
Et calcare vias, ad te, Natumque ferentes,
Conſtanti, ſtabilique gradu. Si quidquid ab alto
Dat Deus ingenii, ſi, quod mihi conferet oti,
Te mandante, Pater, Paſtorque Comitolus; omne
Jam voveo, do, ſacro tibi; claroſque triumphos
Virgo tuos, Regina tuos, quos mente revolvo,
Ore canam, Latiis auſus mandare Camœnis,
Et pius exiguis includere grandia chartis.

In ſacram Ædem Lauretanam.

O grata Regi Cœlicolum domus,
In Nazareis condita finibus
Quondam; volucres te miniſtri
Illyricas ſine labe ad oras
Vexere, terras rurſus, & æquora
Supra ferentes, te placitum Adriæ
Ad littus, in Lauretæ opaca
Innocuum poſuere ſilva.
Votivo ut auro, veſtibus ut ſacris,
Gemmiſque fulges! quæ te humilem ambitu
Late tuetur ducta circum
Marmoreo, ferit aſtra, moles.
Sanctam, potentem te Auſonidum piæ
Viſunt cohortes. Te Rhodani accola,
Tagique potor, te Liburni,
Te Armenii celebrant frequentes.

Audit precantes hinc proprius Dei
Mater, periclisque eripit, hinc levat
Morbis laborantes: acerbi
Limine me quoque lethi ab atro.
Raptum, paternæ reſtituit preci.
Huc ſolve vinclis ingrediens pedes,
Huc tende palmas, huc inertes
Tolle oculos. Domus hæc patentis
Reginam olympi, continuit ſinu
Anguſta parvo: hac nuncius explicans
Cœleſtis alas fulſit; Orbi
Attulit hac miſero ſalutem
Proles ſupremi Numinis (o ſtupor)
Concepta in alvo Virginis integræ.
Tunc munerum ubertas ab alto
Axe pluens, Dominam, brevemque
Ditavit aulam; flaminis imbuit
Hanc aura ſancti; filius hoc Dei
Plantis pavimentumque preſſit;
Hos manibus tetigitque muros.
Qua Diva Mater parte frequentius
Sedit? quo amarum flevit in angulo,
Nati innocentis queſta mortem?
Limite quo thalami e ſepulchro
Natus reſurgens conſtitit? o ubi
Sopore lethi lumina condidit
Annoſa Virgo? intaminatæ
Corpus ubi jacuit parentis?
Chriſti peractis qua ſocii ſacris
Duxere funus? ſanctior an locus
Eſt hic, an ille? an ne omnia æque
Sancta putem, venererque ſancta?
Impreſſa ſaxis qua quibus oſcula
Figam? quid, o quid mentem agitat novam?
Quod corda Numen, quæ ſacelli
Religio quatit? hinc profanæ
Abeſte curæ, nil ego, nil amem
Mortale poſthac, immemor omnium,

Mei-

Meique. Vos complexu in uno
Nate colam, Genitrixque Virgo.

S. Narciſſus Aſmodeum revincit, verbis eludit, ſupplicio mulctat.

Dena ſub Auguſtis clades indicta tirannis
Immanior, ferocior, nocentior,
Chriſtiadum fortes animos durabat, apertum:
Per aſperas tendentium ad cœlum vias:
Cum venit Auguſtam Præſes Narciſſus in urbem,
Qua Vandalum diſterminat Rhæto Lycus.
Et prius illuſtrem, quam ferret in æthera palmam
Victor, beatos inter exceptus lares;
Aſmodeum docto conterruit ore furentem,
Et mox faceto ſupplicem luſit joco.
Afra erat inſignis facie, vultuque decoro
Puella; Cyprus patria; vix notum genus,
Haud vulgare tamen; Veneri ſervire parentes
Juſſere, ſacris illigantes turpibus;
Cum Domina pulchras pariter ſervire puellas
Eunomien, Eutropien, Dignen jubent.
His comes accedens, & mater Hilaria; queſtum
Simul pudendas inter exercent lupas.
Numinis afflatu (quid enim rear?) inſcius illam
Narciſſus, atque diaconus Felix domum
Ingreditur: traherent cum ſera crepuſcula noctem,
Piuſque late ſpargeret cruor forum.
Barbara ſævities! quam tempora nulla, nec ipſe
A cædibus retraheret occiſus dies!
Nec longum in medio tempus: ſenſere puellæ
Divinitus, quam turpe patrarent nefas:
Et deteſtantes habitum, moreſque pudendos,
Cum lacrimis orare ſupplices Patrem,
Ut ſibi præſidium pius imploraret ab alto,
Peccantium patronus, & miles Dei.
Suſcipit Antiſtes, monitiſque ſalubribus armat;
Hinc turpibus cor expians purgat notis.

Illæ

Illæ agere ingentes homini pro munere grates;
Offerre Cœlo vota noctes & dies,
Ingeminare preces, veniam clamare per aras:
Nudum flagello corpus interim quati,
Lumen fraudari ſomno, jejunia ventrem
Domare, nulla corpori quies dari.
Exultare Pater, talem quod in æthera prædam
Adduceret; dolere Pluton, quod ſuas
Perderet ancillas, cultrices, atque clientas,
Quæ ſemper Orcum genre ditabant nova,
Et ditaturas longum ſperabat in ævum,
Cor impotentum vincientes pectorum;
Captivumque ſibi laturas agmen amantum,
In melle quotquot falleret virus latens.
At quos non hominum fallit? quis dulce venenum
Non ſponte ſtolidus haurit, & lubens perit?
Dux ergo Aſmodeus, telis inſtructus Averni,
Ad retrahendum mittitur abactum gregem.
Cornigera qui fronte minax, & lumine torvo,
Manus aduncas præferens, os hiſpidum,
Impexam barbam, fœdos rubigine dentes,
Et ſordidum ſpumantibus rictum labris.
Advolat Auguſtam puraque impurus in æde
Sanctam puellas dum docet legem Pater,
Improviſus adeſt; rigida mox voce magiſtrum
Antiſtitem compellat, ac terret palam.
Quid tibi cum ſcortis, inquit, Narciſſe pudendis?
In caſtra quid te video tranſgreſſum mea?
Rex tuus in ſanctos regnat, puroſque penates,
Quos caſtitas exornat, & colit fides.
At non obſcœnoſque lares fœdumque lupanar
Intrare fas exiſtumat, regnum meum.
Hæc Veneri, hæc nobis domus eſt addicta quid hic te
Habere juris Præſulem caſtum decet?
Ut puras non tango tuas ego fœdus alumnas;
Sic tu ſceleſtis abſtine ſanctus meis.
Talia dat placido Plutonius ore miniſter;
Talem viciſſim reddit affatum Pater.

Im-

Impero per cœli Dominum, mundique potentem,
Nutu Stygem, pigroſque terrentem lacus:
Ut quæcumque rogem, præſens ad ſingula verum
Reſpondeas, ſis falſus, ac mendax licet.
Scin tu, Virginea genitum de Matre Tonantem,
Sub horrida Bethlemiis in finibus,
Ad lucem prodiſſe ſpecu? ſcin' ſidus Eoos
Cœleſte reges hæc ad incunabula
Perduxiſſe vagos? data regia munera? Numen
Coluiſſe nudo vertice, & flexo genu?
Annuit Aſmodeus, repetit Narciſſus: At illum
Scis poſtea crudelibus luſum modis,
Conſputum, irriſum, vinctum, duriſque flagellis
Cæſum, cruento denique affixum trabi?
Scin' igitur quæcumque loquor facta omnia? Quid ni
Sciam? ſcio plus, inquit, ac ſenſi miſer,
Quam mihi, quam ſociis, dominoque, ducique ſilentum
Expediat, & quam vellet inferûm domus.
Tempore nam ex illo, cum veſter ab arbore Chriſtus
Pependit, heu quam noſter increſcit dolor!
Procumbunt poſtes Erebi: ſpoliantur Averni:
Princeps catena ſtringitur adamantina.
Vis hebet Umbrarum. Cocitia tela fatiſcunt;
Et pœna tantum robur ac vires capit.
Neu ſaltem lateat facinus per ſæcula dirum,
Sed noſter ingraveſcat æternum pudor:
Horrendum tonuere Poli, pia lumina Titan
Retraxit, abſtulitque feſtinus diem.
Cum Domino Heroum rediviva cadavera, noſtrum
Riſere nexu ferreo vinctum ducem.
Hîc iterum Præſes: Quidnam peccaverat, inquit,
Tam gravia quod coactus eſt Dominus pati?
Non peccarat, ait, nec ferre coactus ab ullo eſt:
Nec ſua, ſed aliorum ſcelera miſerans luit.
Ergo aliena luit Dominus peccata? (reſumpſit
Epiſcopus) te verba convincunt tua.
Nam pro peccatis pariter muliebribus, & pro
His hoſpitis perpeſſus eſt ſimul meis.

Quas quoniam tædet ſcelerum, vitæque prioris;
 Libens, volenſque recipit indulgens Pater.
Quid tu igitur, quid juris habes immundus in iſtas,
 Cruore quas Redemptor emundat ſuo?
Excipit Aſmodeus: Mea ſunt hæc pignora; prædam
 Hanc ſum lucratus ipſe, quid tangis meam?
Si verum loqueris, ſi non mentiris: Age, inquit
 Narciſſus: hæc ſi furta prædicas tua,
Furem habeo teneoque: gregem prædator abactum
 Reſtitue; Paſtor repetit amiſſas oves.
Quare age Cimmeriis iterum te conde tenebris,
 Jam lege, nunc & ore damnatus tuo,
Concidit, & telo tamquam transfoſſus acuto,
 Supplex precatus lictor infernus Patrem:
At tu ſaltem animam, dixit, concede petenti:
 Unam repoſco: ceteras mittam lubens.
Quid tu illa facias? inquit Narciſſus: In Orcum
 Feſtinus, inquit, principem ad meum traham.
Cras dabo: ne dubita: redeas modo. Suſpicor inquit.
 Ne forte fallas: advoca teſtem Deum,
Quod mihi das viventem animam potantis, edentis,
 Arbitrio quam torqueam ſolus meo.
Advoco, reſpondit Pater, & promitto daturum,
 Quod poſtulas: ad craſtinum venias diem,
Et viventem animam potantis, edentis habeto,
 Arbitrio quam torqueas ſolus tuo.
At permitte iſtam tecum traducere noctem.
 Permitto: ſta, mecumque (ſi potes) mane.
Si taceas, inquit, nec cœlo bracchia pandas,
 Libens morabor, & datam opperiar fidem.
Tu vero me, Præſes ait, mecumque puellas,
 Flexo colentes Numen æternum genu,
Pectora tundentes, & fletibus ora rigantes,
 Mox audies, orare noctem perpetem,
Et tectum ſacris ipſum concentibus, ipſam
 Late ſonare cantibus viciniam.
Nec mora: divinas alterno carmine laudes
 Dum concinunt, & lætus exultat chorus:

Ex-

Extemplo tenues ululans rareſcit in auras,
  Et ſe nigranti reddidit fugiens Chao.
Attonitas mira rerum novitate puellas,
  Aframque Hilariamque confirmans Pater,
Electis poſt longa cibis jejunia veſci,
  Et recreare corpus exhauſtum jubet.
Ille nihil, Felixque nihil guſtare miniſter,
  Ad craſtinum ſed prœlium vires parant,
Primamque in lucem vigiles ad Numen honores,
  Grateſque opemque; ſupplices reddunt, petunt.
Mane rapax Plutonis adeſt legatus: & En me,
  Inquit, paratum ferre promiſſum tuum;
Expecto quam das animam; ſunt Numina teſtes.
  Tuum, Pater, negare non potes Deum.
Haud nego (Præſul ait) capies quodcumque petiſti,
  Hoc ſi prius juraveris Deum meum,
Ut niſi diſtractum laceres, niſi funere perdas,
  Quem do; profundum in Tartarum præceps ruas.
Haud mora: Juro libens, inquit, Narciſſe, per illum
  A quo catena vinctus eſt Satan gravi;
Ut niſi diſtractum lacerem, niſi funere perdam,
  Quem das: profundum in Tartarum præceps ruam.
Tum demum Narciſſus, Abi fortiſſime, dixit,
  Qua Julianis flumen Alpibus cadit,
Irrigui qua fontis aquas potare ſalubres
  Et paſtor, & viator, & pecus ſolent.
Hic modo cæruleus vaſto latet anguis in antro,
  Agreſtium ille terror, ac peſtis virum.
Cujus & afflatu flores moriuntur & herbæ,
  Longoque tractu nitidus inficitur dies.
Quare abeunt, nec fontis aquas libare ſalubres,
  Aut paſtor, aut viator, aut pecus queunt.
Hunc jubeo fortem perimas, animamque draconis
  In vim, poteſtatemque mox rapias tuam.
Mugiit horrendum Stygius veterator: & Heu heu
  Me vincis, ait, & ludis impoſtor ſimul.
Me ſtolidum, qui juravi! nunc cogor amicum,
  A me necandis deſtinatum gentibus,

Perdere, ne fundum infelix detrudar ad imum,
  Miſerrimo par Principi comes datus.
Sic queritur, ſic exequitur. Mortalibus unus
  Multis peremptus reddidit vitam draco.

ANGELUS CUSTOS

Docetur ratio precandi Superos pro tranquillo Eccleſiæ ſtatu.

Carpebam media placidum de nocte ſoporem,
  Cum ſic ad aures nomen intonuit meum;
Antoni, Antoni. Trepidus formidine ſanguis
  Obriguit: ingens occupat corpus gelu.
Mox ubi paulatim rediens ad munia ſenſus,
  Per extimas ſecurior partes meat;
Frontem cœleſti munit pia dextera ſigno,
  Et lingua fortes expedit tandem ſonos.
Quis tu, nocturnos veniens mihi rumpere ſomnos,
  Cum grata feſſum recreat corpus quies?
(Mira fides!) clara præſens in luce refulſit,
  Et blandus in me coniicit lumen,
Qualem dædaleus nec pingere poſſet Apelles,
  Nec ſculperet calente Phidias manu.
Et me ſic trepidum paucis affatur: Ab alto
  Adſum tibi patronus, & cuſtos datus.
Quid metuis? Reſpiravi, grateſque rependens,
  Quam maximas cor æſtuans per os dabat,
Men' (rogo) me tanto dignatur munere cœlum,
  O cultor, o miniſter, o miles Dei;
Ut cæcis ad cuncta oculis mortalia, Numen
  Cœleſte vigilans tuear, & voces legam?
O nimium exoptanda mihi, ſi lumine tanto
  Semel beanda cœcitas olim fuit?
Ille autem: Meliora, inquit, te dona morantur,
  Nunc ſi jubenti geſſeris morem mihi.
Antiſtes referans æterna penaria Paulus,
  Terras per omnes Cœlitum nectar pluit.

Quo tu ſi cupias animum perfundere rore,
  Dulceſque felix condere in pectus dapes,
Accipe quæ peragenda prius; Duo poſce Tonantem,
  Eccleſiam defendat ut primum ſuam,
Barbaricis infeſtam armis, atroque veneno,
  Quod impiæ libidinum peſtes vomunt:
Mox pariter magnum foveat, ſanctumque Monarcham,
  Et cum Monarcha purpuratos Satrapas.
Quo velut excelſo pendens a cardine moles
  Immenſa Mundi, verticem tangit Poli.
Sed Proceres circa ſacros, legumque potentem
  Eccleſiarcam, munus orabis duplex.
Ut Deus adſideat, vires & robora Cœlo
  Subingerens, & pondus immenſum levans:
Hoc primum; Sed voce roga majore ſecundum.
  [O prona ſemper decipi mortalium
Pectora, quæ blandi furtim mulſere propinqui,
  Cœcoſque amoris vinculo, ut freno trahunt!]
Ergo ad curarum tot pondera, poſce miniſtros
  Ab Rege Regum Principi certos novo.
Non quos affectus, non quos cognatio, non quos
  Ad gratiam loquentium extulerit favor:
Sed quorum ſpectata fides & longior uſus,
  Et innocens a ſcelere ſtet vindex manus.
Hæc memorat, denſaſque iterum ſe condit in umbras;
  Et me tenebris reddidit fugiens meis.
Quod fugeret, dolui, quod lumen ademerit autem,
  Se pariter adimens, egi, agoque gratias.
Nam mea, viſo illo, violari lumina credam,
  Si poſt profanis occupentur uſibus.
Dormierim, non dormierim, cum ſermo per aures
  Venit, & id oculis incidit ſpectrum meis;
In dubio mens hæret adhuc: nec dicere promptum eſt,
  Utram vigil facilius in partem ferar.
Hoc ſtatuo: Seu vera videns oracula ſumpſi,
  Veris refertum gaudiis animum gero:
Seu me per ſomnum nocturna fefellit imago;
  Sic dormiam, ſic fallar æternum precor.

Ad Neapoleonem Comitolum Peruſiæ Antiſtitem. Non dedecere Sanctos, & doctos Præſides piam Poëſim.

Sperantem ſolemne tibi conſcribere carmen,
  Laudeſque Præſul canere conantem tuas,
Hac me Bernardus querula cum voce repreſſit,
  Et has ab alto crudus intonuit minas.
Ne fac, ne lauda; calamum, chartamque repone,
  Ni pareas, te mulcta non levis manet.
Obrigui, ſtupui, vox faucibus hæſit, & ipſe
  Stylus tremente concidit lapſus manu.
Poſt ubi vitales rediere ad munia ſenſus,
  Pavorque fugiens aperuit dictis iter:
O (dixi) venerande Senex, & noſter ab alto
  Patrone, Cuſtos, Præſes; in ſanctas prius
Hoc admitte aures, humili quod mente precamur,
  (Mandata poſt non ſegnius fient tua)
Cur Dominum laudare vetas per carmina noſtrum,
  Cum major adſit in dies laudum ſeges?
Cum magna edenti ſemper, majora paranti,
  Benignior Cœleſtium adſpiret favor?
An quia commiſſo formidans Paſtor ovili;
  Super pecudibus excubat noctes dies?
An quia per pronum populos in fœda ruentes
  Flagitia revocans, pandit ad cœlum viam?
An quia perpetuis Numen cœleſte fatigat
  Lacrumiſque, votiſque, iram ut avertat gravem?
Et quia non verbis tantum pietatis amorem,
  Exempla ſed per ipſa fortius movet;
Nos homini nullas tanto pro munere grates,
  Nullas referre carminum vices decet?
Hæc ego; tum Præſes feſtivius ore renidens:
  Non iſta, dixit, culpo quæ veſter facit,
Facturumque omnes hominem confido per annos:
  Non culpo; ſunt encomiis perennibus
Donanda, & tandem cœlo dignanda ſereno:
  Quod munerator præmium ſervat Deus.

Sed

Sed cur iſta veto laudarier amplius? iſta
  Quæ ſum quotannis laude dignatus nova?
Cur paſſus noſtros inter fulgere triumphos,
  Mecumque par auferre cultorum decus;
Nunc non admitto in laudes, ſociumque recuſo?
  Teſtata facti cauſa: reſponſum breve.
Laudes ille meas feſtivo carmine quondam
  Cantabat, & tollebat ad cœlum melos.
Sat ſcio, ſat memini, carmen mihi Præſulis unum,
  Quam veſtra centum, gratius ſemper fuit
Cur nunc mutavit? totum cur amplius annum,
  Non dico tantum noſtra, ſed Cœleſtium
Facta ſilet cunctorum? non vult Præſulis eſſe
  Poëticis in canticis dieculam
Ponere; Cur ergo eſt Superis inventa Poëſis,
  Si non per illam tollere Superos licet?
Cur cythara Jeſſæe tua mulcetur Idumes?
  Quæ ſic Avernum terret, & Cœlum juvat,
Ut noctem Dominus jubeat cantare diemque?
  Cur ille morti proximus quondam ſenex,
Ut cœleſtis olor, liquidas ad ſidera voces
  Præmittit, & beatus ingreditur Polos?
Cur genitor Baptiſta tuus, te in luminis auras
  Naſcente, quos in aërem primos dedit
Sermones, certa numerorum lege revinxit?
  Cur Cælitum delectus ex alto chorus
Aligerum, cecinere alacres in paupere tecto
  Divina ſummi Regis incunabula?
Cur prius Aligerum Regina, Parenſque Tonantis
  Eliſaben affata narratur ſuam
Carmine magnifico? Sanctum cur Pneuma per iſtos
  Cantavit, & cantare nos jubet Deum?
Nos inquam, me conjungens, mecumque ſodales,
  Et accolas, & ardui cives Poli;
Qui gratum ſemper canimus pæana Tonanti,
  Et hîc perenne gaudium pæan creat.
Quin etiam me ſcito ipſum, dum vita manebat,
  Ferire latia carmen aſſuetum cheli:

Et nunc, cœleſtes mihi quod peperere Camœnæ,
  Inter beatos præmio choros frui.
Non igitur carmen culpes, ſi carmen honeſtum eſt,
  Si Cœlites, ſi Cœlitum Regem canit.
Illa truci mergenda freto, vel edacibus eſcam
  Trudenda flammis carmina jubeam libens,
Queis Venus & Bacchus canitur jure ignis in ignem
  Graſſetur, atque abſorbeat merum mare.
Tu Dominum patremque tuum, me auctore, rogabis
  Maturus ut revertat ad ſacram lyram:
Et quodcumque dabunt graviora negotia tempus,
  Inter novenas conterat volens Deas.
Non leget ipſe ſuas in veſtro carmine laudes,
  Si non ego prius in ſuo legam meas.

AD D. MARCUM VELSERUM

Duumvirum Auguſtanum.

Comparatio parvi clientis ad Magnum patronum.

Qui patriam ſcripto celebras, qui lege gubernas,
  Atque pari calamum ſtringis, & arma manu,
Inclite dux: tenues non indignare Camœnas,
  Quas novus Etruſca mittit ab urbe cliens.
Millibus in multis non eſt, qui certius illo,
  Vel tua facta probet, vel tua ſcripta legat,
Hunc licet antevoles, tecum contendit eodem
  In ſtadio: eſt eadem patria, nomen idem.
Marcus ab Auguſta, dulces ante omnia Muſas
  Qui colit, & patria ſudat in hiſtoria.
Quis, Velſere, tibi ſimilis magis? eſt tamen unum
  Atque unum, quæ vos diſſimiles faciant.
Membrorum tu mole vales, infirmior ille eſt,
  Tu locuples, patrium vix habet ille focum.
Attamen hic etiam (quis credere poſſet?) Etruſcum,
  Marce, tibi Marcum ſuſpicor ire parem.

Nam-

Namque nec indulgens animos fortuna feroces
  Dat tibi, nec ſortem non amat ille ſuam.
Diſpare ſub rerum facie, par ſenſus utrique:
  Laus ei paupuries, laus tibi divitiæ.
Hoc vincis, Vellere, tamen, quod læta ſerenum
  Fors animum gravius concutit, ægra minus.
Rarus magnanimo ſtravit pede proſpera felix:
  Non rarus potuit fortiter ire miſer.
Quid loquar ingenium, quod fonte rigaſtis eodem
  Inclita cum Gallas Roma bibebat aquas?
Hos, Murete, tuum pleno cum grande theatro
  Flumen Neſtorii funderet eloquii.
Quem pubes Romana Ducem cantabat, & alta
  Viſa iterum Marco ſurgere roſtra ſuo.
Tunc utrumque unus docuit magna illa magiſter,
  Unde ſimul patriam tollit uterque ſuam.
Nec te prætercam, Varrone ſcientior ipſo,
  Ingens Muſarum gloria Lipſiade,
Quem licet æternum veniens mirabitur ætas,
  Cui licet invenient ſæcula nulla parem:
Cui licet egregiis ex artibus omne per ævum,
  Par tribuatur honor, par tribuatur amor;
Attamen affectum jam non æquaverit ullus,
  Vel Germane tuum Marce, vel Umbre tuum,
Par in utrumque animus, par pectore candor in illo eſt,
  Nec duo plus illum, quam colit ille duos.
Mutuus eſt miſſis, alterno pignore, chartis
  Teſtificatus amor, teſtificatus honor.
Expoſui Marcis communia multa, ſed unum,
  Quod venit extremum, debuit ire prius.
Candidus, & ſimplex animus, ſectator honeſti,
  Et ſanctæ in primis Relligionis amans.
Pro qua nec dubitent incommoda quæque paciſci,
  Et lucrum reputent grande, licere mori.
Interea vacui quantum conceditur oti,
  Quantum aliena illos facta quieſſe ſinunt;
Id gravibus rerum ſtudiis ita donat uterque,
  Ut nulla incaſſum vel brevis hora fluat.

For-

Fortunati ambo! donant queis ampla Camœnæ
  Gaudia, donabit ſed meliora Deus.
Quem precor, integris auctos ut viribus ambos
  In longam Patriæ des ſupereſſe diem:
Meque per amborum veſtigia donet euntem,
  Illius exemplo nitier, hujus ope.

Ad Neapoleonem Comitolum Peruſiæ Antiſtitem.

DE P. PAULO CESENATE CAPPUCC. CONCIONANTE.

Vidimus, Antiſtes, quos pulpita noſtra tulerunt
  Præconum duplex eſſe ſolere genus.
Namque alii Veneres, atque Attica mella propinant,
  Et miſcent lepidis verba rotunda jocis;
Contra alii trepidis implent clamoribus aures,
  Verborumque adigunt pectora ad ima faces.
Qui vero laudem conjungeret unus utramque,
  Et rigidas molli ſpargeret ore minas:
Cui lacrimas oculi, ſuſpiria pectus ab alto
  Miſta voluptati cum pietate darent:
Hunc ego nec ſcirem quemquam, nec poſſe putarem;
  Tu niſi, Paule, fores; Sic puto Paulus erat.

Ad Quintum de Bubalo Præfectum Arcis.

Quid tibi cum Muſis Quincti? non molle Lycæum
  Te vocat; arx armis credita noſtra tuis.
Tu vero ſtudium ſic es complexus utrumque,
  Ut dubitem, quod ames amplius, arma, togam,
Sic fontem galea Dircen potabat Achilles,
  Verſabatque pari ſpicula, plectra manu.
Sic Macedum Rex ille cubans, narratur Homerum,
  Et gladium capiti ſuppoſuiſſe ſuo.
Scilicet implicitum Veneri Victoria Martem
  Non ſequitur: ſequitur, cum pia Pallas adeſt.

Ad

Ad Urbem Romam de Polybio in latinum converſo ab Iſaaco Caſaubono V. C.

Gallia plus fortes exercuit una Quirites,
Dum fugit impendens ferre ſuperba jugum;
Quam reliquis vinci facilis, doctuſque ſecures
Exhorrere Orbis, Martia Roma, tuas.
Aſt eadem multa factum mercede rependens,
Ecce tuis lucem reddidit Hiſtoricis.
Reddidit, & reddet; Polybo ſuccedere Criſpum,
Et Criſpo iratum poſt video ire Titum.
Par meritum, par culpa, tuis ſi reſtitit armis
Gallia, nunc famæ conſulit illa tuæ.
Quid loquor inſipiens, & culpam nomino? duplex
Eſt meritum, duplex cui tribuendus honos.
Illuſtrem gladio fecit te Gallia: Gallus
Æternam calamo te facit Iſaacus.

In Sacroſanctam Eucbariſtiam

Non potis es fœdam Veneris compeſcere flammam,
Qua non expectas, callida ſæpe ſubit.
Et late poſtquam molles irrepſit ad artus,
Infirmum Stygio carpitur igne jecur.
Quid facias? Dominus fert prompta remedia: corpus
Ut validum reddas, corpora junge Dei.
Non mentitur enim Patris Sapientia: Siquis
Innocuo carnem ſumpſerit ore meam:
Hunc ego poſſideo, me poſſidet ille: ſub unum
Ambo cor, & ſedes excipit una duos.

De Domino Cruci affixo.

Cuſpis acuta manus fodiens heu fixerat ambas,
Fixerat heu ambos cuſpis acuta pedes.
Serta coronabant ſpinis horrentia dignum,
Sidereo dignum cingier orbe caput.

Irri-

Irriguus lacero manabat corpore ſanguis,
  Abſtulerantque locum vulnera vulneribus.
Una ſub ingenti membrorum clade dolentum,
  Una immunis adhuc lingua doloris erat.
Idque dolens ipſum, quod ſola dolore careret,
  Cur heu me, Genitor ſumme, relinquis? ait
Nec mora: fel mixto labris infertur aceto,
  Atque imploratus guttura mordet acor
Quid reliquum? Nihil eſt reliquum: lingua ipſa fatetur
  Conſummata, inquit, ſunt tua juſſa, Pater.

Ad Deiparam Virginem.

Omnes ingeni tendens ad carmina nervos,
  Optavi laudes dicere Virgo, tuas,
Ac licet innumeris radient tua pectora gemmis,
  Una licet teneas quidquid ubique boni eſt:
Nulla tamen pigram ſolvit ſententia linguam,
  Nullaque ſunt calamum verba ſecuta meum.
Unde iſtuc Regina mihi? num copia mentem
  Turbat, an ipſa meo reſpuis ore cani?
Non puto. Nam res ingenium plus excitat illa,
  Hæc eſt a genio res aliena tuo.
Cur igitur? credo ut Numen cor adoret, & eſſe
  Agnoſcat meritis verba minora tuis.

De S. Joanne Apoſtolo Evangeliſta.

Ecquid Joannes Domini ſe ſemper amicum
  Nominat, & nomen ſupprimit ipſe ſuum?
Ipſe ſuum tanto Dominum complexus amore eſt,
  Mutuus in tantum creverat hujus amor:
Ut ſe ſe oblitus, nomen quoque perderet: unum
  Hoc ſciret, carum ſe Domino eſſe ſuo.
Non ſecus amittit rapidus ſua nomina Ganges,
  Poſtquam ſe immenſo miſcuit Oceano.

In Mariam Magdalenam.

Accedens Domini ſacras contingere plantas
  Magdala, cur tantis imbribus ora rigat?
Credo cor ab ſacro concepit lumine flammam,
  Totaſque ex alto pectore truſit aquas.
Sic arſura ilex, virides prius expuit undas,
  Quam ſua Vulcanus viſcera carpat edax.

De Jugo Chriſti ad pigrum cultorem.

Ante fuit, tum grande humero ſuſtollere pondus,
  Et legum priſco ſubdere colla jugo,
Vix poterat, vix audebat terrena propago:
  Dejicere immenſus mollia membra rigor.
Aſt ubi Cultor adeſt, ſuperis delapſus ab hortis,
  Et ſegnem facili vomere tentat humum;
Se ſtatuit dextrum, te collocat ipſe ſiniſtrum,
  Et leve conjunctis viribus urget opus.
Quid talem renuis Socium? pars magna laborum
  Ipſius eſt: merces tota futura tua eſt.

JACOBI BONFADII

VERONENSIS.

Gazanum Vicum deſcribit.

MOEnia quum Saloi, & Benaci littora linquo;
Dextra iter ingreſſum per opaca, & florida rura
Me brevis, & facile acclivis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum, patrique Lyæo,
Et placitum altrici ſemper frondentis olivæ.
Planities jacet in ſummo cultiſſima; primo
Hujus in ingreſſu oppidulum eſt; Salaminius olim
Fadius egreſſus patria, Patavîque ſecutus
Fundatorem urbis, poſuiſſe in littore ſedem
Dicitur; atque plagæ mox acri incenſus amore
Hunc optaſſe locum Gazæ, quam dives avito
Theſauro ſecum extulerat: tum nomine ab illo
Gazanum dixiſſe: propinquis collibus arces,
Claraque magnanimum ſtabant monimenta virorum.
Sed rerum abſumtrix, retroque abſtruſa vetuſtas
Obruta in obſcuris ſecum omnia condidit umbris.
Hinc aciem procul in campos, terraſque jacentes,
Lataque Benaci protendere in æquora poſſum.
Vicini montes Boreæ de parte, reducit
Et qua Sol radios, quaque altas abdit in undas,
Circumſtant; facies ſpectanti celſa theatri
Formam offert: ſæpe indigenæ videre ſedentem
Pana Deum Arcadiæ, calamos quum inflaret in altis
Rupibus, & Nymphas per ſibila læta vocaret,
Nymphas, quæ plexis redimitæ tempora ſertis,
Paſtorum loca ſola petunt, ſilvaſque pererrant,

Om-

Omnia complentes luſu, dulcique cachinno.
Naïades quibus aſſultant de rupibus imis;
Solem ubi ad Heſperium præpingui e valle volutus
Flectit iter rapido, atque ſonanti flumine Cliſis.
Quem dulces aurarum animæ comitantur, & alis
Per placidum levibus volitantes aëra circum,
Omnem divinis miſcent afflatibus oram.
Dilecta ora mihi, Italiæ ridentis ocelle,
Naturæ lætantis opus, ſancta ora Deorum,
Quam lætus gelidos fontes, flexuſque tuarum
Lympharum, Tempeque ſoli, cœlumque reviſo!
Quamque libens vix ipſe mihi credo æquoris undam
Tyrrheni, & Calabrûm ſaltus liquiſſe nivales,
Inque tuo incolumis gremio reſidere virenti!
Salve, altrix antiqua, boni ſalvete receſſus;
Et gaudete: Genique loci tu candide fidi,
Voſque Lares, placidi veſtro cum numine amico
Eſte mihi; & noſtrum tandem lenite laborem.
Te vero & moneo, & quantum me diligis, Alcon,
Oro, care Alcon; quamquam tua rura reliqui
Invitus; partemque ſui mens ægra requirit;
Ne mihi commemores Atheſim, neu tecta venuſtæ
Alta Coloniolæ; juvat hic conſumere totum
Sextilem, & dulces inviſere ſæpe ſodales:
Qui lateri noſtro ſe ſe agglomerare ſolebant
Olim, quum primis colludebamus in annis.
Horum in complexu vis priſci emergit amoris,
Ut ſatis æquo animo non me divellere poſſim.
Sed quum ſe primum decreſcens fregerit æſtas,
Ridebit placido quum Villia Doris in antro,
Me feret aurifluo vaga gurgite cymba repoſtas
Flaminii ad ſedes, ripæ ulterioris in arvis.
Huc occurre mihi: ſimul ad tibi grata vireta
Formelli, & lætos Amathuntidis ibimus agros.
Rodulpho interea, qui ſe cœleſtibus æquans
Divis, purpureo, atque ardenti in murice fulget;
Quemque viam monſtrantem æqui, magnũ inclita patrẽ
Roma colit, ſtatuam patriis in montibus aras.

De

De Villa Coloniola.

Eſt collis, geminas recto qui limite valles
  Scindit, & hinc Suavum proſpicit, hinc Latios.
Acceſſu in primo ſunt formoſiſſima Tempe,
  Culta peregrinæ rura Coloniolæ.
Huc me Verona digreſſum duxerat Alcon,
  Magnæ Alcon ſilvis cognitus Heſperiæ:
Nympharum caſtos qui ſacra per otia fontes,
  Veſtraque, Pierides, numina ſancta colit.
Frondoſi hic nemoris dorſo dum forte vagarer;
  Et leni omne nemus perſtreperet Zephyro;
Ad corylos Phyllis contexens fraga ſedebat,
  Perdito amore nimis Phyllis amata mihi.
Talis in excultis viſa eſt Cytherea viretis,
  Necteret in ſertum quum tibi, Adoni, roſas.
O Sol, o mihi Sol radiis fulgentibus orte!
  O mihi felices inter habenda dies!
Nam quæ furtivum olim abſcondebat amorem,
  Quæque fugax ſemper, ſi obvius inciderem,
Se ſe alio avertens, tacito pede reflectebat,
  Lumina tum facilis torſit amica mihi.
Acceſſi, atque errans, incertus corpore toto,
  Protinus optatum proſilui in gremium.
Illi amor aureolis ſpargebat floribus ora;
  Quos e maternis extulerat calathis
Hic mihi (vos coryli teſtes, tectæque latebræ)
  Dum capio miſtum ſuaviolum ambroſiâ,
Se ſe anima ipſa in labra ejecit; meque relicto.
  Ad ſibi dilectam Phyllida tranſiliit.
Illa ubi me aſpexit moribundum, amplexa fovere
  Cœpit, ſuaviolum dulcius ingeminans.
Tum, mea dum inſueto perfundit labra liquore,
  Ore fovens, ſenſim tranſiit ad me anima.
Nunc vivo, & vita eſt multo mihi carior, in me
  Cum memini, de quo venerit illa loco,
Salve ô terra beata mihi, gratiſſima terra
  Dis ſuperis; ſalve dia Coloniola.

Ne-

Nomen fama tuum immortalibus in monimentis
  Protendat; nec te deruat ulla dies.
Hæc lingua ante meis hærebit faucibus, ante
  Hæc dextra attractis concidet articulis;
Quam memori ex animo, & noſtro de pectore migret
  Sæpe vocanda mihi cara Coloniola.
Et vos ô Coryli, quarum ſub mollibus umbris
  Hæc inſperanti ſunt mihi nata bona,
Sitis felices: non veſtros Eurus honores,
  Non æſtus, non vos frigida lædat hyems;
Cum ſitiunt ſilvæ, veniant pede Najades udo,
  Atque humore vagæ roſcido Hamadriades;
Vos & alant ſibi delitias, ſeu gramine molli,
  Seu malint ramis ludere ab umbriferis:
Phillis amet Corylos: illas ſi Phyllis amabit,
  Una mihi Corylus maxima ſemper erit.

Ad Cardinalem Rodulphum Pium Carpenſem.

Benaci in ripis, agitur nunc tertius annus,
  Pro noſtris poſita eſt viribus ara tibi.
Hic ego tum cœpi non infelicibus auſis
  Te canere, & ſacris urere thura focis.
Gaudebat Geniuſque loci, noſtrique nitentem
  In lucem læti ſe explicuere lares.
At poſtquam gelidis illa eſt infeſſa pruinis,
  Et deſerta tuo numine ſola fuit,
Ipſi etiam montes deploravere querelam
  Noſtram, Benacus ſenſit & ipſe pater;
Et ferruginea ſparſit caligine ripas:
  Omniaque ex illo triſtia viſa mihi.
Magne Pater, veluti æthereus præſentia fulgor
  Qui late ardenti tempora luce reples,
Aureus e gelidis Titan jam flexibus anni
  Vertit ad æſtivum lumina clara diem.
Tu quoque jam propior factus, converte benignos
  Ad me iterum aſpectus, lumina amica tui.

Non erimus dono indecores, quod ſi tibi cura
 Pulsa mei, nec jam te ratio iſta movet;
At moveat natura tua inclita: quique ſub alto
 Antiquæ laudis pectore vivit amor.
Et placidæ excellens moveat præſtantia mentis
 Illa tuæ; quæ Diis te facit eſſe parem.
Tu Princeps, tu ſacrum oraclum: hic munera nobis
 Et mens, & manus, & vox tua pollicita eſt.
Ne, quæſo, ne deſtituas, neu temne dicari
 Meque, lareſque meos, & mea ſacra tibi.
Interea ardentis ſemper te mentis habebunt
 Templa meæ: tibi in his uram animum, atque animã,
Sentiri nequit hinc odor; & ſi poſſit odores
 Vincat Panchæos, vincat & Aſsyrios.

JO: FRANCISCI BONHOMI
BONONIENSIS.

UT cruce pendentem natum conſpexit ab atrâ
 Spargere virgo ſacri fonte cruoris humum;
Heu quos ediderint lacrimarum lumina rivos,
 Quiſve fatigarit pectora caſta dolor,
Lingua referre nequit, calamus non ſcribere; ſenſu
 Non valet, humana nec ratione capi.
Sacra manus referat, cœlo delapſa per auras
 Cerneret ut domini funera acerba ſui.
Virginis ingentes quæ commiſerata dolores,
 Officio mœrens adſtitit uſque pio.
Quæ triſtem ex oculis imbrem, vultuque cadentem
 Legit, & ad ſummi pertulit ora patris.
Dicite Cœlicolum vos agmina candida (nam vos
 Aſſiduo hæc cantu commemorare juvat)

Di-

Dicite ut immenſos fluctus, animique procellas
  Clauſerit anguſto virgo pudica ſinu.
(Ingenuus nec enim pudor unguibus ora ſinebat
  Mœſta, vel incomptas dilacerare comas:
Virgineum infeſtis pectus vel tundere palmis,
  Tollere vel querulos ſidera ad alta ſonos.)
Dicite ut in cari lethalia vulnera nati,
  Inviſamque crucem lumina fixa tenens,
Hæc tacito ſecum verſarit pectore, apertis
  Attamen in triſti fronte relata notis:
Nate meæ vires, mea lux, dulciſſime nate,
  Unica vitæ ſpes, præſidiumque meæ.
Quis mihi te eripuit, mortales inter ut omnes
  Sim magis infelix, quæ mage læta fui?
Quod ſcelus, aut umquam commiſi crimen, ut eſſem
  Una tot adverſis, tot cumulanda malis?
Heu quid commerui? niſi, cum puer aliger aſtris
  Demiſſus pavidæ gaudia magna tulit,
Forte exultavi nimis, hæc ut viſcera ſenſi,
  Excipere hoſpitio Numina tanta ſuo.
Heu quam diſſimiles luces! felicior illa,
  Hac numquam illuxit triſtior ulla dies.
Non poterat de tam ſublimi culmine tantæ
  Lætitiæ, præceps eſſe ruina levis.
Jam cecidi, & mecum mea jam ſpes concidit omnis,
  Et miſera ærumnis omnibus una premor.
Sola quid exanimi parcis mors impia? nato
  Quid trahere extincto fata parentis amas?
At juſtus dolor eſto meus, mea juſta ruina;
  At non nulla mihi culpa luenda fuit:
Quid vero meruiſti ô fons pietatis, & omnis
  Juſtitiæ, tu quem nulla notat macula?
Cujus inexhauſti corpus preſſere labores,
  Atque animæ numquam eſt ulla relicta quies?
Nam curſum a teneris ſi vitæ exordiar annis,
  Si repetam ſortis principiumque tuæ,
Vix genitus cava ſaxa piis vagitibus imples,
  Agreſti fultus mollia membra toro;

Fundere mox ſacrum te lux octava cruorem,
  Plorantemque videt vulnera acerba pati.
Impius hinc quærit dum te violare Tyrannus,
  Infantem patrio cogit abire ſolo.
Ocia ſed numquid puer, anne abſcondita priſcæ
  Differere in templo dogmata legis amas?
Quid ſi maturos quæram, ut tranſegeris annos,
  Adſpiciam ne ullâ forte quiete frui?
Ecquid ſumma tuæ vitæ eſt niſi frigus, & æſtus,
  Duraque pauperies, perpetuuſque labor?
Numquam quæ tua ſunt, aliorum commoda ſemper,
  Quæris, & humana eſt unica cura ſalus.
Ergo quid aſpicio crudelia vulnera paſſum?
  Cur video indignâ lumina preſſa nece?
Infandum o hominum genus, ô ſcelerata propago,
  Edere qui tantum ſuſtinuere nefas!
Perfida gens, regem quæ perdere, quæque parentem,
  Quæ ſervatorem (proh ſcelus) auſa ſuum.
Ingrati hæc Solymi, ſunt præmia digna laborum,
  Quos ipſum veſtri ferre coëgit amor?
Redditur hæc illi pro donis gratia tantis,
  Queis ſtuduit plenâ vos cumulare manu?
Ergo cruci palmæ figi potuere, ſaluti
  Quæ miris ægros reſtituere modis?
Ergo pedes clavis transfoſſi immitibus, alti
  Æquora qui ſicci tranſiliere maris?
Quid ſpinis caput intextum pungentibus, Orcum
  Quod nutu valuit, quodque ciere polum?
Obſcuros quid cerno oculos, taboque fluentes,
  Qui Solis poterant vincere luce jubar?
Cur clauſum os cœleſte, animas quod juſſit ab oris
  Inſolitam Stygiis ſæpe redire viam?
Heu cur pectus hiat tranſactum cuſpide acutâ?
  Sævit in extinctum quæ violenta latus?
Ah rabies fera, jam exanimem lacerare; nec hoſtis
  Sanguinis infandam pellere cæde ſitim.
Cætera fixerunt nati plantaſque, manuſque
  Vulnera; at hoc miſeræ corda parentis adit.

Hic

Hic olim in templo gladius fuit ille doloris,
  Veridico cecinit quem ſacer ore ſenex:
Traiicere hæc medius qui viſcera debuit, ullum
  Non adhibere tamen luctibus hiſce modum.
His me ſæva poteſt mors una exſolvere curis,
  Sola tuæ hanc animam jungere, nate, poteſt.
Talia dum ſecum verſat, dum fluminis inſtar,
  Pallentes vultus flebilis unda rigat.
Volvere viſa acies, totaſque effundere vires
  Infelix, & humi procidere exanimis.
Tunc artus ſubito labentes excipit, aurâ
  Ocior adcurrens ſacra caterva levi.
Pars ulnis hinc inde frequens complexa cadentem
  Suſtinet, hi palmis frigida membra fovent,
Tergit pars oculos; atque humida virginis ora:
  Dum tergunt, largis imbribus ora madent.
At poſtquam ceſſit vis magna doloris, & almus
  Diffuſus paulum eſt oſſa per ima vigor,
Lumina defeſſa, & longo languentia fletu
  Tollit, & æthereas ſuſpicit ægra domos.
Et repetita trahens ſuſpiria pectore ab imo,
  Hos iterum mœſto reddidit ore ſonos.
Omnipotens pater, ô hominum ſator, atque Deorum,
  Quem nulla humano condita corde latent,
Noſti equidem, quibus hæc agitantur pectora curis,
  Ut figit miſerum lancea dira latus.
Noſti etiam noſtro ſimilem non eſſe dolori,
  Qua fluit Euphrates, quâ rigat arva Tagus.
Sum tamen ad majora etiam quæcumque parata,
  Si majora tuâ mente repoſta manent.
Omnia me excrucient tormenta incommoda pœnæ,
  Sic te velle, pater, ſat mihi ſemper erit.
Inde graves languore oculos demittit, & ante
  Lignum immane ingens flectit utrumque genu:
Et palmis complexa illud, complexa lacertis,
  Lethiferæ, hæc dicens, imprimit ora cruci.
Salve inviſa mihi crux, & dilecta parenti,
  Et nato, humanum viveret unde genus,

Humanum genus addictum jam faucibus Orci
 Terrifici, æternæ mancipiumque necis.
Salve olim ſummi ſceleris notiſſima pœna,
 Gloria nunc mundi, præcipuumque decus.
Salve, quæ reſeras cœlos, ſedeſque beatas.
 Et Sathanæ victrix agmina dira fugas.
Dura quidem mihi, dum cariſſima pignora tollis
 Dum nati innocuo tota cruore mades.
Hic ne virgo pias repetat miſeranda querelas,
 Atque iterum ingenti victa dolore cadat.
Stringentem manibus, lambentemque ore cruorem
 Abſtrahere infauſta vix potuere trabe.
Luctantemque adnixi humeris, manibuſque frequentes
 Aligerum attollunt officioſa cohors.
Solari certant afflictam, & multa querentem,
 Quæ poterant Libycæ flectere corda feræ.
Non periiſſe etenim narrant, quem luget ademptum,
 At vires mortis jam domuiſſe feras.
Utque triumphator memorant penetrarit in imos
 Mortali immunis conditione ſinus:
Carceribus jamque effractis ſpoliarit Averni
 Mille beatorum, regna ſuperba, choris.
Utque aderit jam jam lux tertia, in æthera nullum
 Quo magis illuſtrem vexit Apollo diem.
Felix, & niveo lux illa notanda lapillo,
 Inſculpi æterno digna adamante dies:
Tabida quæ membra, atque atro fœdata cruore
 Oſtendet pura candidiora nive.
Hæc erit illa dies, Dominus quam fecit, honoris
 Utque foret laudis. lætitiæque dies.
Luctibus illa modum ponet, finemque dolori:
 Poſt illam venient omnia læta diem.
Triſtis ad hæc paulùm lacrimas, queſtuſque remittens
 Mox iterum ad nati vulnera ſæva redit.
Figit in illa acies, quæritque haurire liquorem
 Luminibus, poſtquam non licet ore, ſacrum.
Atque immota manens oculis, & corpore toto
 Ore tenus junctas tendit utraſque manus.

Cu-

Curarum hîc triſtes volvuntur pectore fluctus
 Virginis, atque novo lumina rore fluunt.
Qualis ubi amiſſo rectore per æquoris altum
 Jactatur ſpatium non bene tuta ratis:
Inſurgunt hinc inde Eurus, Boreaſque furentes,
 Nimboſuſque Auſter, terribiliſque Notus.
Et totum mare vertentes a ſedibus imis,
 Cæruleum regem, & monſtra marina cient.
Grandineque, & pluviis nox ponto inducitur atra,
 Et crebro iratus Juppiter igne micat.
At puppis modo jactatur ſublimis ad aſtra,
 Undoſis modo ſubmergitur ima vadis.
Talis in immenſum curarum tollitur æquor,
 Extinctum lugens regia virgo ducem.
Igneaque ardenti repetens ſuſpiria corde
 Profuſis lacrimis ora, ſinuſque rigat.
Sic nati ſervans corpus pia virgo perempti
 Adſtabat nimio preſſa dolore cruci.

JOANNIS BERNARDINI BONIFACII

NEAPOLITANI.

De Litterarum contemptu.

MAgnus Honos fuerat quondam, decerpere Laurum,
 Et nitidas ſacrâ cingere fronde comas.
Littera prima abiit: nam nunc decerpitur Aurum:
 Hoc eſt magnus Honos; quo ſine magnus ὄνος.

GASPARIS BONONIENSIS.

In Pſicharpaga murem.

VErte ſupercilium quiſquis contingis ad urnam,
  Et diſces quoius funeris oſſa jacent.
Conceſſere patri ſuperi tria pignora noſtro,
  Muſcipulæ primus præda petita fuit.
Excipit inde alium laqueus conſtructus ab arte,
  Dum ſatagit placidam vellere dente nucem.
Me quoque dum nimium cuperem per ſtagna vagari,
  Deſeruit puppis territa rana mea.

LÆLII BONSII

FLORENTINI.

Ad Benedictum Varchium.

ACcepi, legique libens, iterumque relegi,
  Ac rurſus, & rurſus legam,
Quæ mihi miſiſti pulcherrima carmina, quîs me
  Prudenter, ac vere mones
Ad ſtudia ut legum redeam, Muſaſque relinquam
  Noſtris diebus futiles,
Quod facere eſt animus, quam primum corpora languor,
  Et pallor ora liquerit,

Un-

Undenis qui me jam menſibus occupat, atque
Vacare ſeriis vetat.
Interea quid agam potius, doctiſſime Varchi,
Minuſque culpæ obnoxium?
Non ipſe interdum hiſtoriam, cauſaſque latentes
Mutare verſibus ſoles?
Scis quam multa mihi, quam magna pericla minentur
Ni cuncta prudens cavero,
Qui me nigrantis toties de faucibus orci
Traxere vitæ ad lumina:
Tuque adeo in primis, grata quem mente paterno
Honore jamdiu colo,
Nec tamen efficio, quantum vel tute mereris,
Vel ipſe certè debeo;
Sed ne forte putes, rebus, quod vix datur ipſis
Id velle, verbis ſolvere
Nil addam ulterius, niſi quod tua dicta tenebo
Infixa ſemper pectore.

JO: FRANCISCI BORDINI

In æream D. Petri effigiem Trajani columnæ ſuperimpoſitam.

ADſpice pro vanis veros, Romane, triumphos:
Tuque triumphantem ſuſcipe, Roma, ducem.
En, qui Romanas venit piſcator ad oras,
Quique crucis probrum, ſuppliciumque tulit;
Is nunc ſublimes ſuperat Galileius arces,
Cæſaris is pedibus nunc monumenta terit.
Stipite nam lætus verſo dum vertice pendet:
Hac, inquit, nobis eſt iter ad Superos.
Nunc Superis junctus ſuperas ſuperare columnas
Incipit, & nudo ſubdere regna pede.

Quod

Quod genus hoc belli, quæve hæc nova pompa triumphi?
Imperat occiſus: ſanguine regna capit.
Sic vincit, ſic exercet ſua prælia Chriſtus;
Exitio vitam, regna cruore parat.

In Columnam Antoninianam, D. Pauli effigie inſignitam.

Marcomanos Marcus devicerat Antoninus,
Immanes Rhetos, armigeroſque Quados.
Utque æterna foret præclari gloria facti,
Edocet hiſtoriam magna columna cochlis:
Quâ captas urbes ductoſque ex hoſte triumphos
Cœlavit niveo in marmore docta manus
Corde, pium, fortemque armis, atque ore diſertum
Te dixere olim plebſque patreſque tui:
Sed pietate ſimul doctrinâ major, & armis
Eſt Paullus, calcat qui tua regna pede.
Ille humilis, pauper, vinctus, rerum omnium egenus,
Truncatuſque caput, fit tibi, Roma caput
Mirandum! a victo victor devincitur orbis
Cæſar, & ad victi ſternitur ille pedes.
Marcomanum victor devincitur Antoninus,
Et cedunt Paulo Rhetus, & ipſe Quadus.
Chriſte Deus, tua ſunt hæc ſumma inſignia laudis,
Hæc crucis eſt virtus, gloria, viſque ſacræ
Hoſce Petro, Pauloque refert nunc Sixtus honores,
Iiſque illis cochlides ſubdit, & imperium.
Vos igitur Sixtum vaſti duo lumina mundi
Tu Petre, conſilio, tu prece, Paulle, fove.

HIE-

HIERONYMI BORGIÆ

NEAPOLITANI.

Epithalamion in Nuptias Jo: Alfonſi Herricii, Neapolitani Equitis.

FElices thalamos Erato ſanctumque Hymenæum
Incipe; dum magnis reparatur viribus orbis.
Sic tibi per liquidum fecunda Neapolis amnem
Educet argutos generatim in carmina cygnos;
Incipe; & Alfonſi placitum dicamus amorem,
Atque optata diu portantem gaudia Nympham.
Nec ſoli Aonio digni ſint carmine reges:
Ipſe nec Alfonſum ſibi dedignetur Achilles
Maximus æquari, nam ſi ſors invida regnum
Abnuit huic; contra generoſos prodiga mores
Regificamque animam juveni Natura rependit,
Viderat ingenuas ineunte ætate ſequentem
Artes Herricium Cytheræa, ſuumque canoris
Quærentem fidibus tenero ſolamen amori,
Ac Muſâ ingenium puerile adflante canentem.
Obſtupuit mirata novos Venus aurea cantus.
Ut forte Herculeo devecta leone per altum
Aëra, Campanis defixit lumina terris.
Protinus his natum dictis affatur in auras,
Spicula nequicquam torquentem ante ora parentis:
Nate mei cultor, pulchri venator; & ardens
Dux, & noſtrarum comes ingenioſe viarum:
Ille (vides) nate ignavo qui ſuſcitat ævo

Vir-

Virtutes animo heroas: & corpore parvo
Dignior ante alios orbis ditione ſuperbit?
Qualis apum fucos alte Rex inter inertes
Explicat auratas forma jactantior alas.
Hic velut æquales mira puer indole vincit.
Sic ſociam æquali præſtantem dote puellam
Molior auſpiciis juveni conjungere fauſtis.
(Nam ſine me Junonis erunt connubia vana)
I pete Sirenum terras; ubi littora paſſim
Dulcia Parthenopes luſtraveris, inter opacos
Invenies lucos citriorum mille vagantes,
Noſtraque certatim meditantes præmia Nymphas.
Hic numero ex tanto dignam præſtante marito
Delige; quæ vincat facie Sebethidas omnes;
Ut virtute viros novus hic ſupereminet heros.
Hæc Venus: at citius dicto Deus aliger aulam
Luſtrat Aragoniam; longaque indagine circum
Florentes ætate furit, formaque puellas,
Tandem unam ante alias inſigni corpore crines
Reginæ ornantem ſpeculatus, corripit arcum
Acer Amor, tacitumque furens in mollia flavæ
Virginis auratam jaculatur corda ſagittam.
Mox inter puerum volitans lectamque puellam
E nitidis Nymphæ nunc flammas haurit ocellis;
Ac ſimul in teneri præcordia jactat amantis.
Nunc radios pueri furatus ab ore, puellæ
Oſſibus implicuit; blandâ vice pectora carpens
Amborum, & paribus nectens præcordia vinclis.
Luce illâ ut vidit niveo micuiſſe papillas
Pectore turgidulas, & ſuavia lumina, certam
Spem blando intuitu, ſpem promittentia nutu;
Et vidit ſimul, & totis ſimul oſſibus arſit.
Hinc tot Acidaliæ, nato monſtrante, reperti
Cantus, & citharæ miſeri ſolamen amantis.
Interea Trojam Troianumque inſtruit agmen,
Accenſuſque adfert ſpectacula grata Dione
Herricius: nunc acer equo meditatur in alto
Prœlia, nunc ſocios curſu præcellit equeſtri,
Spe-

Spectantem ſtudiis dominam pugnacibus urens
Dum jacit haſtarum fractos ad ſidera truncos.
Nunc Paridis ſtudia, atque animis gratiſſima longe
Carmina femineis, noctis modulatur in umbrâ,
Seu blandum ſperans cantu lenire venenum;
Flectere ſeu formæ faſtus, dominamque morantem.
Ex illo jam crevit amor creſcentibus annis,
Biſſenos iterans ſuſpiria longa per annos.
Hinc [in amore valet tantum patientia] voti
Compos uterque abiit concordi fœdere conjux.
Namque ubi ſpectatâ juvenis virtute Cupido
Perſuaſit ſponſæque ſimul, rigidæque parenti,
Et longo ambarum inflexit certamine ſenſus;
Victor ad Inarimes lucos revolavit amœnos,
Mater ubi inſanos vitare adſueverat æſtus,
Ac dominâ invitante loci captare quietem:
Dum Paphiis præfert Avales tecta hoſpita templis.
Conjugii tum forte novi præſaga nitentes
Pingebat Cytheræa genas; Chariteſque ſecundo
Obſequio adſtabant: crines nodabat in aurum
Altera; berillis fulgentibus altera peplum
Inſignibat; odorato ſed rore rigabat
Tertia divinos Zephyris mulcentibus artus.
Nec procul hinc patulâ ſub quercu Pana ciebat
Æmulus ad calamos Hymenæus; & aurea collo
Tibia pendebat rutilis ornata hyacinthis.
Tunc improviſus ſic ore effatur anhelo:
O felix cœtus! ſimul ô ſalvete reperta
Numina lætitiæ, vacuiſque obnoxia curis.
Proh quantos genitrix fato variante labores
Pertulimus! quantos æſtus nimboſque ſonantes
Ante fores, Nymphæ veſtigia nota ſecuti!
Sub divo quid humi toties jacuiſſe? quid artes
Tentatas memorem magicas? poſt mille repulſas
Quid ſpes ſurgentes? quid eadem luce renaſci
Atque mori? numeriſque novis an carmina dicam
Tot modulata? ipſas etiam mulcentia tigres;
Sed duram unius ſero flectentia mentem?

Quid miſeram maciem, pallentiaque ora, metuſque
Totque pios forti variatos pectore vultus?
Ille tuo tantum primis laudatus ab annis
Judicio, ingenuis ſtudiis, & corpore pulchro
Herricius præſtans, Iſabellam ad fœdera lecti,
Auſpice me, tandem pepigit; ſortitus in unâ
Et genus egregium, quas & concordīa jungit
Rara, pudicitiam formamque, pareſque Minervæ
Mores, ac bona tot facientem maxima cenſum.
Quare agite has mecum tædas celebrate faventes.
Nam vos præcipuis Siren pulcherrima votis
Parthenope manet; & vobis parat anxia pompas.
Diva refert: ô nate meis exercite juſſis;
Gloria num facili certamine ſumma paratur?
Perfer; nox tantos ſolabitur una labores:
Uraniâque ſatus, noſter comes iſte, moratus
Mercedem haud ultra cumulato fœnore ſolvet.
Ipſa quidem (ut cernis) jamdudum ad munera læta
Accingebar ovans; aliquem factura beatum.
Hæc ait: hinc placido conſcendunt agmine concham
Cypris, Amor, Charites; aliique ſequuntur alumni;
Roſtraque delphinum bigas incurva trahentum
Certatim moderantur; & oras viſere dulces
Contendunt: demum fluvio excipiuntur amico;
Ac Sebethiaco religant delphinas in antro:
Adventumque Deæ teſtatur purior æther.
Jam lux extulerat jubar expectata ſerenum,
Conjugibus cupidis noctem adlatura beatam,
Ocia Parthenope, Divos ad feſta vocarat,
Mortaleſque ſimul; cum Diis ut pocula libent;
Formoſamque nurum ſocio venerentur honore.
Ilicet Ænariam Muſis hic linquit amicam;
Ille arva & Bacchi & Cereris teſtantia pugnam
Deſerit; hic Capreas; hic pinguia culta Veſevi.
Cum cervis venator agit per olentia pacem
Prata ſagax; prata exitio famoſa Gigantum.
Nota trahunt nulli captivum ad littora piſcem,
Ponit arator opus: cuncti ſimul ocia ducunt;

Dum

Dum ſua feſtus Amor jucunda negotia curat.
Ex.n invecti ſtellatis curribus adſit
Cœlicolæ ſuadente Deâ; longoque ſalutant
Ordine Sebethum, convivia lauta parantem,
Secretaſque Deis, ſub amœna umbracula, ſedes.
Tum paucis conceſſa, aſtris decerpta benignis,
Dona ferunt nuptæ manibus cœleſtia plenis.
Venit & ornatu felici compta Voluptas.
Cognita Diis ſolis, & amicis cognita Divum
Porrigat ut cupidis æternos nectaris hauſtus.
Fama quoque egregii juvenis, nomenque venuſtæ
Virginis, indigenas Faunos proceresſque propinqui
Excierat pelagi læto reſonantia plauſu
Littora complerant; hominum nihil ora verentes,
Irruerant propius; viſuri candida nuptæ
Ora novæ; pars & choreas agitare parati,
Argutaſque audire fides, & diſcere cantus;
Cantus vix ipſis auditos regibus umquam:
Quos olim docuit Seripandum Phœbus alumnum
Lucrini ad cautes; ubi labra, oculoſque rigantem
Adſidue puerum ſacrâ Ciceronide lymphâ
Chalcidicâ admirans Deus ipſe aſpexit ab arce.
Poſtquam membra toris reclinavere repoſtis
Lumina cœlicolæ mortalia dedignantes;
Ac mortale genus ſimul immortale ſub umbris
Veſcendi dapibus variis ſedavit amorem;
Dum thyaſos juvenes ludunt, ſua ſeria tractans
Juno petit nuptam, ſolio quæ celſa ſedebat
Effulgens auro, gemmiſque ſuperba coruſcis.
Tum Dea ſic orſa eſt, viridi circumdata nimbo:
O bene juncta viro fortunatiſſima virgo!
Jam lætare, tuis majoraque concipe tædis:
Juppiter in terris tot inertes ſceptra tenentes
Indignatus, & eximiis virtutibus olim
Præſtantem meliora virum ſub fata daturus,
Qui lætos faciat populos, urbeſque beatas,
Vos me connubio ſtabili conjungere juſſit;
Surgat ut egregiis genitoribus optima proles:

Pro-

Proles juſtitiam latè, caſtumque pudorem
Quæ doceat populos, & in omnem dividat orbem
Hæc duo amabilibus vinclis per mutua cives
Munera conciliant, urbes & moribus ornant.
Namque ſub arcanis [tanta eſt clementia cœli]
Viſceribus terræ latuere animantia quondam:
Tum pater informem miſeratus ab æthere vitam
Palladis auxilio, Vulcanique arte ſub auras
Edidit attonite nitidum mirantia Solem.
Cumque vagi in ſilvis homines ſine mœnibus ullis
Errarent, paſſimque feris immanibus artus
Ah miſeros irent laniati in pabula tetra;
In cœtum excitos prædura redegit egeſtas,
Ac munire inopem monſtravit limite vitam.
Hic miſeris orta eſt injuria major alumna
Invidiæ; quando civilem acceperat artem
Nondum etiam ignarum divino a Numine vulgus.
Ergo grave inter ſe cognato funere bellum
Dum miſcent, iterum tectis, atque urbe relictâ
Palantes fiunt infelix præda ferarum.
Sed Deus humanæ dum proſpicit ipſe ſaluti,
Mercurio mandat, cunctis ut gentibus æquè
Dona duo illa Deûm latas diſpenſet in urbes:
Inſerat & cœli per ſingula corda decorem:
Lege tamen poſita, quiſquis deprenditur expers
Muneris ætherii tamquam Phlegethontia peſtis
Ad Stygia ultrici truncus ruat antra ſecuri.
Quo circa, quoniam regum pudor exulat aulis,
Impuramque ſoror tellurem Aſtræa refugit;
Te duce molimur populos factura beatos
Qualia jam mundo viguerunt ſæcla recenti.
Tunc Dii paſtores hominum, vigileſque fuere
Cuſtodes, alimenta uni ſat cuique parantes:
Ceu ſunt nunc homines, quorum divinior altè
Natura excellit, pecorum ratione carentum
Paſtores; tegetem neque dedignantur eamdem.
Sic veteres facili ſub libertate vagantes
Tercentum explebant numeris melioribus annos.
At

At tu venturo regi incunabula virgo
Progenitura; Deæ cape jam præcepta monentis.
Prima tibi mores ſit lex, Iſabella, mariti.
Quàm vir, & uxor enim concordi more gubernant
Rite domum, felix hanc auget divite cornu
Copia: quin (tendunt quo vota obnixa parentum)
Quod mortale fuit, genus immortale futura
(Diis opus in primis gratum) per ſæcula ſervat.
Ille foris parat: illa domi benè parta tuetur.
Poſt ubi facta parens decimo jam ſidere partum.
Læta dabis; teneris illum fac educet annis
Muſa fovens gremio, generoſiſque imbuat actis;
Nec videat quicquam, niſi magnum, aut audiat infans.
Hinc Solis numerare vias, mentemque per orbes
Ætherios agitare, bonumque exquirere ſummum,
Et rerum arcanas adſueſcat noſcere cauſas,
Gaudeat & toto reminiſci priſtina cœlo.
Gymnica præterea tenerum certamina corpus
Erudiant, animo & Lethæa oblivia tollant.
Sic animus geminis alis inniſus in altum
Tollitur, ac verum cernens in lumine puro,
In terras victor cœleſtia regna reportat.
Divinas furatus opes fulgentis Olympi.
Qualis in algentem limum effigiemque Prometheus
Vivacem genium miſſurus, ab æthere furtim
Abſtulit arcanis pollentem viribus ignem
Nec vero videar tibi pronuba triſtior, inter
Tot cantus, hilareſque choros: maga namque ſeverum
Natura ad finem, potioraque ſeria dulces
Repperit illecebras, hæc diſce oracula demum;
Ni vir juſtifico ſapiens regat omnia ſceptro,
Aut reges animos Muſarum flumine luſtrent;
Mortales numquam felicia ſæcla videbunt.
Nunc age, ſi caſtæ decorat natura palumbis
Levia colla comis, & verſicolore monili,
Nos tua gemmatis decoremus tempora ſertis.
Sume pudicitiam teſtantia dona perennem:
Augeat & ſanctos oriturum pignus amores.

Dixerat hæc regina Deum. Venus inde maritum
Virginis in gremio poſitâ cervice cubantem
Affatur, roſeo fundens has ore loquelas:
Viciſti, juvenum cœlo gratiſſime, tandem:
O fatis lætare tuis, & compare voto.
Sol, ſub convexo quæ ſunt, regit omnia cœlo.
Tempora Sol rerum ſator idem ac temperat horas.
At Venere invitâ, quæras licet omnia, certam
Nemo voluptatem, cognataque gaudia novit.
Felices ambo, formosâ e conjuge natos
Tollere ritè viro licuit, virtute parentes
Olim æquaturos: generoſo e ſanguine germen
Concipere uxori. Fortunaque divite gazâ
Donat utrumque; aliquid tot ne bona turbet acerbum
Nil ô nil auſint optare beatius umquam
Semper avent, quicumque frui dulcedine Divûm:
Surge age ſideream, Borea ſpirante, puellam
Amplexus, Veneri indulge, blandumque laborem
Exercens thalami cape jam dulciſſima vitæ
Gaudia: nunc melior facies invitat olympi:
Nunc tempeſtivo nubendi ſidere conſtant
Omnia: ſed dextro lateri ſubnixa recumbat
Cara ſimul conjux, puerum paritura, ſerenos
Qui referat ſenſus, qui ferri ſordibus aurum
Vilibus exemptum large ſortitus, ab alto
Corde per Auſonias divinitus explicet urbes.
Parthenope ô priſcis toties ſpoliata coronis,
Naturæ gaudentis opus, decus addita terris,
Perpeſſa heu graviter multis juga barbara luſtris,
Ecce tibi arridet melior Fortuna reviſens.
Accipias omen: lapſos nam ſæpe, peracto
Circuitu, in ſolido rurſus locat illa: reſurget
Jam tua progenies; en magna Iſabella potenti
Donavit ſceptro natam; regemque verendum
Sauromatis, generum magno ſibi junxit honore.
Unde olim veteres pompas, claroſque triumphos
Culta ſinu excipies; placidaque in pace videbis
Compoſitas recte renovata per oppida gentes.

In-

Interea ditem late Bona Sfortias Iſtrum
Dum reget, & cultus italos veneranda Gelonis
Inſeret, abſentiſque pium pia matris amorem
Ac deſiderium Geticis ſolabitur ægrum
Muneribus, natæ præſens Iſabella rependet
Pulchra vicem, natæque explebit munus amantis.
Auſpiciis igitur paribus lætiſſima tædas
Ambarum celebra, pariterque optantibus ambas
Trade viris: Bona Dacorum regina volucres
Aſcendat currus: Iſabella has ore ſerenet
Oras, atque animum dominæ cognominis altum;
His poſtquam verbis blandita eſt Diva, reſolvit
Innumeris ceſtum, variiſque coloribus Iri
Adſimilem dum nube cavâ ſuper erigit arcum
Adverſis radii; ſub quo interiore latebant
Fraudeſque, illecebræque, ipſos quæ fallere poſſint
Prudentis animos. Dea tunc nil ſubdola ceſtum
Invertit; fraudeſque viro ſine fraude retexit;
Vinxit, & arridens triplici duo pectora nodo.
Jamque ſub occiduo patefecerat Heſperus ignes,
Orbe diu optatos; cùm vates veſte decorus
Purpureá, lauroque comas redimitus, honeſtum
Extulit os: ſiluere auræ; ſiluere penates.
Talia dehinc culto depromſit pectore; cantum
Concordem citharæ, & plectro modulatus eburno:
Alma parens rerum, Veneris cœleſtis alumna,
Quæ reparas quidquid rapido corrumpitur ævo;
Quæque æterna novo ſervas animantia fetu:
Jure tibi intendunt totos animalia ſenſus,
Quæ mare, quæ tellus, quæ lucidus educat aër.
Munere ſi Veneris capiunt primordia formæ;
Te duce ſi tenebras mutarunt omnia luce;
Dimidioque ſui rurſus potiuntur, & olim
Partibus abſciſſis, totoque fruuntur amantes:
Dum canimus, Parcæ, fatalem volvite fuſum;
Læta canemus: amant lætos connubia luſus.
Sparge roſis Hymenæe toros; ac tecta vapore
Idalio latè Syriis & odoribus halent.

Tu vir ſponte para nocturna ad prœlia vires;
Quas niſi fert æſtas, incaſſum bruma requirit.
Perge age marmoreo circumdans brachia collo,
Quid ceſſas? mediis bacchare impunè papillis.
O quot amatorum fortunatiſſime cerno
Gaudia! connexis quot mutua baſia linguis!
Ambroſiis tecum thalamis Iſabella ſoporem,
Illa tot oppugnata procis, tot dotibus aucta,
Captat? & è niveo divinum ſpirat odorem
Blanda ſinu? ipſe animæ, repetita per oſcula, florem
Dum legis, illa tuum latus amplexata recumbit,
Toto animo tecum? totis liquefacta medullis,
Centum delicias uni meditata marito?
Vos genibus matris fatalem volvite fuſum,
Conjugibus, Parcæ, felicia fila trahentes.
Conjugis in thalamo felix, & honeſta voluptas,
Quam non ipſe pudor tenebroſo in fornice condit,
Sanctus opes infert magnas Hymenæus onuſtâ
In nova tecta manu, vitam Deus iſte beatam
Solus agit: ſteriles animæ jactantur ad auras
Turbinibus crebris; ſobolis cùm nulla relictæ
Diti ſigna ferunt: qualem turgentibus orbem
Ingentem ventis gravidum ſuper aëra ludi,
Judice ſub tacito, populi ſpectante coronâ,
Huc illuc juvenes alternis ictibus urgent.
Quin etiam in thalamis Divûm, cùm lumina Veſper
Accendit radians, caſtos tunc igne penates
Ac ſeris adolet lychnis Hymenæus, & atras
Nocte fugat tenebras: ubi lux redit alma, repellit
Deſidiam, & totas operoſior excitat ædes.
Tum ſurgunt Cereris; tum ſurgunt germina Bacchi;
Tum pecus alma Pales per gramina læta propagat.
Dum canimus, Parcæ, fatalem volvite fuſum.
Ut jucunda locis emiſſa ſalubribus aura
Membra ſalutiferum diffundit in ima vigorem:
Sic animum feſſi reficit bona nupta mariti.
Cum longo extremis poſt tempore venerit oris
Ille; vel infeſto langueſcat turbine morbi.

Hectora poſt duri certamina Martis anhelum
Andromache accurrens ubi foverat, acrior ille
Argolica oblitus terrebat caſtra labores.
Nec minus Heroina tuum tu noſtra fovebis
Hectora felici gremio, nova robora membris
Inſinuans; ubi Turcarum de ſtrage reverſus,
Ille trophæa Jovi ſuſpenderit inclita noſtro.
Mars etiam ſævo rediens è turbine belli
Gaudet in amplexu Veneris deponere curas.
Dum canimus, Parcæ, fatalem volvite fuſum.
Invideant, quorum Muſis averſa tepet mens,
Indocti reges; quorum natalis, & Hymen
Muſarum ſine honore jacent; & corpora mutis
Cum famâ extinctâ nox obruit atra ſepulchris.
At pius Henricius qui ſacra ſororibus ultro
Pieriis ſua ritè facit, vatemque cadentem
Puppe manu erexit, diâ cum conjuge victor
(In pretio ſublimis erit dum cantus olorum)
Clara per ora virum cunctis memorabitur oris.
Ne genii remorare jocos, & carpere florem
Optatum prohibe: citharam jam pone Camœna.
Vos tamen interea fatalem volvite fuſum
Conjugibus, Parcæ, felicia fila trahentes.
Jam pueri præferte faces: Hymenæe pudorem
Solve rudem, zonamque toro, cantabitur olim
O nati unanimes; ô vincula grata parentum;
O & paſtores, ô dulcia fulcra ſenectæ:
Cùm parvi Herricii parvis in curribus aula
Colludent; ſomnumve levem cùm ſedula nutrix
Ipſa ciens cantu cunabula picta movebit.
Nunc vos unanimes generate ſub ultima prolem
Sæcula manſuram; donec nova ſemina fundens
Volvitur a fato naturæ præſide mundus.

BERNARDI BRACCII

FLORENTINI.

AD LAURENTIUM MEDICEM.

QUis neget Aonias fontes proſerpere Lauros,
  Si Mœcenates tempora noſtra darent.
Auſoniæ ecce ſalus nobis quæ ſola fatetur
  Roſſellum, quo jam Mantua fonte bibit.

AURE-

AURELII BRANDOLINI

FLORENTINI.

Cognomento Lippi.

De laudibus LAURENTII MEDICIS.

O Mea Tyrrhenas nondum ſat nota per urbes
Huc ades imparibus vecta Thalia modis
Vade age laurigeros Medicum pete læta penates,
Magnaque Phœbei limina viſe laris.
Eſt via longa quidem fateor, ſed ſplendor, & ampli
Maxima Laurenti gloria vincit iter.
Hunc igitur forti ſuperabis mente laborem;
Præmia ſunt viſo ſat tibi magna viro.
Nec vereare ſacris aditum non eſſe Camœnis,
Illa domus Muſis nocte, dieque patet.
Non niſi culta tamen te cætu interſere tanto,
Odit barbaricos docta caterva ſonos.
Ecquis enim Phœbo, Phœbique ſororibus illo eſt
Gratior? Aonio quis magis amne bibit?
Sed ſis culta licet, moneo tua tempora ſerves
Omnia non omni tempore viſa placent.
Excipiere illa (ſerves ſi tempora) fronte,
Quam præſtare ſolet civibus ille ſuis.
Mox cum te placido trepidantem perleget ore,
Illi hæc de multis pauca ſed apta refer.
Auſonios inter proceres, celeberrime princeps,
Inter & Etruſcos gloria ſumma viros;

Accipe Laurenti quæ dat tibi munera Lippus,
Lippus Partenope civis ab urbe tuus.
Sunt ea parva quidem, ſed ſint tibi grata precamur,
Namque ea ſunt animi pignora magna ſui.
Mens pia cœleſtes non grandis victima placat,
Hoſtia parva Deum ſit modo ſancta juvat.
Gratus erat Baccho quamvis pauperrimus eſſet
Icarus; & dignus numinis hoſpes erat.
Alcides domitis invicto robore monſtris
Accubuit menſis ſæpe, Molorche, tuis.
Ipſe quoque immenſum fertur quum viſeret orbem
Juppiter in parva diſcubuiſſe caſa.
Cumque torum pomis oneraret agreſtibus hoſpes,
Vilia non puduit ſumere poma Jovem.
Tu quoque parva licet placido mea carmina vultu
Accipe, Mœonius det tibi magna pater.
Et daret, & cuperet Pitii pronom ne Achillis,
Proque Itaco nomen ponere poſſe tuum.
Aſt ego quod poſſum fero, tu ne parva ferentem
Deſpicias; animo dona repende meo.
Non ſunt parva tamen; magnam celebrantia nomen,
Quæ tu vel ſolo nomine magna facis
Sed quis nam merito divinas carmine laudes
Concipere, & tanto par queat eſſe viro?
Mœonides iterum liceat, Ciceroque reſurgant,
Mœonides dicet cum Cicerone parum.
Ipſe potes ſolus digno tua condere geſta
Carmine, te præter dicere nemo valet,
Vincitur ingenium tanto jam nomine noſtrum,
Tergaque ſuccumbunt pondere victa gravi.
Sed tamen incipiam, deerunt ſi carmina tantis
Laudibus, ignoſces, ſit voluiſſe ſatis;
Rurſus in ambiguis verſatur cura tenebris.
Rurſus in incertum mens vaga fertur iter.
Quæ quibus ante feram, quæ prima aut ultima dicam,
Quis mihi ſit finis principiive locus,
Bella ne dent aditum? quis bello eſt major, & armis?
Quis magis in dubio Marte timendus adeſt?

Quid

Quid tu te Æacide fulgentibus induis armis?
  Exue, non faciunt iſta, Patrocle, tibi.
Indue Laurenti nec eris ſimulatus Achilles,
  Indue non Hector te duce fortis erit.
Nec niſi te armari pro ſe voluiſſet Achilles
  Dixiſſet comiti: cede Meneacide.
Tu quoque quid ſpolium verbis tibi ſumis Ulixe?
  Huic dedit Æacides, non tibi: redde ſuum eſt
Non tibi, ſed nobis ceſſit Telamonius Ajax
  Tu quoque (ſed facies jam puto) cede libens.
Hunc decet Æacide ſpoliis gaudere ſuperbis,
  Hunc decet Hectoreas vincere ſæpe manus.
Aſpice quantus eat rutilis bellator in armis,
  Quantus agat celerem quamque tremendus equum.
Quo tenet in gentes habitu, quo dirigit haſtas,
  Qua ferit ipſe alios, qua cavet arte ſibi.
Defendit clypeo, ferit enſe, excellit utroque
  Tutus abit clypeo, victor at enſe redit.
Nemo levi melior jaculo, volucrique ſagitta,
  Nemo pedes melior, nemoque præſtat eques.
Seu curſu ſpatium rapido vis pervolet ingens;
  Vincet Traicio vos Aquilone ſati.
Seu velis exiguum ſonipes ſe vertat in orbem,
  Vincere te propria, Caſtor, in arte poteſt.
Hunc Pellæus equus cuperet modo viveret unum,
  Hunc cuperet ſolum Cæſarianus equus.
Magna gerit ſumptis miles fortiſſimus armis,
  Sed majora toga, conſiliiſque gerit.
Maxima conſilio non armis bella geruntur,
  Illa quidem faciunt juſſa, ſed iſta jubent,
Hoc probat illuſtris facinus Themiſtoclis ingens
  Libera conſiliis Græcia tota ſuis.
Romaque prudenti niſi libera facta fuiſſet
  Conſilio: Pœni ſerva futura fuit.
Maximus Hannibalem nullo mucrone repreſſit,
  Vaſtaret Latias quum ſine fine domos:
Per juga per ſummos colles reſidere ſolebat,
  Caſtraque in excelſo ſemper habere loco.

Nu-

Nubila quum tandem nimbum montana dedere
  Senſit & Hannibales Hannibal eſſe duos,
Artibus his Fabius victorem contudit hoſtem,
  Reſtituitque mora rem tibi Roma tuam.
Quid Cato? nonne tuam peperit bis victa ruinam
  Carthago? & verbis diruit ante ſuis?
Quid loquar ereptam veniente tirannide Romam
  Non niſi conſiliis, Marce diſerte, tuis,
Jure parens igitur patriæ meritoque vocaris,
  Reddita te, Cicero Conſule Roma ſibi eſt.
Nonne igitur poſito fiunt quoque maxima bello?
  Nonne locum media pace triumphus habet?
Hunc ſibi facundo fretus Laurentius ore
  Conſiliis meruit ſæpe referre ſuis.
Sæpe alias, ſed parta recens (ut cetera mittam)
  Non ſinit indictum gloria abire decus.
Quis Volaterrani funeſta incendia belli
  Neſcit. & armatas Marte furente manus?
Quantus & Auſonias urbes incenderat ardor,
  Suſtulerant animos ira, dolorque truces.
Acta furore gravi ſocia defecerat urbe,
  Armarat validas in ſua fata manus.
Undique finitimos rupto jam fœdere ad arma
  Concierat populos Italicoſque duces.
Inſtabant magni noſtris diſcrimina belli,
  Nec par tot populis urbs erat una ſatis.
Perdere vel ſocios erat, aut ſuperare neceſſe,
  Ardua res nimis hæc, fœda erat illa nimis.
Quid faceret? dubia trepidabat in urbe ſenatus,
  Certabant animis, hinc decus, inde pudor.
Jamque videbaris ſuccumbere victa pudori
  Gloria, jam turpi vertere terga fuga.
Ni tibi ſubveniens Tuſcæ lux unica terræ
  Ad tua victricem ſigna tuliſſet opem.
Protinus ille gravi trepidantem voce ſenatum
  Arguit, & ſegnes increpat uſque viros.
Hinc decus eximium, & victricem collocat urbem,
  Hinc victam multo, cumque pudore locat.

Et jubet æquata geminas expendere lance,
  Quaque velint potius vivere in urbe rogat.
Erigit hinc animos facunda voce jacentes,
  Spemque dat hoſtiles vincere poſſe manus.
Quoque geri poſſit pacto res indicat omnis,
  Conſiliumque probat civibus inde ſuum.
Dicta placent patribus rerum huic traduntur habenæ,
  Hic jubet, urbs nulla conficit illa mora.
Verba fides ſequitur ſuperat Laurentius hoſtem,
  Et venit in Tuſcum terra inimica jugum.
Quæ geſta, aut quos his poteris conferre triumphos?
  Iſta decent animum, vir generoſe, tuum.
Nonne hæc innumeros meruerunt geſta triumphos?
  Plurimaque hoc meruit laurea ſerta caput?
Cuncta quidem cives illum meruiſſe fatentur;
  Cunctaque detulerant; cœpit at ille nihil.
O magnum, & nullo viſum unquam tempore factum,
  O vir ſed magnos inter habende Deos!
Quid tibi pro tantis dignum virtutibus optem,
  Aut quæ cœleſtes præmia digna ferant?
Maxima quum fuerint uno te cœpta jubente,
  Et ſint conſilio bella peracta tuo;
Abnuis oblatos ultro, refugiſque taiumphos;
  Detrahis & capiti laurea ſerta tuo,
Et quando hæc Fabium, quando hæc renuiſſe Camillum,
  Aut Curium, lector, Fabritiumque vides?
Nonne & ab hoc maduit civili ſanguine Cæſar?
  Quum ſibi ſublatum non tulit eſſe decus.
Denique quis meritæ non poſcit præmia palmæ?
  Vincere magnanimi eſt, præmia nolle Dei.
Hic mihi millenas auſim depoſcere linguas,
  Et totidem voces, ferreaque ora ſimul.
Ut tantas merito reſonarem carmine laudes,
  Viveret & tanto nomen in orbe tuum.
Talia non debent nec poſſunt geſta perire,
  Omnibus, Aonides, hæc celebrate modis.
Quid magis heroas Latio juvat edere verſu?
  Quid magis Herculea monſtra ſubacta manu?

Quid magis Argolicas chartis mandare phalanges?
  Fictaque Priamide geſta referre juvat?
Quis Romana puer, quis Punica prælia neſcit?
  Quis jam Pellæi non tenet acta ducis?
Scribite nunc alios, alios celebrate triumphos,
  Inclita Laurenti dicite facta mei.
Hic ſolus meritos novit non velle triumphos,
  Quodque petunt alii deſpicit ipſe decus.
Jure potes talem, Laurenti, temnere pompam,
  Non etenim geſtis par erat illa tuis.
Gloria majorum tibi dat contempta triumphum,
  Majus & a ſpreto ſurgit honore decus.
Deque triumphandi victa ambitione triumphas,
  Non datur humanis viribus iſtud opus.
Quum reliquos ſoleas mortales vincere [mirum]
  Exuperant laudes hæc nova facta tuas
O decus, o præſtans, divinaque gloria, quando
  Jam nullum poteras vincere, te ſuperas.
Quin tibi non unus meritusve, actusve triumphus
  Innumeros tribuunt talia facta tibi.
Quidquid & officiis ſervas civilibus urbem;
  Inque dies auges nobilitaſque magis.
Sed neque quid præſtes hac eſt mihi parte tacendum,
  Ni tua verſiculis demoror acta meis.
Sed tibi (ſi fauces, & copia vocis adeſſet)
  Urbs mallet lingua cuncta referre ſua
Tu tamen illius hæc pectore prompta putato,
  Hæc tibi ſi poſſet nunc velit ipſa loqui.
Principio victrix numeroſo ex hoſte triumphat;
  Imputat hoc meritis maxima facta tuis.
Otia compoſito tutiſſima fœdere firmat,
  Hoc quoque quis neſcit muneris eſſe tui?
Bella ſilent: placida cives modo pace fruuntur,
  Nec minor inter ſe pax quoque parta domi eſt.
Omnibus indulxit miti Laurentius ore:
  Unanimos claudant mœnia ut una viros.
In curvam rigidus falcem nunc flectitur enſis,
  Vomeribus caſſis, vitibus haſta bona eſt.

Arma-

Armaque qui coluit miles nunc incolit arva;
  Arma quoque hic ſemper, ſed meliora gerit.
Scilicet & raſtros, & magno pondere aratrum;
  Quæque habet alma Ceres quæque Lyæus habet.
Foſſor inermis arat, graditurque viator inermis;
  Nec timet hoſtiles ille, vel ille manus.
Aurea, Laurenti, redeunt te ſoſpite ſæcla,
  Aurea te nobis ſoſpite vita redit.
Nec valet hoc quiſquam (velles licet ipſe) negare,
  Nam te quiſque petit, ſuſpicit, optat, amat.
Quidquid habent omnes, tibi ſe debere fatentur,
  Et ſonat in populo nomen ubique tuum.
Defeſſus viridi requieſcit arator in umbra,
  Dumque ſedet laudes concinit ille tuas.
Serus ab Etruſca diſcedens urbe viator,
  Se tutum meritis cantat abire tuis.
Hic te divitias rogat, & rogat ille favorem,
  Accipit optatum lætus uterque ſuum.
Te pupillus adit ſolum, verumque patronum;
  Te ſimul orba parens, virgoque caſta petit.
Optat opem hic, victum petit hæc, rogat illa maritum
  Sentit opem hic, victum hæc impetrat, illa virum.
Hæc rogat amiſſam miſero pro conjuge dotem,
  Hanc quoque non pateris dote carere ſua.
Ut juvet in carum pietas impenſa maritum,
  Efficis, & dotem das ſibi ferre ſuam.
Nec ſatis hoc; inopi querula nil voce petenti
  Ultro ades, & gratum porrigis auxilium,
Suppeditas largas (cum parva eſt copia) fruges,
  Ut vivat meritis plebs numeroſa tuis.
Denique quidquid habent pueri, juveneſque, ſeneſque
  Aut virgo, aut mater, munus id omne tuum eſt.
Magna quidem dixi; longe majora ſequuntur:
  Hæc quoque ſint quamvis non tibi magna ſatis.
Inſtituis ſanctis victricem moribus urbem,
  Diſcat ut exemplo ſe ſuperare tuo.
Jura aliis ſancis, ſed quæ prius ipſe probaras,
  Quæque jubes aliis, tu prius ipſe facis.

Fu-

Fuſa prius luxu nunc eſt moderata juven
Et cœpit ſimilis moribus eſſe tuis.
Depoſuit Tyrias vilis plebecula veſtes,
Et didicit fines noſſe modeſta ſuos.
Omnia non debet, poſſit licet omnia vulgus,
Quæque valent omnes omnia ferre nefas.
Quiſque igitur cohibet luxum, Tyriaſque lacernas
Ponit, & in modica ſe tenet uſque toga.
Hoc faciunt alii, ſuperat Laurentius omnes,
Gaudeat ut mores urbs imitata ducis.
Tu quoque delitias poſuiſti, virgo, nocentes,
Non poteras alio vivere caſta modo.
Non niſi fulgentem gemmis, auroque puellam
Cæcus Amor ſequitur, quam bene cernit amor.
Non petit ancillas aurata veſte carentes
Ille puer; ſed te, culta puella, petit.
Nulla pudica diu, formoſaque vivere poſſet,
Ipſa eſſet quamvis Pallade caſta magis.
Vivere caſta (gerit quum gemmas femina) non vult;
Culta nimis juvenes credite virgo vocat.
Si tua ſimplicibus facies contenta fuiſſet,
Tindari non te bis ſubripuiſſet amor.
Tu quoque non raptam quæſiſſes anxia natam,
Flava Ceres, cultu ſi foret uſa tuo.
At tu deliciis vives nunc caſta fugatis
Munere Laurenti, Tuſca puella, tui.
Illum igitur venerare ſacri tibi numinis inſtar,
Quo duce parta redit vita pudica tibi.
Tu quoque laxa prius; nunc frugi, & parca juventus
Illius (eſto memor) te tibi reddis ope.
Hoc duce peſtiferum poſuit Florentia luxum,
Et retinet fines femina, virque ſuos.
Imbuit ingenuis victricem moribus urbem
Luxuriem, & turpes ſuſtulit illecebras.
Protulit imperium pugnando Roma ſuperbum,
Sed præſtans animi perdidit imperium.
Nam quum Marte ſuo nullos non vinceret hoſtes;
Armaque jam toto ſpargeret orbe potens;

An-

Anxia captivo parebat turpiter auro,
  Docta alios, ſed ſe vincere docta parum.
Non ſic imperium ſervat Florentia partum,
  Non ſic magna diu vivere poſſe putat.
Sed poſtquam externos vincendo ſuſtulit hoſtes
  Luxuriem, & molles vincere diſcit opes.
Optimus hoc docuit civis, facit ipſa libenter,
  Qui jubet hoc fieri, fecerat ipſe prius.
Namque ubi finitimos vicit Laurentius hoſtes,
  Se docet exemplo vincere quemque ſuo.
Cæſar adulteriis pœnam ſtatuiſſe minacem
  Dicitur, ipſe tamen turpis adulter erat.
Haud ſatis eſſe putat ſanctas hic ſcribere leges,
  Ut faciant alii, quæ jubet, ipſe facit.
Condidit æternis meliorem legibus urbem,
  Mœniaque huic circum nobiliora dedit.
Quid Numa, quid Minos, Lacedæmoniuſque Lycurgus
  Urbibus audebant condere jura ſuis?
Eſto tamen, nullas modo quiſquam conferat iſtis,
  Scripta legunt homines illa, ſed iſta vident.
Mœnia quid, Theſeu, quid mœnia, Romule paſtor,
  Condere vel Romæ, Cecropiæve fuit?
Romule, non Romam, Theſeu, non condis Athenas,
  Sed qui jura dedit conditor ille fuit.
His magnæ his inquam cinguntur mœnibus urbes,
  Hæc non tormenti robore fracta cadunt.
Perpetuam leges urbem non mœnia ſervant,
  Mœnibus icta ruit, legibus aucta regit.
His igitur Tuſcam cinxit Laurentius urbem
  Mœnibus, ut nullo robore victa ruat.
Ergo pater patriæ communi eſt voce vocandus,
  Dicite io cives jure pater patriæ.
Quid quod & Alpheas iterum ſibi condere Piſas
  Mens fuit, & cœptis ducta Minerva comes.
Undique Palladias ſtudioſus contulit artes,
  Ut colerent unum, quem colit ipſe locum.
Elicuit mediis hic Pallada ſolus Athenis,
  Ut præſit ſtudiis non aliena ſuis.

So-

Solus & Aonio ductas Helicone ſorores
  Ire nec invitas per juga Tuſca facit.
Ipſe pater Phœbus Cyrrha Delphiſque relictis,
  Venit & auratam protulit ante chelym.
Numina quando etiam Piſas injuſſa frequentant,
  Certatimque ſuæ quiſque dat artis opus.
Hoc tibi (quis neſcit?) Laurenti numina præſtant,
  Tu ne putas Piſas ſponte petiſſe ſua?
Quæ tot cauſa Deos, quiſve illuc cogere poſſet?
  Cui veniunt igitur numina? nempe tibi.
Quem potius quæſo ſuperique homineſque frequentent?
  Ecquis numinibus carior atque viris?
Eſſe hunc Cecropiæ carum junctumque Minervæ,
  Conſilium prudens juraque ſancta probant.
Quis neget hunc olim doctas aluiſſe Camœnas?
  Atque Aganippeo fonte levaſſe ſitim?
Quum ſuperent veteres etiam ſua carmina vates,
  Parque habeat reliquis partibus ingenium.
Quin etiam doctos profert extempore verſus,
  Qui deceant calamum, culte Tibulle, tuum.
Obloquiturque lyra numeros reſonante diſertos;
  Eſt lyra par numeris, ingeniumque lyræ.
Hic ne poteſt Phœbo gratus non eſſe Poëta?
  An quiſquam Phœbo gratior eſſe poteſt?
Quin illum proprias Deus excoluiſſe per artes
  Dicitur, & cytharam ſponte dediſſe ſuam.
Nunc & uterque ſimul noctéſque, dieſque moratur,
  Et canit ad doctam doctus uterque lyram.
Hactenus in tacito ſervaram pectòre fixum
  Clarius & cunctis (credite) majus opus.
Dicturus fueram Phœbi quoque ſanguine natum,
  Auctoremque ſui ſtemmatis eſſe Deum.
Sed mea ne riſum parerent ut vana verebar,
  Nam ſolet a magnis rebus abeſſe fides.
At nunc intrepido ſic juſſit pectore numen,
  Vix credenda quidem, ſed tamen acta loquar.
Eſt Deus in nobis; cœleſtis pectora verſat
  Spiritus; æthereo miſſus ab uſque polo.

Sæ-

Sæpe & colloquio fruimur propiore Deorum.
  Ipſa petunt noſtros numina ſæpe lares.
Heſterna meditans igitur dum luce requiro
  Progeniem, & patres, vir generoſe, tuos;
Aſtitit aurato fulgens mihi Phœbus amictu,
  Et cœpit poſita talia verba lyra:
Inclita Laurenti, vates ſtudioſe, requiris
  Stemmata; ſed ſine me non mea noſſe potes.
Ipſe ego ſum tanti præclarus ſanguinis auctor
  Deſine tu genus eſt addubitare meum.
Ipſe ego ſum Medicæ (ſi neſcis) gentis origo,
  Primaque in inventis eſt medicina mei.
Quoque magis credas; hic noſtra ex arbore ductum
  Sumpſit. & a lauro nobile nomen habet.
Jure igitur cytharam, noſtraſque huic tradimus artes,
  Laurea jure ſedet vertice multa ſuo,
Dixit; & a nobis multo fulgore recedens,
  Ambroſio totam ſparſit odore domum.
Ergo age, Laurenti, divino ſanguine gaude,
  Gaudeat & Phœbo veſtra parente domus.
Nec minus ipſe tuo lætus ſis, Phœbe, nepote,
  Suſcipiat ſobolem gens quoque læta ſuam.
Gaudeat ut tanto Florentia gaudet alumno,
  Tuſcaque lætetur pignore terra ſuo.
Tu ſuperas veteres juvenum pulcherrime divos,
  Si fas eſt magnos vincere poſſe Deos.
Cornua quid, Liber, quid jactas, Phœbe, pharetram?
  Phœbe. tibi pharetram, cornua, Liber, habe.
Eſt tibi formoſum præſtanti robore corpus,
  Cui natura parens munera cuncta dedit.
Sunt & opes tantæ, Creſos ut viceris omnes,
  Seque putet Craſſus nunc habuiſſe nihil.
Fabritios, Curioſque tamen (quis crederet?) æquas,
  Difficile eſt Creſum vincere, & eſſe Numam.
Laurigeros etiam meruiſti ſæpe triumphos,
  Magnaque parta foris gloria, magna domi.
Pierides idem retines. caſtamque Minervam,
  Conſulit hæc, vatem te chorus ille facit.

Adde quod & Phœbi generoſo es ſanguine cretus,
Et genere, ingenio, fidibus, arte vales.
Quid magis aut optent homines, aut numina præſtent?
Omnia ſupremum jam tetigere gradum.
Quod tribuant nec habent ſuperi, licet áddere vellent,
Nec tibi vir cupidus, quod magis optet, habet.
Tu juvenis locuples, ſapiens, generoſus honeſtus,
Singula quid referam? cuncta beatus habes.
O fortunatos homines, o ſæpe beata
Sæcula, quæ tanto digna fuere viro.
Quæ tam læta dies tanti rogo munera partus
Gentibus innumeris, & tibi, terra, dedit?
Hanc dare qui ſobolem tanti potuere parentes?
Cui licuit tanti pignoris eſſe patrem?
Quæ majora Deus potuit dare munera terris?
Quid potuit majus terra rogaſſe Deum?
Aurea falcifero non debent ſæcula tantum,
Nec tantum Auguſto ſæcula pulchra ſuo.
Quantum noſtra tibi, tibi ſe debere fatentur
Aurea, Laurenti, munere facta tuo.
Nec tam læta ſuis fuit umquam Pella duobus,
Nec tam Roma ſuis inclita Cæſaribus
Quam tua te gaudet, tua te Florentia jactat,
Et queritur meritis non ſatis eſſe tuis.
Te ſibi conveniens retinet modo ſoſpite nomen,
Te ſibi conveniens ſoſpite nomen habet.
Vive igitur ſoſpes, multo ſed tempore vive,
Vincat Neſtoreos & tua vita dies.
Semper & aſpiret vultu tibi diva ſereno,
Augeat inque dies te magis atque magis.
Sint tibi perſimiles fecunda conjuge nati,
Quos amet, & meritis urbs ſciat eſſe tuos,
Sentiat aut nullum aut ſerum domus inclita luctum,
Et fiant nati te ſeniore ſenes.
At tu cum meritis totum repleveris orbem,
Nec jam te poterunt aſtra carere diu.
Serus ad ætherei culmen te confer olympi
Gaudiaque optato carpe beata polo,

De

De Laurentio & Juliano fratribus.

Omnia Tyndaridas celebrabant ſæcula fratres,
  Nullaque non illis pagina plena fuit.
Quin dedit extinctis cœlum quoque vana vetuſtas,
  Quod fuerat ſcelerum fidus uterque comes;
At nondum Medices tulerant ea tempora fratres,
  Nondum erat hæc toto nobilis orbe domus.
Hos amor, hos veris junxit concordia vinclis,
  Hos tenet eximia cum pietate fides,
Communis domus eſt, communis menſa duobus,
  Et ſtudium (ne quid diſcrepet alter) idem eſt.
Omnia habent eadem, diverſi corpora tantum,
  Sed tamen hæc quamvis ſint duo, pectus idem eſt;
Cedite nunc Gemini, totumque relinquite cœlum,
  Cedite jam vobis hæc magis aſtra micant.
Hi meliora dabunt jactatis lumina nautis,
  Ipſe quoque hos potius nauta rogare volet.
Dum tamen hic habitant, cœlum ſervate Lacones,
  Terra diu placeat, ſerius aſtra petant.

De eiſdem fratribus.

Aſpera ſi vobis Geminorum fata darentur,
  Alter ut alterius viveret interitu;
Tanta quidem pietas, tanta eſt reverentia fratrum,
  Ut prior optaret ſemper uterque mori:
Sed tibi, Laurenti, germanus diceret ipſe
  Vive, dies, frater, largior ipſe meos,

De Domo Laurentii.

Memphiticos olim jactabat fama labores,
  Quam nullum in terris majus haberet opus.
Aſſirios ſummis tollebat laudibus ortos
  Nam tunc nil aliud quod loqueretur erat.
At nunc iſta legens ridet miracula vulgus,
  Dum tua, Laurenti, maxima tecta videt.

Fama, potes toto quidquid fuit orbe tacere,
Cernimus hæc, & non credimus illa, tace.
Marmora te capiunt, adamas pro marmore ſurgit;
Tecta aurata placent, aurea tecta vides.
Celſa cupis; celſo domus hæc contendit olympo,
Hinc poterat cœlum ſcandere turba nocens.
Hæc prius ima videt venientis lumina Phœbi
Quam mortale genus ſperet adeſſe diem;
Ipſa quidem æthereo par eſt domus inclita cœlo,
Sed tamen eſt domino ſe ſuperante minor.

Ad Julianum Laurentii fratrem.

Cur non noſtra tuum reſonent quoque carmina nomen
Quærere Laurenti frater honeſte potes.
Forſitan indignum noſtra te laude fuiſſe,
Aut me nolle putas quæ mereare loqui.
Diſperеam niſi dignus eras, & ponere nomen
Sæpe tuum volvi verſibus ipſe meis.
Sed ne perficiam mihi ſyllaba dura repugnat;
Ah quanti cauſa eſt ſyllaba dura mali.
O utinam poſſem; noſtro non carmine quiſquam
Clarior, aut toto notior orbe foret.
Parce igitur, noſtriſque legi ſi verſibus optas,
Indue quod nomen dicere Muſa queat.

Ad Gentilem Urbinatem.

Qui priſcum revocas, Gentilis docte, leporem
Et retines Latios, Cecropioſque ſales.
Sic tua delectent, & ſemper ſcripta legantur,
Sic tibi det quæ vis, quæque merere Deus,
Quum mea forte leget placido Laurentius ore
Carmina; tu quamvis te roget ipſe nihil
Aude aliquod pro me; tria verba aut quattuor illi
Dicito. Laurenti plurima da, meruit.
Hic labor eſt minimus, ſed & hunc ſi ferre recuſas,
Certe non labor eſt velle tacere, tace.

Ad Librum ſuum.

Mille quidem cuperes totidem quoque carmina ferre,
Sed non te poſſet mulio ferre, liber.
Immo ais (eſto) tamen dabo nil, quare? altera cauſa eſt.
Quæ nam? vis dicam? non legerere liber.
Immo ais (eſto) tamen brevior magis uſque placebis
Sic quoque viſus eris longior Iliade.
Sed dum per varias tibi carmina denego cauſas,
Quo feror? imprudens jam tibi multa dedi
Quin age, tolle moras, ego nec jam ſcribere plura,
Nec tu ferre potes; mulio te ecce vocat,
Ergo libelle vale; curſu precor uſque ſecundo;
Cetera dii tribuant; ergo libelle vale.

JOANNIS BRESSANI

BERGOMENSIS.

Tumulus CHRISTI *Redemptoris.*

HIc tegitur, quem non capiunt mare, ſidera, tellus
Mortem hominum morti, quique dedit moriens:
Huc amor, & noſtrum ſcelus illum compulit; ergo
Quiſque illum redamet, criminibuſque vacet.

Tumulus Terpi Sebuzzi.

Hoc ne prætereas ſaxum, ſtudioſe viator,
Rara quidem mors hæc, & nova cauſa fuit.
Vir ſacer hic fuerat Sebuzzus ſanguine, Terpus
Nomine, & in tota cognitus urbe ſatis,
Qui fratris natos primis nutrivit ab annis:
Ut patruus non jam, ſed pater ipſe foret;

Fortunamque illis, cenſumque augere paternum
  Dum ſtudet, ipſe ſibi durus, & hoſtis erat;
Inque cibo, & victu tenui bona tempora traxit,
  Diſpare nec cultu ſordida vita fuit.
O quotiens propria vites hic falce putavit:
  Compreſſitque ſuo dulcia muſta pede.
Vilia prætereo permulta negocia: ne te
  Detineam vana, dum legis illa, mora.
Ad ſummam potuit tantum pia cura, laborque
  Quod redigi in cenſum res ſua digna fuit.
Inſuper & cari tantum crevere nepotes,
  Quod patriæ nunc ſunt nomina nota ſuæ.
Jamque illi albebant cana tempora, jamque ſenectus
  Repſerat, & merita jam rude dignus erat.
Quum major tenera motus pietate nepotum,
  Dum videt huic rupta pelle patere pedem,
Comparat, & nudas veſtit nova tegmina plantas,
  Quæ ſoleis, ut fit, fulta duabus erant.
Simplex ante fuit, nam ſemper calceus illi
  Inde magis gratus, quam mage vilis erat.
Ille igitur gemina veluti nunc compede vinctus
  Suſpenſo incedit, neſcit & ire gradu,
Dumque inconſtantes male fert per compita greſſus,
  Labitur, effracto, procubuitque genu,
Mox ſequitur febris, febrim mors, iſtaque fati
  Dicitur, o pietas impia cauſa fui,
Sed nec rana poteſt nitidis bene vivere in undis
  Nec bene delicias fert miſer ante novas,
Exemplo hoc igitur quiſquis legis iſta, Viator,
  Intra pelliculam diſce manere tuam.

In morte Aloyſii Atlaſii.

Pieridum Atlaſius decor, atque inſignis alumnus
    Proh dolor occubuit,
Cujus erat nomen celebre, & bona fama volabat
    Docta per ora virum,
Scilicet hic poterat magno certare Maroni
    Carmine grandiloquo,

Cul-

Cultaque Peligni referebat ſcripta Poëtæ
Mollibus ille elegis,
Et vario expreſſit, ſalſoque epigrammate vatem,
Bilbili celſa tuum,
Ille etiam Arpinis poterat contendere chartis
Scripta ſoluta ferens,
Humanarum etiam callebat dogmata legum,
Juraque Pontificum,
Hic quoque Tyrrhenas coluit blando ore Camœnas
Dulcibus, & numeris,
Huic erat ingenium velox, & lingua diſerta,
Aptaque dextra notis,
Spectandus pietate fuit probitate, fideque,
Sancta & amicitia:
Hujus erant placidi mores, natura benigna,
Grataque dexteritas,
Commodus & ſtudiis, gnarus quoque rebus agendis
Ille fuit pariter,
His tamen atque aliis ornatum dotibus heu heu
Mors juvenem rapuit,
Mecum flere decet Parnaſia numina, Muſas
Te quoque, Phœbe pater,
Illius uſque genus ploret, patriique penates,
Et ſtudioſa cohors,
Quandoquidem his periit magnum nomenque, decuſque,
At mihi pars animæ.

Tumulus Baptiſtæ Suardi.

Cui cytharam, & plectrum dederat facundus Apollo
Claudere, & Aoniis verba diſerta modis.
Quique etiam tantum valuit ſermone pedeſtri,
Ut non Arpino ceſſerit eloquio,
Qui quoque Apelleæ fuerat non inſcius artis
Dædaleo pariter præditus ingenio:
Res urbis, ruriſque ſimul tractare peritus
Quem tenuit patriæ cura domuſque ſuæ,
Cujus & hoſpitibus ſemper generoſa patebant
Limina convivis, & celebrata probis,

Conſilio, atque opibus miſeros, inopeſque levabat,
Notus & in ſuperos qui pietate fuit,
Seria qui doctus fuerat, lu:uſque, jocoſque
Denique qui innumeris moribus aptus erat,
Occidit, o jact.ra gravis, Baptiſta Suardus,
Attamen illius candida fama manet,
Servabunt docti quam longa in ſæcla libelli,
Atque alia inſignis pignora clara viri.

Tumulus Equitis Soccini Sicci.

Magnanimum, fortemque virum, ſed parcere promptum
Hoſtibus, offenſas nec meminiſſe graves,
In patriam, & ſuperos notum pietate, fideque
In ſibi conjunctos fœdere amicitiæ,
Divitiis inopes, opera miſeroſque juvantem,
Hoſtibus & celebrem, principibus placitum,
Curantemque ſuas bene res, belloque, domique
Præſtantem pariter, viribus, ingenio,
Corpore conſpicuum, fortunæ dotibus auctum,
Cui quoque non paucos fata dedere dies,
Clarum Equitem Siccum Soccinum contegit iſte
Sarcophagus felix terque quaterque lapis,
Hunc cui ſorte datum eſt defunctum condere, cujus
Et decus & nomen vix capit Italia.

Tumulus Blancæ, Comitis Manfredi Colalti Uxoris.

Hoc Saxo heu Comitis Manfredi conditur uxor,
Nomine quæ blando Blanca vocata fuit,
Præſtabat genere, atque opibus, formaque, fideque,
Moribus, ingenio rara, lepore, jocis,
Fecerat hujus amor Manfredum ponere munus
Officiumque ſacrum, nam ſacer ille fuit,
Connubia illius reputans felicia tanti,
Per quam etiam regnum deſeruiſſe velit,
Quæ ſacra forte iterum repetet, dum nocte dieque
Mœrens, deſperat ſe reperire parem.

Epi-

Epitaphium Antonii Levæ invict. Ducis.

Quantum animi vires excellant corporis, iſto
  Vel ſolo exemplo diſcere quiſque poteſt,
Tam male ſanus erat, ſe ſe hic qui ferre nequibat
  Quatuor atque hominum ſarcina vivus erat,
Ille tamen ſemper terror fuit hoſtibus ingens,
  Fortiaque imbelli contudit arma manu,
Hujus clara viri narrabunt geſta nepotes,
  Illius & celebris fama perennis erit,
Horreſcetque etiam defunctum Gallia, cujus
  Ingenio clades pertulit innumeras.

Tumulus Jo: Pauli Sfortiæ, ipſe loquitur.

Sfortia Paulus eram Ludovico Principe natus,
  Illo, cui in manibus (dicitur) orbis erat,
Me fortuna favens donis ornaverat amplis.
  Namque aliquot populis me dederat dominum,
Et majora datis, nec fallor, amica dediſſet,
  Invida ſed vitam mors mihi ſurripuit,
Quam rogo, ſi nimium nobis fuit impia, ſaltem
  Uxori, & nato non ſit iniqua meo,
Ad quos perveniat placido tardiſſima greſſu,
  Solamen fato ſic dabit illa meo.

In morte Paſſerculi a Fele rapti.

Si volucres clari fleverunt carmine vates,
  Juſtaque magnificis perſoluere modis,
Cur ego non lacrimer crudeli a fele peremptum
  Paſſerulum lepidi delitias pueri?
Ludere quem circum blandumque pipire ſolebat,
  Aut pugno, aut humeris, aut capiti reſidens,
Ad quem etiam e ſummo veniebat culmine nutu,
  Vel minimo accitus ſæpeque ſponte ſua,
Currentemque ſequi motis conſueverat alis
  Ceu metuens ne ſe deſereret, fugiens,

Et

Et pueri convictor erat gratiſſimus, eſcam
  Illius e digitis ore vel accipiens,
Et modo paſcebat micis ſe ſponte minutis
  Huc illuc ſaliens, quas ſibi menſa dabat,
Inſectabatur muſcas quandoque volantes,
  Ortygias volucres ceu ferus accipiter,
Ille dabat puero venienti voce ſalutem,
  Et tremulis alis, luſibus & variis,
Si poſſem illius pennas numerare, valerem
  Illius & laudes claudere carminibus,
Hic ſcio vincebat quem deflet muſa Catulli,
  Illius quamvis carmine vincar ego,
Hinc puerum invaſit tantus prope mœror, ut olim
  De cervo invaſit te, Cypariſſe, tuo,
Quæ tam dira fames potuit compellere felem,
  Contubernalem tam male habere ſuum,
Sed quæ par ſceleri reddatur pœna nefando.
  Quæve habeat meritis præmia digna ſuis?
Illam corripiat vel tam ferus ardor edendi
  Cogatur catulos ut laniare ſuos,
Paſſeris aut fiat conſumpti victima namque
  Jura necem ſtatuunt pro nece quemque pati.

Tumulus Chriſtophori Taſſi Equitis.

Chriſtophori cineres Equitis, cognomine Taſſi
  Sunt clauſi hoc ſaxo, Bergomei patria,
Qui Romæ occubuit, multis ubi ſplendidus annis
  Vitam egit claris, carus eratque viris,
Doctorum cœtus inter non ultimus, omnes
  Quos coluit ſemper, juvit & ut potuit,
In medio ætatis finivit tempore vitam
  Non ſine multorum mœſtitia, & lacrimis,
Tempore quo magis eſt jucundum vivere, quæ mors
  Optanda eſt, doctis ſi qua adhibenda fides.

* *

Tu-

Tumulus Danielis Venerii Prætoris Bergomenſis.

Qui pater, & Prætor noſtræ urbis jure vocari
  Et meritò poterat, proh dolor, occubuit,
Juſtitia qui illam juncta bonitate regebat
  Tempore nam facilis, tempore durus erat,
Quæ teſtata gravem eſt & grata, & mœſta dolorem
  Namque illi inſignes præſtitit exequias:
Sic felix dici ille poteſt, nam claudere vitam
  Tali fine, homini ſummus habetur honos.

In morte Cardinalis Bembi.

Si unquam ſi Aonides afflarunt noſtra ſorores
  Pectora, Pierio & docuere modos,
Nunc cuperem afflari, & Phœbæo accendier igni,
  Ad virtutis opus qui ſtimulare ſolet,
Defuncto ut meriti, Bembo, exhiberentur honores,
  Si tamen tribui poſſit honor meritus:
Sed nec lucis eget externæ munere Phœbus,
  Nec laude externa vir eget egregius,
Ipſe ſibi propria nomen virtute paravit
  Æternum in terris, cœli & in arce domum.

In Bembi funere, tempore pluvio celebrato.

Dum celebri pompa peraguntur funera Bembo,
  Aurea crinitus condidit ora Deus,
Mœſtitiam caput obſcuro velatus amictu
  Significans, mœſtos moris ut eſt facere,
Et veluti lacrimis pluvia teſtatur alumni,
  Quam ſibi dilecti mors ſit amara ſui,
Qui doctrinarum, vitæ & ſplendore coruſcans
  Fulgidus in terris ſol velut alter erat.

De

De eruditiſſimo Viro Felici, pro oratione in funere Petri Bembi habita.

Ut ſol exoriens abſcondit lumina noctis
  Luce ſua. cunctas opprimit atque faces,
Induxit tenebras tua ſic oratio cunctis
  De Bembo eloquiis, quæ cecinere alii.
Sic felix Bembus felicis cultus ab ore eſt,
  Ut gemma artificis, quæ bene culta manu eſt.

De Bembo, & Victoria Marchioniſſa Piſcariæ eodem ferè tempore defunctis.

Cynthius in terris, doctarum atque una ſororum
  Manſere, hic longas atque habuere moras.
Ad teneros hominum ut formarent pectora verſus,
  Moſtrarentque ſuis nectere verba modis:
Sed latuit Phœbus Bembi ſub corpore, Muſa
  Ejus, quæ generis clara Columna ſui eſt:
Qui poſtquam fecere ſatis, namque omnia nunc ſunt,
  Vatibus. & doctis undique plena modis,
Pæne ſimul ſuperos petiere, operiſque peracti
  Hic laudem, atque illic præmia uterque capit.

Tumulus Clariſſ. Mulieris Victoriæ Columnæ Piſcarienſis Marchioniſſæ.

Lesbidos extollant quid ſæcula priſca puellæ
  Nomina, quæ lyricis ſic erat apta modis?
Atque alias celebrant quas culta Poëmata vatum,
  Quarum Aganippæus laverat ora liquor,
Non erat hæc numeris, Phœbæo, & pectine dulci
  Illis inferior, ſcripta quod ipſa probant.
At major probitate quidem, vitiique carente
  Labe fuit vita, clarior & titulis
Inviolata etiam hanc commendant fœdera lecti,
  Longa quoque in viduo tempora ducta toro.

Fle-

Flebilibuſque virum rhythmis deflevit, & illum
Ornavit Clarii lumine docta Dei,
Quid memorem illius pia vota, & facta, preceſque,
Exultum & ſancta relligione animum?
Feminei ſexus fuit hæc fama inclita, nec non
Italiæ, & gentis gloria magna ſuæ,
Sic meruit ſedem in cœlis, nomenque perenne,
Et clarum in terris, mortua an eſt igitur?

Epitaphium M. Antonii Columnæ.

Antonii hoc cineres condantur marmore Marci
Cui genus, & proavos alta Columna dedit:
Tempus, cauſa, locus mortis, ſint cognita, nec non
Dextra fidos, pietas, conſiliumque viri:
Hic tu Pelidæ, Pellæi, & condita Magni
Claraque Scipiadum, qui legis, oſſa putes.

Tumulus Magn. Eq. Daminici Corneli.

Qui legis hunc tumulum, moneo deſiſte viator
A lacrimis, certe hic proſpera cuncta leges.
Namque hic clarus eques fuerat fortuna, opibuſque,
Et probitate bonus, relligione pius,
In patria multis decoratus honoribus, ædes
Magnifice extructas, prædiaque ampla habuit,
Civibus, hoſpitibuſque illius tecta patebant.
Ille ſua miſeros ſæpe juvabat ope:
Artibus egregiis, ſimul ingeniiſque favebat,
Queis juga virtutis ſcandere cura fuit.
Compoſitiſque ſuis ſenior bene rebus, amicos
Inter, & amplexus conjugis occubuit.
Sic vita, fatoque homini feliciter actis
Quis locus eſt lacrimis? læte viator abi.

Tumulus Comitis & Eq. Coriolani Brembati.

Cui larga natura manu, & fortuna dederunt
Præſtantem formam, ſtemmata, divitias,

Inſi-

Inſignes etiam titulos Comitiſque, Equitiſque
Unde in honore fuit in patria, atque foris:
Cuique dedere tori ſociam probitate, fideque
Et genere eximiam, munera rara Deum,
Corporis atque animi natos, nataſque decoras
Dotibus & generos, egregiamque nurum,
Quid memorem geminas, quarum formoſa ſorores
Nomina, Pieriis ſunt celebrata modis?
Fultus amicitiis hinc inde potentibus, unde
Terribilis multis, charus & ille fuit
Sana ætas, & longa ſatis, viridiſque ſenectus,
Et tandem acceſſit mors placida, & facilis,
Scilicet in proprio thalamo, manibuſque ſuorum,
Compoſitis recte rebus & ante ſuis,
An non jure poteſt hunc dicere quiſque beatum,
Non ne hæc felicem vitam hominis faciunt?

Tumulus Petri Cleri Bergomatis Architecti inſignis.

Mœnia, Templa, domus, & propugnacula, & arces
Atque alia in multis ſunt monumenta locis
Iſtius ingenio, & cura fabrefacta decenter,
Fama unde illius vivet, honorque diu,
Per natos etiam durabit longius ævum,
Gloria namque patris filius eſt ſapiens:
Qui genitore quidem non ſunt virtute minores:
Nomina jam quorum Dædalea arte micant.

Epitaphium celeberrimi Ducis Joannis Jacobi Marchionis Marignani.

Non tantum Auſoniis, Germanis, Heſperiiſque,
Atque quibus Chriſti gloria, honorque placet,
Eſt gravis interitus Medeghini nomine in orbe
Tam celebri, & ſparſo cuncta per ora hominum,
Verum etiam gravis eſt Cœlo, longo imbre dolorem
Quod veluti lacrimis, pandit ubique ſuum,
Flu-

Fluminaque ingentem luctum, excedentia ripas
Teſtantur, quæ nunc lata per arva fluunt.
Inter quæ Lambrus, domini qui mœnia propter
Labitur, & lymphis irrigat arva ſuis,
Illius ob fatum furibundus nunc ſata perdit,
Obruit & campos fletibus auctus aquas,
Vir certe Heroum numero aſcribendus, & altis
Pyramidum dignus condier in Tumulis,
Quem gentes tot flent, & Cœlum & flumina, debet
Hoc, ne mori, an dici vivere perpetuo?

PETRI BRICHI

SAMMAURENSIS.

COSMIADOS LIBER.

INſtructas acies canimus, quibus arſerit armis
Tuſcia, cur tantas bellorum moverit artes,
Arceat ut Medices ſibi debita ſceptra petentes.
Muſa, refer cauſas quidnam Florentia molli
Colla jugo fugeret Medicum ſubmittere dura
Quidve Senæ duræ nimium cervicis iniquos
Illuſtrem probitate Ducem tot ferre tumultus
Volvere, compulerintque extrema per omnia caſus,
An cadit in quemquam vecordia tanta ſub armis?
Plurima damna tulit, premeret dum ſtrenuus heros
Hoſtiles acies ferro, genus unde profectum
Nobile, cui ſuperi certatim dona tulerunt
Singula, namque ſui totum incrementa per orbem
Aſpiciet, vincet proavos, proavitaque longo
Extendet jura imperio, populiſque vocatis
Ad ſolium late ingentes moderabitur urbes;
Nec regni jam finis erit, nec terminus ævi,

Adria-

Adriacum mea dum decurrit cymba per æquor
Tyrrheno male nota mari, nec ſueta furenti
Tradere vela noto ſed radere littora remis,
Cynthius admonuit tacta me candidus aure
Deligerem ex omni numero te, Coſme, potentum
Cujus in officium vigili mea Muſa labore
Surgeret, atque gravem damnaret ſedula ſomnum,
Spiritus hic igitur quicumque e pectore manat
Serviet æternum Coſmo te ſemper amore,
Semper honore geret modo ſis mihi dexter, & una
Orſa juves, faveaſque meis, Dux inclite, cœptis
Martia tu proles, Princeps divine, coronam
Nec, te tuo vati, caneteiſque adiice vittas,
Et numeris Phœbo melior ſuccurre potenti
Numine, rem Medicam cantanti ab origine prima,
Non noſtro ingenio, Medico ſed numine freti
Hoc opus aggreſſi varium, Florentia magna
Voce Senæ clamant. Hæc urbs exoſa tumultus
Gallorum impatiens Coſmo ſub principe tuta
Libera ab Hiſpanis lætis agit ocia rebus
Hæc de principibus Medicis decernere nulli
Eſt viſum vati; nullus qui devia longis
Per nemora errarit ſedis, altoſque receſſus.
Punicearum qua ludus ratione pilarum
Contigit, arcanos quæſivit noſcere motus.
Nunc age mens hominum quod non deprenderit alta
Expediam juvat in lucos penetrare ſilentes,
Perque alta umbriferi nemoris deſerta vagari
Abdita dum claro ſtudeo reſerare reperta
Carmine, & arenti latices inducere campo
Aonidum viridi e luco, quo terra liquore
Emittat madefacta ſuo de gramine flores,
Unde meæ inſignis pingatur laurea fronti.
Aurea ſublimi ut feriat pila ſidera ſaltu
Hæret humo, liquidum, volitanſque per æthera ſæpe
Itque reditque levis lapſoque reciproca pulſu.
Urbs antiqua ſedet dives Florentia rerum,
Nobilis, unde venit belli ſtudioſa juventus,
Quam

Quam ſecat unda potens ſpumis furialibus Arni,
Tyrrhenas rapido qui gurgite verberat undas.
Cornibus auratis nullum violentius intrat
In mare Tyrrhenum per culta novalia flumen.
Torrentum caput hoc taurina fronte ſuperbit
Exuberans rauco mugitu defluit amnis,
Floruit hæc ſemper ſtudiis civilibus una,
Floruit hæc terræ genio, rebuſque ſecundis.
Hic populo miranda fides, hic certus honorum
Curſus, hic ingenti procedunt tempora luxu,
Hic mollis cultus, convivia læta viciſſim,
Nympharumque chori, hic juvenum certamina mille,
Principe ſub Coſmo ſtudium nec ceſſat habendi,
Sed majus virtutis adeſt ſuus artibus altis
Hic locus, hic requies, ſtudiis hic alta merentur
Præmia, & optati meritis redduntur honores.
Nec vicos memorare vacat, nec ſtrata viarum
Nec quibus illa modis ſparſas per compita metas
Expedit, & felix quæ hæc omnia viderit ætas.
Nupſerat Arno Hyadum Bacchi nutricibus una
Filia cœliferi Atlantis pulcherrima rerum.
Namque ego tum Cyrrham, doctumque Helicona tenebā,
Ut procul a vulgi ſtrepitu, procul urbe vagante
Inter odoratas lauros, & myrtea rura
Ferret amor virides Muſæ cœleſtis in hortos,
Inconcuſſus amor Muſæ, non munera Regum
Conferat, aut Hermi quiſquam mihi jactet arenas
Non quos mollis Arabs templis incendit odores.
Non ebur, aut rubro quæſitas æquore conchas
Has potius ſectabor, opes quibus aura ſuperſtes
Multa levat cygnum Dyrceo fonte canentem.
Audivere ſimul, cœtuque adiiere frequenti,
Diique Deæque omnes, colles qui & rura gubernant,
Qui fontes, & ſtagna colunt, qui flumina propter
Florida prata tenent, thalamo, tædiſque paratis
Pars feſtos celebrare choros, pars veſtibus alto
Depoſitis blando ſaltu ſe mergere fluctu.
Hi nitidos laudare lacus, lucoſque virentes,

Fluminaque & fontes regnum ſibi quiſque locorum
Optare, interea juſſi diſcumbere lautis
Accubuere thoris. Primus convivia Bacchus
Exhilarat, mox culta Ceres, inde ordine cuncti
Certatim cumulant totis ſua munera menſis.
Dicitur hanc Cœli præcurſor ſedibus unam
Poſthabito retinere polo, hic illius aræ,
Illius hic agnus. Medices Etruria jura
Invito teneant, vult regnent Marte perennes.
Hoſtili ſed enim prolem de ſemine duci
Norat Tyrrhenas olim quæ perderet urbes.
Alto hinc conſilio heroum, ſimul ære ſuperbum
Florenti exitio patriæ ſic namque futurum
Hinc metus. Et Coſmi primi non immemor, exul
Qui fuit invidia multorum Antenoris urbe.
Sic pater hic patriæ profugus per tela, per hoſtes
Erutus Adriacis exul conſedit in undis.
Ordo Senatorum, quem veſtit purpura rector
Æquoris, hoſpitium detur mandavit amico,
Commodus in Venetæ luce hac ut viveret urbis.
Prodiga gens patriæ monſtrare facillima lætos
Hoſpitibus vultus, externos viſere grandi
Lætitia afficitur, nec curat, ſcire quid exul
Advena, principibus nemo indonatus abivit,
Hinc immortalis Venetorum gloria fluxit.
Subjectum nihil eſt quam virtus, acribus hujus
Invidiæ ſtimulis, hæc quanto major habetur
Acrius urgetur tanto calcaribus aſpris.
Non petit id vitium quæ ſunt depreſſa, requirit
Ignis edax veluti ſublimia; fulmina turres
Non niſi præcelſas feriunt cum murmure vaſto,
Fumiferas nubes ſpargentia ſæpe per auras
Emiſſam flammante pilam dum turbine torquent.
Regulus hic quod jam titulis generoſus avitis
(Vos audite precor cœli, tu percipe terra)
Profuit exilium paſſus pereuntibus ære.
Expulit hunc livor, revocavit ad alta ſenatus
Atria, mandavit populos, cervicibus altis
Ipſa

Ipſa reportavit geminans Florentia plauſus.
Quinquaginta hominum mutarunt millia veſtes
Tanto pro reditu, potuiſſet ſe ipſe tueri
Talibus auſpiciis, voluiſſet juribus uti.
Urbis & ad portam revocatum quiſque ſalutat,
Patrem oſculatur patriæ, complexibus hæret,
Perque dies dextris conjuncta eſt dextera plures.
Non fuit exilium, potius ſed grande refulſit
Conſilium, famæ diſpendia nulla ſecuta,
Ante actæ monimenta dedit per ſæcula vitæ.
Hæret ad hæc animo Reparatæ virginis ingens
In gremio divæ jam conſpiratio facta;
Hoſtibus elapſus mediis ibi fratre perempto
Proditor enſe ferit, confoſſus guttura Laurens.
Hunc circum ſubitus telorum decidit imber,
Et poſt tela ferox, laſſuſque in cæde ſatelles
Plurimus horrenda templum complevit acerbo
Clamore, atque armis fulgentibus horruit ara,
Ambo colunt ſuperos, celebrant dum feſta per aras,
Dant pia thura focis ingratis, templa frequentant,
Igne calent aræ, fumant altaria tædis.
Mente nec exciderat divina, inſigne revulſum
Succurrit domus hæc venalis facta ſub haſta
Grande nefas etiam tanto quæſita labore
Spumantes undas per tanta pericula, ſumptus
Immodicos igni ſubjecto exuſta ſupellex
Librorum, ſpoliata quibus nunc Græcia mœret,
Totque Latinorum tæda flagravit in illa.
Inſtituit Coſmus, Laurentius auxit eandem,
Clarus avo, clarus magni virtute parentis.
Janua quod titulis taceo ſignata cruentis,
In contemptum urbis per vicos dempta ſepulchris
Oſſa ruinoſis, quæ ſparſit ſæva juventus.
Inde patet, certaque poteſt ratione probari
Cuncta etenim dum ſe corrumpunt corpora in illud
Unde erat his ortus, demum ſe extincta reſolvunt.
Sed qui telluris putreſcere viſcere nolunt
Errant, ſunt veræ prorſus rationis egentes.

Prævius admirans ſuper his ſe colligit, orat
Relliquiæ Medicum miteſcant ſæpe tonantem
Hinc habitent terras pacem quicumque repoſtas
Oderit, ad multos fiat mitiſſimus annos,
Tantus amor fuerat florentem ſiſtere gentem.
Vix e conſpectu terræ omniparentis in altum
Vulnere purpureus crudeli ſpiritus ibat
Urbis Alexandri Tyrrhenæ Principis hujus.
Ille cadens volucri trajecto pectore ferro,
Et linguæ repetens ſonitu morientis Jeſum
Corpus humo ſocium, tam multis millibus aſtris
Reddebat celſis animam pietate micantem.
Cum tantum caſto facinus ſub pectore ſervans,
Ævum qui in ſilvis atque inter luſtra ferarum
Degebat fluxæ fugiens contagia vitæ,
Materna juvenis cœlo promiſſus ab alto,
Hæc animo: Me ne invito ſævire licebit
Hoſtibus in noſtros Medices? patiar vexare penates
Immeritum mactare ducem? qui tradidit urbem
Sub pacis leges. æternaque fœdera junxit?
Diſtulit imperii fines? caput objectare periclis
Haud veritus regnum tantum ſervaret ab omni
Bellorum ſtrepitu minitantum Marte ruinam?
Ultrices diras, & mutua vulnera, cives
Urbe opibus gravida nequeo, mortalibus aucta,
Innumeris mites jam reddere; proditor unde
Nocte fugit, mira portis bipatentibus arte
Principis interitu thalamo crudelibus auſis.
Servitii laqueo collum ſubducere, junctos
Explicuiſſe pedes pedicis, duriſque catenis
Innumeri potuit populi Moſes ne? ſuperbum
Multa minans dura regem cervice repreſſit?
Evertitque domos? implevitque omnia ranis?
Omnia vaſtarunt rabido cum dente locuſtæ
Prædia? corroſit cum verme pediculus omnes
Arboreos fætus? denſata eſt noxque tenebris?
Aſt ego, qui Chriſtum merui ter mergere fonte
Jordanis, magno qui auſus contendere ponto,

In mare ſe tumidus vaſto bis gurgite pandit.
Gratior unda Deo, quæ vatum carmine digna
Aurea, qui æterni cecinerunt ſæcula regis
Hoc legit flumen, cum cœlo miſſus ab alto
In terris vitam generis miſeratus acerbos
Humani caſus vitæ inſtaurator agebat
Septi pomiferis molles ubi collibus horti
Fragranti ſudant felicia balſama ligno
Fortunate amnis, verum cui tingere lucis
Humanæ auctorem felici contigit unda
Ipſa tibi cedunt non tantum flumina quotquot
Terra parit, nitidique lacus, ſed vaſta profundi
Victa tuo fluvio ſubdunt ſe marmora ponti:
Nam licet immenſum Oceanus late ambiat orbem,
Ipſe tamen, quem non tellus, non æquoris undæ,
Non ſpatia excelſi capiunt ampliſſima cœli,
Ad te tendentem inceſſu, nitidoque petentem
Flumine perfundi velut e mortalibus unum
Sparſiſti ex illo ſacratis tempore lymphis.
Quin etiam & ſterilis caſta intra viſcera clauſus
Matris, & in lucem ſum ventre vocatus ab almo,
Virginis ora gerens, Medica cum gente tot annos
Pace frui cupio, & veneratur nemo prophetam?
Talia virgineo volventem pectore vatem
Divorum patria hunc locus altus pluribus auctus
Numinibus capit; hic tetro miſerandus amictu,
Hic ubi pervenit confidentiſſimus ipſe
Ad Mariam converſus ait, quæ eſt ſponſa Tonantis:
O regina tuum mira cui flaminis almi
Rectorem Cœli Chriſtum, mundique ſalutem
Aggrediare velim, Medicis ſuccurrat, & ores
Conſulat huic imo pereat ne funditus urbi,
Civiles cui cura datur mulcere procellas,
Gens inimica ducem percuſſit cernimus amplis
Viribus alma parens veterum ſuperare Dearum
Numina, gentileſque Deos, tibi terra, fretumque
Et lati convexa poli, tibi regia ſervit,
Te metuunt mortis dominus, maneſque profundi.

Nil ſine te mortale poteſt genus, ardua tu das
Aſtra piis, precibuſque moves, flectiſque tonantem.
Nec quicquam eſt, quod jure queat tibi, Virgo, negari
A cœli terræque Deo, modo poſcere cures.
Hoſtia ſæpe cadet manibus ſanctiſſima noſtris.
Cantica ſæpe dabit vittata fronte ſacerdos.
Vix hæc finierat villis ſpectandus & umbra
Præcurſor, regum pulcherrima tecta peroſus
Secreto latitans dumoſæ rupis in antro,
Par Bruto, Deciiſque tribus, geminoque Catoni,
Et Fabiis vitæ contemptu; cetera major.
Contulit ad natum ſe, & ſancta voce locuta eſt,
Rex ſuperum, ſuperique patris mens unica, per quem
Ipſa parens vires natura accepit, & ortus.
Quo ſine mortales longis erroribus actæ
Complentur m ſeræ tetra caligine mentes.
Nate, meæ laudes, mea gloria, ſola voluptas,
Nate Dei ſummi, cujus ſub jure triumphant
Cœleſtum ſedes, hominum genus alta meretur
Sidera, dux Erebi infelix, maneſque tremiſcunt,
Illæſos ſerves Medices, Medicumque futurum
Oro ducem Coſmum, cupio mala cuncta repellas
Nullam morborum ſpeciem medicabitur arte
Corporis, ulceribus medicamina nulla daturus.
Nec febres ſanabit item, neque vulnus apertum
Obducet tamquam Podalirius, atque Machaon,
Qui duo jam fratres ſunt Dorica caſtra ſecuti,
Argolicus, ſi vera putas, quæ cantat Homerus,
Sed vitia, & mores co ruptos comprimet, iras,
Diſſidium, fraudes, blaſphemum, furta, rapinas,
Ille pias leges tutabitur, ille Luthærum
Comprimet armatum furiis & falſa ferentem,
Infeſtos pueris penitus delebit amyllos.
Inſidias, odium, mendacia, denique cædes.
Te rogo per lacrimas, gemitus, ſuſpiria, fili,
Quæ fudi, propius Medicas nunc aſpice partes.
Virgo novem menſes per multa pericula ventre
Portavi, diſtenta tibi ſunt tradita lacte

Ube-

Ubera, te capiant oblivia nulla viarum,
Quam comes ulterius poſſet non crura tetendi
Diminuens greſſus, dextræ dum juncta ſiniſtra
Hærebat, pedibus dum calcat planta tenellis
Cœleſtis terram, noceat ne calculus aſper.
Horrebam ſaxoſa premens loca ſedula cuſtos
Maternis victus precibus regnator olympi,
Commotus graviter viſa genitrice repente
Filius occurrit dilectus ſede relicta.
Dum dare conatur complexus, oſcula, collo
Brachia, virgo pedes referens ſanctiſſima nolit
Amplecti, vult ſcire prius, quam Aſia captet
Impetret a nato nequeat quod jure negari.
His dictis rector terræ divum, atque hominum rex
Annuit, & tales emiſit pectore voces.
Solve metum, quæ juſta petis, præclara requiris,
Exequar hæc dicto citius mandata parentis.
Confeſtim facie inſignem, & fulgentibus alis
Alloquitur celerem ſtellata in veſte miniſtrum.
Huc converte animum, atque hæc ſub pectore firma.
Apenninum eſt inter nunc mare condita Tuſcum
Nobilibus præclara atavis, regumque, ducumque
Antiquum genus, urbs multis celeberrima factis
Pectus Alexandris poſtquam transfodit acuto
Principis incautum Laurentius enſe jacentis
Perfidus, horrendæ cædis ſimul exiit altum
Rumor ad Oceanum, complerunt æthera planctu
Matres, atque viri fleverunt, certa doloris
Signa dedere nurus, diſſecto crine, genaque
Nulla domus luctu caruit, triſtive querela
Cum ſcelus audiſſet. Vulgo ne forte tumultus
Incerto ſurgat metuo, cito nuncius ibis
Urbis Florinæ clavum retinentibus illis
Hæc mea princibus referes mandata, ſenatus
Civibus ut cunctis dic Coſmum deligat unum,
Qui tanti imperii laxas moderetur habenas.
Dixerat ille altum Zephyris per inane vocatis
Carpit iter, ſcindit nebulas, atque aëra tranat,

Ima petens, pronuſque leves vix commovet alas.
Aſt ubi torrentis tractu ſtetit altior Arni
Primates toto volventes pectore curas
Aggreditur Cœli alipotens, cui lactea fandi
Copia, divinique fluunt è pectore rores
Ambroſiæ, quibus ille acres mulcere procellas
Poſſit, & iratos pelago depellere ventos
Nunciat, ut Floram regat hanc, cui Regia fato
Debetur, Coſmus ſtatuit ſic Juppiter alto
Ut juſtus princeps ſapiens Dux, rexque futurus.
Vindex juſtitiæ princeps, & cultor honeſti,
Sol Medicæ gentis præfulgens, nemo ſub ipſo
Principe patrati peragatur criminis auctor,
Non hominem occidat, non furtum fecerit, aut ſe
Obliget obſcuri ſceleris nocturnus adulter,
Continuo grave delictum par pœna ſequetur.
Editus in lucem felici ſidere terris
Illæſus ſemper manſit per tela, per hoſtes
Vera loquor, non inſidias, neque nectere fraudes
Edoctus, longè a noſtris fraus exulat oris.
Hæc ubi dicta dedit, vexit poſt penna per auras
Sublimis celeres, oculis vaneſcit in altum
Æthera mirando caveam complevit odore.
Numinis admoniti tanti ſermone Quirites
Omnibus hi proceres rebus, curiſque relictis
Decernunt quid opus, quænam ſententia menti
Quiſque ſuæ ſedeat tacito de pectore promat.
Tercentum coiere ſenes, quibus aurea veſtis,
Canities mento, miti venerabilis ore
Majeſtas, vetus illa fuit, fuit indole talis,
Curia, quam doctæ quondam vidiſtis Athenæ,
Vidit & intonſos tales ſua Roma Quirites.
Ætas cui gravior, cui fons inſtillat in ora,
Divinos latices facundo pectore fari
Ante thoro reliquos cœpit ſic primus ab alto;
Non opus ut multi, ſed princeps imperet unus
Unus Rex apibus, gregibus dux unus, & unus
Rector in armentis, uno provincia gaudet

Con-

Conſule, caſtra regit dux, temperat unicus orbem.
Nunc vero cum ſit Coſmus mortalibus unus
Ornato multis gemmis diademate dignus,
Huic dubitatis adhuc ſceptrum deferre, Quirites?
Quattuor eſſe reor ſummo res principe dignas
Blanditiis populos teneat (nam nuda tuetur
Oppida cana fides) hominum conſtantia reges,
Quod minus eſt uſus, qui littore parta trophæa
Abſtulit è Lybico ſenſit ſe ferre repulſam
Scipio, cum foret hic conſul ſitientibus arvis,
Grande ſupercilium oſtentet, præſeferat heros
Herculeum robur, foveat fortuna regentem.
Quis reget hoc uno florentem principe gentem
Delitiis melius? popularis concio ſub quo
Compeſcet furias, quibus hac turbatur in urbe?
Multorum capitum miteſcet bellua vulgus?
Gloria terrarum mira gravitate Catonem
Romanum, vincet caderet ſi fractus hic orbis
Sterneret impavidum mundi hujus tanta ruina
Exceptura ſinu volucris fortuna benigno
Additur his etiam perpeſſio magna laboris
Cor ſimul intrepidum per tot diſcrimina vitæ
Sive æquo pugnare loco, ſeu detur iniquo
Urgere infeſtum totis conatibus hoſtem
Comprimere infeſtas animo rapiente catervas
Acrius oppoſitas induſtria ſemper agendo,
Haud mora conficiendo, quibus ſuperadditur altum
Conſilium, ſolo imperium quo floruit omne.
Tanta duci huic noſtro ſunt hæc, & plura, Quirites,
Principibus mundi reliquis ſunt quanta fuerunt.
Adde quod haud mollem capiunt ſua lumina ſomnum
Ante recenſendo quam ter ſua facta probarit,
Quo veni? quidnam potui feciſſe? quid actum eſt?
Ordine cuncta ſuo memorans, ac mox ſibi ſi quod
Turpe malum occurrit, mœret, lætatur honeſto.
Imperii rudimenta dedit puer alta futuri
Tercentum juvenum lectis comitatus ab æde
Ad ludum, ſedes ludo repetebat avitas.

Sic

Sic fatus: primum ſuperos, ac templa reviſunt,
Tum donis onerant aras, atque æthera votis,
Ut Florentinas res cominus omnia quando
Aſpiciant confuſa vident: Prolapſa repente
Anguis ab occulto luſtrato fornice templi
Venerat unde ſuis curvis ſeſe abdidit antris
Natorum a tergo turba comitante pererrat,
Ignari portenta ferant quid talia ſecum,
Hinc pavor, ille rudis vulgi crudelia adeſſe
Fata rati, exitium illinc mortalibus ingens
Portendi, attoniti quod non contingere crebro
Id videant, & ſæpe pavent, blandaque frequentes
Cum prece ſolemnes adeunt, & vocibus aras
Prodigiumque atrox credunt, lacrimiſque piandum
Oſtentum felix niſi tale dediſſet aruſpex
Omen dixiſſet fauſtum fore fortunatumque;
Interpres divum Medico de ſanguine Coſmum
Hinc fore ductorem, ſtirpis genus unde futurum
Nunciat egregiæ, totum quæ mitiget orbem
Colla datura jugo, quod dura Fluentia molli
Rurſus in amplexus dulces reditura canebat.
Hinc aberat decus Italiæ, nam magna tenebat
Prædia, quæ non urbe procul, proſpectus in arva
Sublimi facilis ſpecula, quibus ubere glebæ
Gargara vincuntur, currentis fluctibus Arni
Humida producunt ſegetes, felicius uvas
Omnia tam plano veniunt, quam colle ſupino.
Hic campos ſpectare licet, lucoſque virentes,
Et nemora, atque altis dejectis montibus amnes;
Hic capreæ innixæ ſcopulis, damæque fugaces,
Territus hic onager, curſuque agitatus anhelo
Per rupes & ſaxa ruit, latratus ad auras
Hic atque inde canum per devia luſtra reſultat;
Quin etiam hic pingues oleas ſua dona Minerva
Conſpicit, hinc caſiam circum, & ſerpilla frequentes
Vere novo glomerantur apes, non cerea caſtra
Plura videt, tali nec nectare fragrat Hymectus,
At nitor hortorum quantus? micat aurea Coſmi
Vil-

Villa, nec Alcynoi conceſſerit ipſa viretis,
Lætus ubi myrthi foliis, & Atlantide ſylva
Vernat ager, viridique ornantur littora lauro,
Inde tepor cœli clementior, inde per auras
Aſſidui volucrum cantus, ſonat Attica conjux
Funeſtas ah queſta dapes, & crimina Terei
Criminibus penſata novis, reſponſat ab alta
Ilice, & antiquas repetit philomela querelas;
Hæc loca biſque die deſerto Helicone frequentat
Cynthius, & pretium meruit quicumque poëtæ
Myrtus in effigiem viridis converſa draconis
Aligeri in navis ſimul eſt translata figuram,
Velifero molem impellente per æquora malo.
Candida Romani portantem juſſa ſenatus
Triſtia ad Hannibalem ſtringentem Marte Saguntum;
Voxque repercuſſo numeroſo redditur Echo
Ætheris immenſi convallibus ipſa cavatis.
Nympha fuit duri lapidis traxiſſe figuram
Dicitur oſſa ſibi tantum cum voce relicta,
Neu lento ſquallere ſitu ſeu membra videret,
Segnitie pateretur iners ſordeſcere vitam
Strenuus inſequitur fulvum de monte leonem,
Aut cervum canibus, calcaribus urget acutis
Sternacem modo ſeſſor equum, mucrone cruorem,
Aut haurire juvat, nervo turbare ſagittam,
Aut torquere ſudem, gelidum ſuperare natatu
Torrentem, aut volucri foſſam tranſmittere ſaltu,
Aut facit hic vallum, tormentum fingit ahenum
Urget opus tonitru latos ſternentia muros,
Ardua terribili jaculatur ſaxa rotatu,
Aut pugnæ ſimulacra movet Mavortia proles.
Quas Medicum ſtatuere manus miratur hic orbis
Formoſas longe formoſis turribus ædes,
Fundarunt avibus lætis, atque omine dextro
Felices animæ, quæ marmore ſplendet, & auro
Eſt domus alta polo, radiant faſtigia miris
Artibus, & fulvo pendet teſtudine mira,
Tercentum nitidis hinc, atque hinc fulta columnis.

Huic

Huic venoſa thaſos latus hoc perſtringit, & illud,
Taygetuſque virens, necnon Cerealis Hymetus.
Aſpice quam variis ſerpant aſarota figuris
Sparſa ſolo, quæ veſtit onix, quæ blandus apiſtos
Molle rubens croceus, maculiſque inſpectus ophites,
Et nomen cui flamma dedit gyamoſque, thaoſque;
Quid Carchedonios, precioſaque nomina mille,
Venarum confecta loquor verboſius arte?
Hoſpitium cuicunque patet vetus una potentum
Etquæ nam ſuperum non hac ſimulacra coruſcant?
Plus una manus, una domo ſibi vendicat ævi
Æquat & æternum tantum ſua fata labori
Praxiteles vario quantum non marmore dextra,
Quantum nobilibus tabulis non doctus Apelles,
Hæ vincunt ædes mundi miracula ſeptem
Mauſoli tumulum, dextris è cornibus aram,
Clara Semiramiæ Babylonis mœnia, Thebes
Centenas Phariæ portas, Titanidos ædem,
Æthereo ſimulacra ſoli radiantia nec non
Regum opus extructos manibus ſuper æthera montes.
Amplis porticibus ſub prœlia magna videntur
Auro Teutonicum multo inſignita furentum,
Quos ſuper Eridani ripas demiſerit orco
Pacis honos fuerat genitor, qui gloria belli.
Horruit occaſus, ſimul ortus. vidimus ipſi
Undantem Eridanum fluviorum ſanguine regem.
Quid referam Gallos domitos, paſſoſque cruenta
Excidia ingentes populos, everſaque regna?
Totque triumphatos reges, tot parta trophæa?
Hic Rhenus hic triſtis Atax. triſtiſque Garumna,
Et bello inſignes populi; genteſque ſuperbæ
Cantaber, ut noſtras qui jam vexaverit urbes
Vaſtarint noſtros, ferroque ac ignibus agros
Immanes Rheti, Rhetoque immanior hoſtis
Helvetius, ſuperum qui ædes, ſacrataque clauſtra,
Et ſtupris. & vindicibus dedit obruta flammis.
Jejunus ceu forte lupus balantia circum
Septa furit flagrans, rabido diſrumpere morſu
Cau-

Caularum teretes nodos, ſævitque tuendo
Tetra fames multo vix tandem explenda cruore.
Hunc tantum rapuere ducem duo numina, Mars, Mors,
Compulit ut raperent livor Mavortis alumnum.
O decus armorum quo vates carmine ferre
Te ſpatia immenſi poſſim ſuper ardua cœli?
Nam tua jam virtus facit, ut te plurima laudem
Gloria tantorum factorum ad ſidera tollam
Bellorum quando decus hoc rogo contigit ulli?
Cui major virtutis honos eſt redditus unquam?
Hujus morte ducis dominæ Capitolia rerum
Capta manent Romæ cæſis cuſtodibus urbis.
Currit utrimque phalanx, turmas Borbonus agebat
Hoſtiles muris quas Lucantonius urget,
Horrendumque tonat funeſtis vocibus æther
Hinc atque inde cadunt, feriuntque, hortantur utrimque
Voce ducum conſertæ acies; It ſanguinis altus
Tybris, & infando revoluta cadavera tabo,
Paſſim ſtrata jacent, agit agmina triſtis Erynnis,
Sanguineoque fremens circum Bellona flagello.
Urbs potuit præclara capi Clemente ſub ipſo
Roma potens rerum, & Carthaginis æmula virtus,
Atria legati mittuntur Coſmica centum,
Aurea veſtis erat quibus, & pendebat in orbem
Aurea multiplicem torques cervicibus altis.
Hos ubi conſpexit ſpecula, cum neſciat arma
Induit, occurrit venientibus acer in armis
Puniceo portatus equo, prævertitur ipſos
Qui volucres Zephiros curſu, cui Pegaſus alas
Ceſſerit, & pavidas ſubmittens Cyllarus alter;
Ante aciem validam validus vi concutit haſtam
Ipſe patris referens animum, laudiſque paternæ
Æmulus, & campo intrepidus diſcurrit aperto.
Alloquitur coram, quo tenditis? unde venitis?
Vos aurati equites oro jam dicite nobis
Legatus ſenior ſuſpiria traxit ab imo
Pectore lætitia: Florina venimus urbe
Te petimus miſſi Florenti, Coſme, Senatu

Ne timeas, lætare magis, nam grandia porto
Gaudia, te eſſe Ducem noſtrum vult ipſe Senatus
Primi cæde Ducis jam ſede vacante ſecundum.
Præſtans juſtitiæ princeps quæ ſceptra mereris
Promiſſa accipies Florentis voce Senatus
Munera perpetuam pacem latura quietem.
Vix hæc ediderat, capiti diadema reponit
Pluribus ornatum gemmis, quod veſte latebat,
Has conſtat nitidas longo poſt tempore gemmas
Non immutari, & ſanguis quem mitigat hirci
Vis neque perdomitat ferri, neque vincitur igne
Indomitus, vivaxque adamas, at permanet idem.
Armipotens contra Mavortis filius orſus,
Quo tempeſtates vultu, qua fronte ſerenat
Æthera, reſponſum roſeo ſic tradidit ore.
Eſt animi ingenui, cui multum debeo, velle
Natali debere ſolo quamplurima cives.
Non mi ſceptra peto, nec talia cogito, mater
Obtulit illuſtris Florentia ſponte coronam.
Non ago, quas vellem grates, perſolvo ſed illas
Quas poſſum tanto, primates, munere vobis.
Officium tantum delere oblivio nulla
Ex animo poterit noſtro alta mente repoſtum.
Sorte mea contentus eram, juvenilibus annis
Haud juga quærebam non dum graviora ſubactæ
Cervici, nam ferre poteſt ſua pondera quiſque
Sæpe ſuas rebus vires ſibi ſenſerit æquas.
Audendum tamen eſt, quæ primo dura videntur
Uſu paulatim longo miteſcere cernam.
Non ſum adeo obtuſus, neque tam ſum neſcius inquam
Obſequium tantum quin ſentio, ferreus eſſem
Ingratique animi vitio peccare viderer,
Obſequerer veſtris niſi votis tela per ignes.
Per caput hoc juro de vita principis hujus
A filo veluti pendebit veſtra ſalus, qui
Jam depreſſa jugo ſolvam languentia colla,
Infenſoſque diu vobis, hoſteſque ſuperbos
Contundam, æterno componam fœdera nexu

Juſtitiæ radiis implens cœleſtibus urbem
Collapſis ſtatuam prorſus nova fœdera rebus;
Non ſine jure regam ſummo, quem quæritis adſum
Ille pius, magnus, patriæ pater, optimus heros.
Amplius obtundam ne vos, deſcendite, veſtra
Hæc domus, alta manent ſtabulis præſepia, cari
Omnis equo ſtat cura equitis, farragine mittam
Barbaricos qui paſcat equos, ſuccedite tectis
Flora, Paleſque mihi nullo diſcrimine agetur.
Circumſtant, gratiſque intendunt vocibus aures,
Et collapſa diu ſubita ſpe pectora complent.
Vix introgreſſi, miſcetur ſpiritus auris
Tum levibus, pulvis flammis velocibus eſca
Sulphureus, rapidos quo nil violentius ignes
Concipit, & longe miſta caligine differt
Tormento immiſſus, flammaque arreptus, in atram
Solvitur aëriam nebulam, ſpatioque receptus
Anguſto in tantum convertitur aëris, ut ſe
Impete cum vaſto late diffundit in auras.
At ſolita ignivomo pila ferrea clauſa colubro,
Vis animæ erumpens illa cum ferrea torquet
Ocyor & ventis rapidis, & fulmine fertur.
Unde altæ nubes, liquidus ſimul intonat æther,
Et gravis horribili quatitur terra ipſa tremore,
Excuſſuſque cavo per mille volumina pilæ
Ære ſonus regnat campo vis fumida toto.
Ad terram auratis pendent laquearibus uſque,
Picta colore hominum vario ſimulachra piorum
Aurea ſunt multis, animataque fila tapetis.
Stabat ibi longo veterum chorus ordine patrum,
Et matrum veneranda cohors, felixque nepotum
Linea, ni primis damnata parentibus eſſet.
Hærebant pulcher pulchra cum conjuge Adamus
Humani primus generis pater, omnia cunctis
Piſcibus, atque feris auſus dare nomina quondam
Alitibuſque vagis, cui tellus tradidit ortum,
Secta Dei mirum digito ac virtute potenti.
Filius hunc propter ſacris laudatus Abelles

Invida quem fratris mactavit dextera ſævi
Innocuo primum terram ſpaſura cruore.
Maximus hic regum terror, dextraque tremendus
Militiæ ſolers ſtudiis, & pacis amator
Intrepidi Moſes animi, ductorque fidelis.
Quem non Antigonus, Pyrrhus, non Hannibal æquet,
Perſarum aut domitor Hammonis credita proles
Pelleus juvenis ſoboles generoſa Philippi.
Hic rex Parcarum cui fas effingere leges
Supplicibus lacrimis, & vitæ extendere metas.
Eſt cujus precibus terræ omniparentis, & æthræ
Lux ſtetit, & ſeram ſtupuerunt ſæcula noctem,
Hic Iſaacus adeſt, atque hic tuus, Anna, maritus
Vir pietate gravis, ſed lumine captus utroque
Levibus innixi baculis, hunc Phinea, & illum
Dixeris Ædipodem, morum niſi diſſimilis ordo
Et diſpar vitæ ratio diſcriminet ambos.
Haud procul eſt Salomon felix cui condere templum
Fas fuit excelſis Solymorum mœnibus uni
Eximium Sophiæ exemplum quem ſæcula norunt.
Hic Abræ, ſterilis conjux, hic Melcha, Lyeque
Effuſæ nitidos crines per lactea colla,
Adda, Rhebecha, potens Heſteris, Sella, Rachelle
Par Helenæ, ac Veneri forma, ſed moribus impar.
Parte alia matris domini cum conjuge ſancto
Anna parens Chriſti genitor faber optimus, atque
Artificum veterum exemplar, pars inclita in auro
Extremum cingebat opus laudata coronis.
Parva loquor, ſævis vinctus pia membra catenis
Subditus opprobriis Chriſtus, conſputus acerbas
Cum pugnis alapas, qui calces paſſus amaros
Cernitur, hic tormenta, crucem, confixa trophæo
Membra crucis ſenſit lacrimans bona cuncta precatus
Turbæ. Conſulto ſileo, quæ dicere reſtant
Matthæus, Thomas, Paullus, geminique Simones.
Andreaſque gravis, Victoria, Fauſta, Sabina,
Agne, Priſca, Agathe, Concordia, mille piorum
Millia, qui cædem domini pro lege cruentam
Per-

Perpeſſi meruere polo poſt verbera cædes.
Clauderet ante diem veſper quam ſingula poſſem
Numina conſpicuo complecti carmine vates,
Hæc ſacer orator volucri dum grandia cernit
Lumine, dum recolit tantarum nomina laudum.
Ædibus interea totis convivia menſæ
Diſpoſitæ expectant, dapibuſque onerentur opimis,
Murice tincta nitet hinc, illinc veſtis olenti
Splendida regales oſtentant atria luxus.
Emicat argenti vis plurima, plurima & auri,
Aſpergit data lympha manus, celereſque miniſtri
Obtendunt tortis mantilia candida villis;
Dona volant Cereris gratæ deprompta caniſtris
Grandibus, & læti ſe effundit copia Bacchi
Accumbunt, Dux ipſe thoro caſtiſſimus alto
Eminet & ſecum cœtus jubet eſſe viriles
Huic auro ardenti veſtes, artiſque labore
Conſpicuo variæ, tellus contecta tapete.
Mille adſunt hilares cultu, formaque miniſtri,
Et famulæ totidem, quæ lymphis pocula miſcent.
Diſcurrunt patinæ, caprides, chryſendeta paſſim,
Argento inſignes, ephireoque ære lagenæ,
Aula miniſterio fervet repleta frequenti
Principis egregii, juvenum pars fercula menſis
Digerit, apponunt pars mitis munera Bacchi.
Hi volucres magno partas, longeque petitas,
Argivas, aut pavonicas, aut Cholchidos oræ,
Illi apros, cervos, dammas, capreaſque recidunt,
Silvarumque decus lepores, ponuntque reſectos.
Pars maris important prædas, ſcaron, oſtrea, mullos,
Tauromitano murenas gurgite captas
Rhomborumque orbes ſpacioſos, quæ tulit arbor
Sive peregrino ſub ſidere, ſive Latino.
Multiplici ſtrepit obſequio domus ampla benigni
Principis. atque hujus non aſpernantibus ipſis
Civibus officium, ſtudiis rus omne laborat.
Scurrarum illuvies non eſt admiſſa procacum,
Non paraſitorum delumbia cantica fiunt

Finis erat dapibus pretioſis, menſa remota
Nocte diem tetra referunt funalia clarum,
Auditur lætus ſtrepitus, vox læta per ædes
Terpander Tuſcus capit hic plectrumque, lyramque,
Cujus ebur, fulvamque hebenum diſtinxerat auri
Argentique labor, variæque ex ordine gemmæ
Incipit altitonans: quia præcipis, alta requiris,
Ordiar hinc Medicæ decus, & nova fama juventæ
Ludere multa brevi, quis enim queat omnia cantu,
Coſme, tibi? At quamvis majora negotia tentes
Huc animum converte tuum, diſpendia fient
Nulla reor tenuem non aſpernatus honorem.
Tempus erit, quando circum tua mœnia victus,
Proſtratuſque ſolo pœnas dabit impius hoſtis,
Atque aliquando ſuos cernet ſub ſtrage teneri
Pars inter foſſas, ſubque ipſis turribus altis
Corruet, extrema moriens pars altera ripa,
Armiacas multo maculabit ſanguine lymphas.
Sic tu Gallorum poteris contundere vires
Amiſſo captoſque Senenſes milite collo
Ipſe catenato ſic ſub ditione tenebis.
Ruricolæ plaudunt, imitantur & urbe profecti;
Eloquio ſomnum Coſmus pellebat inertem,
Plura ſuper Coſmo rogitans, Pallante ſuperque,
Qualis Averardus, Volterra, Antonius inquit
Nunc quibus in templum veniſſet proditor armis
Fare age nunc hoſpes mihi tandem ſingula ab ovo
Laurenti inſidias Ducis, & lacrimabile fatum
Noſtrorum exilium: Nam nos milleſimus annus
Amplius illuſtres fecit ſuper æthera notos.

FRAN-

FRANCISCI BRIXIANI

BRIXIENSIS.

Ad Librum.

INconſulte liber, noli prodire tenebris,
Scombrorum fias ne, piperiſve toga.
Nil audis, at tu diſces metirier aſtra;
Aut aliqua madidis nare palude comis.

Ad Carulum Portibracium.

Quamquam Pierio ſitim liquore
Nondum lenii, abeſtque ſacra laurus
A nobis, tamen accipe, oro, vultu
Læto hoc Carule, qualecumque munus,
Si eſt vel parvula mica grata divis.
Armorum facio Deum hic loquentem
Non ingrata tibi futura forſan;
Qui perſona mihi eſt decora viſus;
Quæ cœptum magis excitaret ignem,
Quæque impelleret incitum jugalem,
Teque in pugnam abitum periculoſam
Hortaretur ad arma tranſigenda;
Hoc eſt ad pariendum utroque mundo
Bellorum memorabilem uſque finem;
Pro quo præmia magna conſecutum
Abs te, Carule, me putaro, ſi tu,
Ipſi parueris ſtatim Gradivo.

Mars loquens.

Mars ego jamdudum Latiis inglorius oris;
Quo genitore, caput ſuper omnes extulit urbes
Roma ſuum quondam non multis paſcua bobus;
Quæ poſtquam ſenuit, contemptis turpiter armis,
Non modo ſegnitie peregrinum perdidit orbem;
Sed partem Italiæ memorem vix obtinet ullam;
Nunc demum videor ſolitos aſſumere vultus,
Et caput ignivomis galeatum attollere conis,
Atque enſem lævo lateri circumdare ſævum,
Armaque calfactis deterſa inducere membris,
Quadriugumque cito ſaltu conſcendere currum,
Terrarumque celer curſu metirier orbem,
Et deſiderium bellorum immittere cunctis;
Improviſa adeo, & ſubita ſpe, Carule, noſtrum
Erexti pectus, nullo delebilis ævo;
Sed perge, & cœptis clarum victoria finem
Inveniat; quod adeſt, tu tantum, Carule, ſegnes
Pelle moras, flatumque Deæ ne linque ſecundæ
Bellonam, Martemque duces diſcrimine in omni
Semper habe, quicquam nobis præſentibus unquam
Subdubitas? cœptus noli differre ſecundos:
Quare dum ſpirant, felicibus utere ventis,
Donec inoptato victricia carbaſa portu
Navigium ſiſtant; quod ſi ceſſaveris; aura
Deficiet, fruſtra pulsato remige Nereo.
Tunc opportunum tempus tranſiſſe querere;
Quo fieri dominus poteras, rerumque potiri;
Poſt linques vero indecorem, & ſine nomine vitam;
Non homo, ſed loquitur Jove natus, Carule, tecum,
Qui fera bella manu, qui pacis publicus hoſtis
Ocia cunctorum cauſas extinguo malorum,
Qui nunc his adimo, nunc illis affero palmam;
Quem qui prudenter multos exercuit annos,
Imperium penes hunc fuit unum, ſummaque rerum.
Tu quoque ſi mortem non intermiſeris unquam,

Im-

Impones victor capto juga ferrea mundo,
Quantum gaudebunt umbræ, maneſque tuorum:
Quîs famam æternam clariſſime facta dedere,
Si tibi ſe longe magnis ſuperarier actis
Audierint? natumque, ſeneſcentemque nepotem
Induperatores ævi veteriſque, novique
Non æquare modo, ſed longe excellere? quamquam
Qui te deſidiæ accuſent, & inutilis ocii
Non deſunt; ignorantes convertere laudem
In vitium; ſiquidem majora faceſſere juſſa
Laudem, non vitium meruit decorarier armis
Quamvis optaris, Venetoſque rogaveris hoſtem;
Cuſtodire tuos intra diſcrimina fines
Auſoniæ qui te fidei voluere probatæ;
Non autem Oenotriis uſquam diſcedere terris
Contra Turcarcæ denſiſſima milia gentis;
Quo tamen haud ſemel optaſti deſcendere; quod ſi
Exoraviſſes; Venetis nunc nulla moveret
Arma ferox Turcus, ſed terra victus, & unda
Vix ubi ſecure, & tuto latitaret, haberet,
Tu tamen interea ſtudiis, atque artibus heræs
Ingenuis, vitamque, genuſque, ac facta priorum
Diſcis, & inſigni doctrina pectus honeſtas.
Hinc Laërtiadem ſuperas, & Neſtora lingua,
Conſilioque vales multum, rebuſque gerendis
Non eſt te melior, non eſt prudentior alter,
Nec cui ſit gravitas, cunctiſque modeſtia rebus
Tanta, nec ex omni tam præſto cardine virtus.
Verum igitur dicam; tu conſumatus ad unguem
Eripies omnis famam mortalibus ævi;
Creditus huc terris cœleſti miſſus ab aula;
Quo certum faceres, divina potentia quantum
Humanis rebus præſtaret in omnibus; unde
Omnia ſunt homini quidquid dicitve, facitve.

Idem ad eundem.

Num ſumpſeris fruſtra gravem provinciam
  Totumque concitaveris
Ad arma Latium ſempiterna, Carule,
  Quando omnis ætas undique
Nomen tuum ciet? modo aude, Carule,
  Inveneris victoriam;
Sed ante tu quidem labores maximos
  Patiere, fateor, ſed neque
Rerum poſitus ullus unquam eſt ocio;
  Qui enim imperare ceteris
Vult, ante convenit ſuperare maximis
  Laboribus pericula.
Sciens loquor; Deos, & homines proſperos
  Habere, plurimum juvat.
Dii nempe, mortaleſque non parum tibi
  Favent perennis, Carule.
Tu perge tantum, & noxias fuga moras;
  Tu cœpta magna tranſige.
Tu porrigentem colla mundum ſubjuga,
  Famamque præcurre omnium.

Ad Muſam.

Quo me urges juvenem parum latinum;
At Græcis penitus notis carentem,
O ſemper temerarii, Camœna,
Auſus? Virginea ne nominatum
Lauro verſiculis meis laceſſam?
Facundiſſimum hominem, virumque nulli
Tempeſtate mea aut parem, aut ſecundum?
Non Tuſcæ modo luminare gentis,
Sed tota Italia celebre nomen?
Cum propter veterem, novumque cenſu,
Et clari generis ſui nitorem;
Tu propter varium, atque multiforme
Doctrinæ genus, & ſcientiæ omnis?

Eſto

Eſto audax tamen, ut lubet Camœna;
Nam etſi inculta, rudis, proterva es,
Huc Laurentius impigros ocellos
Convertet tamen, ac leget libenter
Qualemcumque meum hunc levem laborem.

Ad eandem.

Omnino dubius quid primum Pieri dicam?
Quæ dabitur voci prima figura meæ?
Laurenti primum; poſt es tu, Carule, nobis
Dicendus, quamvis inferiore lyra.

In Laurentium Medicem.

Conſuevere alii, pars maxima, quærere nomen,
Et laudem, & famam ex ipſis majoribus; illis
Contenti, miſerum genus; at tu maxime gentis
Laurenti Tuſcæ, non ſolum quæris honorem
Ex te ipſo tibi; ſed natis quoque: nec nihil addis
Majorum decori lucis; nam cultus ad unguem es,
Et conſumatus cunctis virtutibus; etſi
Terdenos annum Conſul trigeſimus annos
Præclare poſitos numerat tibi. Romula lingua
Cuinam nota magis? noſtrumque poëmata vatum?
Hiſtoriæque omnes? & quidquid denique noſtris
Eſt lucubratum? voluiſti noſcere curſum
Aſtrorum, Lunæque vices, Soliſque meatus;
Naturam rerum cunctarum; quid ſibi leges;
Quid jus, quid fas expoſcunt; quid turpe, quid æquum;
Hinc tu conſilio polles, & rebus agendis;
Non æque ſapiens, nec te maturior ullus.
Proh ſuperi cunctis tibi quanta modeſtia rebus!
Quam pius, humanus, facilis, tractabilis, æquus!
Quam bonus, & mitis, quam non aſtrictus in omnes
Qui meruere aliquid pro dictis, aut benefactis!
Quam Superum cultor! quam deterioribus hoſtis!
Quam poſtremo omni vitæ tu parte probatus!

Jure ergo, & merito veneratur Etruria Civem
Tota ſuum; cui dum Reſpublica ſummaque rerum
Recta erit, attollet celſum caput altius uſque
Pulchra ſoli princeps genitrix Florentia Tuſci.
Nunc audi quæſo, noſtrique intellige vitam
Induperatoris Laurenti, dicere verum
Noſtrum eſt, impenſe Superos colit; afficit unum
Quemque ſuis meritis; ſi non penuria nummi
Interdum obſtiterit nuſquam declinat ab æquo
Carulus, hiſtorias callet vetereſque, novaſque;
Quas Mars, Saturnuſque minas præſeferat, & quid
Juno paret, quid amica Venus, quid Juppiter inſons.
Quid Maja genitus ſopito cogitet Argo;
Cur abeat, redeatque recens Latonia pubes.
Jam vero quantus bello ſit; quantus & armis
Non opus ut memorem; aut quid primis egerit annis;
Dum ſanguis primus melior, dum firmior ætas;
Quod ſi poſt egit nihil, haud vitio tamen ille,
Sed laudi dandus, nam juſſa faceſſere noſtrum
Majorum, laudi ſemper fuit; at mala fama
Neſcio quæ invaluit longe averſiſſima vero.
Per caput hoc juro, dii teſtes, Carulon eſſe
Hunc Martem noſtrum parci potuſque, cibique.
Non tu ergo in primis Laurenti gloria Tuſca
Huic homini præſtabis opem, ſtipendia, vires?
Non hunc optabis ſubito Florentia natum?
Cui gratis etiam mavult addicere vitam
Quiſque bonus miles, quam argento auroque merere
Cuiquam alii? quod vos nuper vidiſtis: ad iſtum
Et peditum, atque equitum numerus concurreret ingens.
Haud fruſtra ſumptus labor annuit; o bene factum
Hoc duce cunctarum potietur Etruria rerum.
Hæc tibi Laurenti ſubito confecimus, inter
Currendum, dum te petimus, cum tempora nacti
Commodiora erimus, plura, & majora canemus;
Hi tibi ni noſtri tulerint faſtidia verſus.

In Florentiam.

Occaſionem magnam habes, Florentia
  Rerum omnium potirier;
Si paululum audes; ſi minas parvi facis
  Latentium male hoſtium;
Si Carulo uteris duce; ad quem milites
  Omnes eunt boni undique,
Cujus celebre nomen haud gratum minus
  Eſt omnibus, quam Cæſaris,
Cum Gallias domaret; omnis Carulum
  Ætas libenter nominat,
Vocatque, diligitque: fato exiſtimo.
  Opum tuarum tu modo
Partire quid cum Carulo duce optimo,
  Regina fies ilico
Longe potentior potens Florentia,
  Quam nunc es, haud nugas ago.

In Florentiam argumentatiuncula.

Cur ex principio Roma miſerrimo
Tantum crevit, ut eſſet caput omnibus
Terris? Iliacumque insereret jugum?
Laſcivo quoniam prætulit ocio
Bellum. Cur cecidit deinde? quod horrido
Marti molliculum prætulit ocium.
Sed quid commemoro exempla veterrima,
Cum tu creveris armis? & eas, quam ego
Majorem fieri opto duce Carulo
O Florentia pulcherrima Civitas?
Quid ſecura times, neſcio quas minas
Formidans? quid inertes non adimis moras?
Quid non arripis heu tempus idoneum
Fortunæ ſuperiſque auſpicibus datum?
Quid vires, quid opes non pateris tuas
Extendi melius? prome pecuniam

Ex plenis loculis; poſtmodo fœnore
Ingenti redituram; hoſtibus ad jugum
Ductis; an dubius te movet exitus
Belli? quod metuas aut nihil, aut parum eſt;
Si feliciter & proſpere ad hunc diem
Tractaſti arma; agedum ergo utere commodis
Fortunæ tibi Florentia proſperæ.

In Cives Florentinos.

Quid obſecro boni moramini Cives?
Quæ tanta tarditas, ne inertiam dicam,
Deliberationibus moram veſtris
His maxime extremis periculis affert?
Num vos ab hoſtibus minarier tantum
Mihi putatis? non minus quidem veſtra
Res agitur, ac mea, haud enim furor tantus
Belli quieſcet, aut erit leni hac umquam
Victoria contentus; oppido noſtro
Capto; ſed agros ilico petet veſtros;
Ne quid mali ergo deferat meum vobis,
Cavete quæſo; ſi ſalus mea eſt veſtra;
Sed amovete protinus moras omnes,
Opemque celerrimam miſerrimis rebus
Præſtate, dum tutiſſime licet vobis;
Ne ſera ſubeat pœnitentia; aut ergo
Clam, ſi videtur, aut aperte, & audacter
Communibus rebus favete Tyrrheni;
Communis eſt ſalus: ſed haud idem damnum.
Jactura veſtra maxima eſt; minima noſtra.
Ab Italis fugabor? exteras gentes
Petam, futurus ipſe major ærumnis.

Ad Laurentium Medicen.

Nunc demum mihi vivere
Laurenti eſt odioſum, inter homunculos
Hujus temporis impii;

Qui-

Quinam eſt, qui rem alienam juvet, aut ſuo
Paulum præferat uſui,
Cum patri inſidias filius impia,
Fratri frater; avo nepos
Tendat? quando ſui confugium viri
Uxor prodidit hoſtibus,
Rerum heuheu, Superumque immemor omnium?
Sed regnare diutius
Quit nemo in ſcelere, ac perfidia ſua;
Nam expectat meriti ſui
Aut ſero, ut ſubito debita præmia,
Et quo tardius horrida
Pœna accedit, eo ſævior imminet.
O mutabilior levi
Vento; nec bene ſemper miſero viro
Servans legitimam fidem;
Sola proditio, atque excidium urbium,
Et cauſa unica cædium
Execrabilis, atque impia femina.
O fortuna volubilis,
Quæ perſtas eodem non nimium ſtatu,
Nunc hos deiiciens rota,
Nunc hos accipiens candidulo ſinu.

Ad Muſam.

Victurum ſemper carmen mihi ſubiice quæſo,
  Muſa, triumphali fronde revincta comas.
Inſigni virtute homini, juvenique diſerto
  Scribimus; hic vires prome Camœna tuas.

In Braccium Martellum.

Quot Danao natas ajunt, natoſque fuiſſe
  Ægyſto; cui vel Troja relicta ſeni;
Tot fecunda tibi maturet pignora conjux
  O Braci, natis fauſte future tuis;
Quis cum omnem vincis meliori Neſtora fato,
  Quot Cumea etiam ſæcla peregit anus.

Quot

Quot congeſſit opes, quantum rex Attalus auri;
Tantum tu, Braci, Creſe future, pares,
Fortunamque tibi ſemper, divoſque ſecundos,
Et faciles habeas, liber ab invidia.
Denique lux vobis lætiſſima luceat omnis:
Atque notet veſtros lucida gemma dies;
Cumque pedem tulerit, lætæ mors invida vitæ.
Omnes æthereæ ſcandite tecta domus.

In eundem.

Qui nam unquam immemorem hoſpitalitatis,
Aut dicere munerum tuorum
Erga me poterit benigne Braci?
Non vivus modo, ſed quoque arida umbra
Æternas tibi gratias habebo.

Ad eundem.

Neſcio quid magnum, Braci mea parturit ira
Contra monſtroſi turpia facta ſenis;
Sed nondum conſtat quo fundam carmine virus,
Ni telis armer, Graje, poëta tuis.
Hoc faciam; quid enim verſu truculentius illo,
Cauſa Lycambeæ qui fuit una necis?

In eundem.

Omni nempe tibi, Braci, debebimus ævo
Hoſpitii memores, officiique tui.

In Florentiam.

Dii meis quæſo precibus favete,
Auribus dicam placitura veſtris,
Quæque Florentes meruere Tuſci
Pro benefactis.
Nec malis haud unquam odiis laboret,
Nec ſimultate, ingeniove pravo
Civitas Tyrrhena, furorque præceps
Abſit, & ira;

Quis

Quis pius ſuccedat Amor, profunda
Caritas pax læta, quies perennis,
Denique hos concordia ſumma Cives
Vinciat omnes.

Publicæ rei vigilet Senatus,
Afferens ſemper meditata verba
Omnibus nedum ſibi profutura,
Lætaque tantum.

Augeatur ſemper Etruſca virtus;
Fama, nomen, gloria, magnitudo
Ceterum omnis urbs habeat ſecundos
Florida divos,

Sive paci indulgeat ocioſæ,
Sive Bellonæ, Geticoque Marti,
Mobilis fortuna rotæ, ſecunda
Flaverit aura.

Peſtilens aër, generiſque morbus
Omnis e Tuſco procul abſit agro,
Aut fugam ad noſtros meditetur hoſtes,
Aut petat Orcum.

Integræ vires, animique virtus,
Corporis robur, ſapienſque ſenſus,
Ac vali udo bona ſervet urbes
Semper Etruſcas.

Audiat ſanæ monitis ſenectæ
Mollis ætas, & docilis Juventus
Debitæ vero ſtudeat quieti
Feſſa ſenectus.

Noverit ſolum mulier maritum
Juncta ſacro legitime cubili
Nulla naturæ opprobium querenti
Vis mala fiat.

Cultus inprimis Superum Deorum
Maximæ curæ nitidis Etruſcis
Duret æternum, facilique monſtret
Limite cœlum.

Ad Muſam.

Quid erubeſcis Muſa pauper divitem
Munus petere? neceſſitati ruſticus
Cedat pudor. Laurentium munus roga
Semel; nec ullum junge verbum poſtea,
Statim huc redibis læta cum munuſculo.

Ad Florentiam.

Horrendum accipies gremio Florentia monſtrum
E terris Veneti quod pepulere ſuis?
Ah noli ſcelus hoc immane admittere quæſo,
Ne tibi ſuccenſos experiare Deos.

In Lambertum.

Lambertum numero, gregique noſtro
Huc accedere gaudeo, poëtam
Noſtro tempore nobilem futurum,
Nutritumque ſinu novem ſororum,
Atque a Gorgoneo lacu profectum.

In Marium.

Ut te memoriæ ſempiterne verſibus
Meis, Mari, tradam rogas
Munuſque nobis pollicere maximum.
Facerem libenter hoc quidem,
Etiam ſine ullo præmio, aut munuſculo,
Aut actione gratiæ,
Mari, ſi ego, aut Homerus, aut eſſem Maro
Aut tu vir, ac non femina.

De Sene convitioſo.

Convitiorum, injuriarumque omnium,
Quis obvios quoſque afficit ſemper ſenes
Petulans; Deum relinquo vindicem optimum.

De ejusdem ingratitudine.

Ingratitudinis ſenis teterrimi
Expecto pœnam, præmiumque maximum.

Ad Carulum Fortibracium.

Abi, vale, ſecundioribus Deis
Poſthac futurus quam fuerunt hactenus,
Miſerande Carule at probarier malis
Fortis viri memento fortitudinem,
Ita enim enitet virtus; ſed hæc potiſſimum
Teneto: ſuperos ut pie ſemper colas;
Ab æquitate non recedas; optimos
Quoſque eligas, fugeſque longe peſſimos,
Suiſque quemque præmiis ornes ita
Feliciterque, proſpereque res tuæ
Cedent, perennemque aſſequere gloriam.

Generalis ſententia.

Ero malus? malos fovebo? divinam
Opem tamen ſperabo? fallor heu fallor
Etiam bonus, ſi peſſimum foverem unum,
Fruſtra Deos rogarem opem ſuam iratos.

Ad Apollinem.

Quamvis paucula dixeris modeſte
Contra ignominioſam, Apollo, rugam,
Claudatur digito tamen labellum:
Non verbis opus eſt, miniſve crebris,
Sed triſti cruce poſt flagella multa.

Ad Braccium Martellum.

Nunquam me capiet lethea oblivio vivum,
Nec cum vitali munere functus ero,
Hoſpitii officiique tui, quibus uteris erga
Me, Braci, nulla procubiture die.

De Polluce, & Caſtore.

Quod nati Jove, ſunt quidem aſſecuti
Immortale ſibi ac perenne nomen
Lædæi gemini, piique fratres.
Verum mutua caritas, & idem
Conſenſus magis expolivit ambos,
Hoc eſt fecit utrumque clariorem,
Quos Laurentius, atque Julianus
Fratres unanimi, pares amore
Non æquant modo, ſed præire certant.

In Julianum & Laurentium fratres.

Quid Juliano, quid precer Laurentio
Indiſſolubili ac perenni vinculo
Amoris intimi revinctis fratribus,
Niſi caritatem mutuam? concordiam
Jugem? Deæ numen ſecundæ dexterum;
Homines amicos: proſperos omnes Deos;
Honoris, amplitudinis, potentiæ,
Opum, nitoris, gloriæque, ac liberum;
Rerum auctionem denique omnium; haud brevem
Vitam, lapillo denotandam candido;
Opptabilem mortem; facillimum exitum;
Sedem, domiciliumque cœlitum omnium?

Ad Julianum Medicem.

Reſpice me quæſo paulum, cui Julius aucti
Nominis eſt magnus Cæſar origo tui,
Cui tantum bello concedis, eoque futurus
Par, ſi pugnaci ſumpſeris arma manu.

Ad Laurentium Medicem.

O a virgine nominate Lauro
Laurenti, patriæ decus perenne;

Pri-

Prime, ac maxime civis Italorum,
Omni poſteritate ſempiterne
Ex tanctis opibus, bonisque veſtris,
Ac majoribus in dies futuris
Naſcentem oro aliquid juva poëtam.

NICOLAI BURTII

PARMENSIS.

AD SUMMUM DEUM.

COElorum, mundique decus qui cuncta gubernas,
Omnipotens genitor, gloria ſumma tibi.
Sit tibi, nunc repetam, laus ingens maxime divum,
Quem peperit virgo flamine plena Dei,
Nempe fretum, cœlos, terras, ac ſidera, montes
Feciſti, pariter quidquid & orbe viget.
Formaſtique hominem divino munere ſolum,
Quem facis ut ſapiat, te duce ſacra Deo.
Singula quid memorem? ſic ſtat ſententia cœlo,
Quaque ſuo, clemens ſub pede cuncta premis.
Quæ tibi lingua valens, tanto pro munere grates
Promere, quis dignos poſſit habere modos?
Tu mea Calliope, tu denique clarus Apollo.
Quidquid & in mundo eſt, tu mihi ſolus eris.
Aſpires tandem, tua numina dirige menti.
Ut tibi cum modulis candida geſta canam.

AD MARIAM VIRGINEM.

Magni Diva poli clariſſima Virgo tonantis,
Cujus & Angelicum gratia munus habet.
Sit Deus omnipotens tecum, dicatque beatam
Undique gens, felix femina ſola manens.

Nam tua quæ ſacrum portarunt viſcera pondus,
  Hæc templum Chriſti cunctipotentis erant.
Quid tibi nunc referam? cum mens humana labaſcat
  Territa mirifico numine, poſcit opem?
Tu Dea, tu genitrix ſuperans quodcumque creatum,
  Quod mare, quod tellus, quidquid & orbis habent.
Te merito caneret ſi te noviſſet Homerus,
  Et ſolam mundo crederet eſſe Deam.
Sic te mirificum celebraſſet numen olympo,
  Quæ varium cecinit muſa Maronis opus.
Triſtia qui reſonat Lucanus bella Quiritum,
  Aſſereret multis laudibus acta tui.
Te canerent pulchram Naſonis carmina culti,
  Et Flacci plectrum, ſicque Tibullus amans.
Sic Mariam caneret Gallus, molliſque Catullus,
  Et Varro, flammas qui cecinere ſuas.
Egregiam ſic te memoraſſet lingua Properti,
  Atque poëtarum cuncta caterva ſimul.
Virgo malam penitus noſtro de pectore labem
  Excute: nunc faveas bentivoliſque pia.

Ad V. D Philippum ex Canonicis Bononienſis Matricis Eccleſiæ.

Qui mare, qui terras, Perſarum regna, Philippe,
  Vidiſti, nec non barbaricumque ducem.
Felſina te genuit, quem nuper Roma triumphans
  Viderat excelſum, præſulis imperio.
Nunc te fata tenent ſublimi vertice penſum,
  Sed mala fors fuſcat ſidera clara tui.
Hæc nam ſæpe facit tumidos deponere faſtus,
  Inque ſimul dignos præcipitare viros,
Non ſunt (crede mihi) felicia tempora ſemper,
  Nec ſemper nobis florida prata virent.
Quare age ne dubites (tibi nam modo ſidera ſignant)
  Effugies ſævæ retia falsa Deæ.
Forma decens, probitaſque ſimul, ſic gratia morum,
  Nam tibi præſtabunt, ingeniumque decus.

Non

Non auro gemmis, non veſtibus, atria proſunt
  Fulgida, ſed virtus, quæ valet ingenio.
Pro te tela gerens doctus pugnabit Apollo.
  Sic pro te faciet culta Minerva. Vale.

In honorem omnium Sanctorum.

Fulgeat nobis rutilans November,
  Qui diem celſo celebrat Tonanti,
  Virgini ſacrum, geminatque matri,
    Ordine carmen.
Angelis præſtat pariterque honorem,
  Qui Dei cauſas peragunt ſuperni,
  Semper & noſtris precibus furorem
    Dæmonis arcent,
Hic dies anno redeunte feſtus
  Omnibus Sanctis parili Camœna,
  Qui polo digni meritis priores
    Excitat hymnos.
Sic & Athletis numerante feſto
  Excitat rurſus ſimul atque laudes,
  Sive qui electi Domino fuere
    Sidera ſicut.
Petrus en princeps, probitate ſumma
  Janitor cœli medio coruſcans,
  Nempe dum geſtat manibuſque claves,
    Æthera luſtrat.
Martyrum nomen venerantur omnes,
  Et ſibi ſacras memorant calendas,
  Dum pio ritu reſonant, ſimulque
    Carmina mortis.
Ecce nam demum titulus refertus,
  Hic dies fulget vigilum, choriſque,
  Qui tuo ſemper cruciant amore
    Corpora Chriſte.
Hic tibi ſoli, pariterque turba
  Virginum felix, venerande olympo
  Semper æternos referunt triumphos.

Sanguine ſparſo.


Hic dies magnus faveat precamur
Cœlitus nobis miſeriſque cœtus,
Augeat vires numeris favendo
Virgo pudica

Nam licet pœnis agitentur umbræ,
Luce poſt primam relevantur, atque
Tartari anfractu, requiemque ſumunt,
Supplice vitta.

Ergo ſingultus, lacrimaſque pone,
Vanus & mœror fugiat, canendo
Porrigat lætus, manibuſque ſacra
Undique flamen.

Si tibi grata cecini inde muſa
Chriſte regnator, ſimul & Redemptor
Omnium, quæſo, meritum decenter
Accipe carmen.

FINIS.



INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur IN TOMO SECUNDO.

A

AAron Petrus pag. 348.
Abel occiſus a fratre 479.
Abraami facta 301.
Actæon 392.
Adam 479.
Adamantis durities 478.
Adrianus Petrus 207.
Adulatio pernicioſa 83. 226. 241.
Ædificia quædam urbis Romæ procul viſa 55.
Æneas relinquit Didonem 127.
Æſtas 41. 99. 136.
Ætas ferrea 170.
Æternitatis amor 41.
Ætna mons deſcriptus a Bembo 389.
Allobrogica pax 78.
Albæ laudes, & antiquitates 56.
Alciatus Andreas 336.
Aldobrandi Ulyſſis libri laudantur 68. 70.
Aldobrandinus Cardinalis Petrus 72. *Ferrariam ingreditur* 73.

Alexander VII. 212.

Alexander Macedo 17. *vulneratus ſe non eſſe Jovis filium cognoſcit* 85. 226. *a Diogene ejus munera ſpernuntur* 331.

Alphonſi Regis Neapolitani laudes 148.

Amaſæus Romulus 350.

Ambroſia dulcis 16.

Amici diſceſſus 66 *falsi* 219. *veri* 241.

Amicorum communia 9.

Amor confirmat imperia 3. *an utilis* 3. *cæcus* 11. *pellit amorem* 12. *fugiendus* 21. 94. 152. 347. *æternitatis* 41. *peſtis* 261. *ad eum deprecatio* 252. *negotioſus in otio* 333. *vincit Pan* 338. *mutuus* 339 *urit amantes* 356. *eos ad mortem duxit* 363.

Amoris rivalitas 333. *pugna cum puella* 333.

Amphion 10. 20.

Amphiteatrus Lucenſis 213.

D. *Annæ ara dicata* 137.

Anni tempora varia 99.

Anuus laudatus 135. 265. 317. 384.

Angelus Cuſtos, & *ad eum deprecatio* 404.

Anſeris querimonia 147.

Antipater cæcus 335.

Antuerpia victa 59.

Anubis 9.

Apoſtolorum prædicatio 33.

Ara Divis dicata 137.

Arbores variæ deſcriptæ 208.

Arcana reticenda 341.

Architecti tumulus 462.

Argus occiſus 85.

in *Aſtrologum* 9.

in *Aſtrorum vim* 228.

Atlaſii Aloyſii mors 454.

Avaritia 10. 11. 68. 223. 237. 245. 249.

Aucupium deſcribitur 54. 208.

Avo-

Avogarius Altenerius 366.
S. *Auguſtini dictum* 42.
Auriſpa Siculus deprecatus 110. *laudatus* 113.
Aurora 146.
Aurum in maximo pretio 423. V. Divitiæ.
Autumnus 4. 66. 99.

B

B*Arberinus Alexander pag.* 49. *Antonius Caroli filius* 51. *Nicolaus* 38. *Jo: Donatus* 39. *Franciſcus Caroli filius* 74.
Bacchanalia 214.
Batavi maris aggeres 163.
Bella criminibus, non virtute prædita 207. *canenda* 207.
Bellerophon Chimæram domat 75.
Bellorum effectus 71. 72. 85.
ad *Bellum ſacrum exhortatio* 85. 102.
Bembus Petrus laudatur 106. 107. 108. 388. 390. *ejus vita* 389. *in ejus morte* 459. 460. *Lucini epitaphium* 145. *Torquatus Petri filius* 387.
Benacus flumen 132.
Beroaldus Philippus junior. 345.
Biccardus Baptiſta 352.
Blancæ Comitis Colalti uxoris mors 459.
Bocchius Julius 346. *Galateus* 349. *Conſtantia* 351. 359. *Achilles laudatur* 354.
Bonæ Cardinalis laudes 201.
Bonarota Michaël Angelus 390.
Borbonus Romam depopulatur 477.
Borgia Lucretia laudata 124. 139.
Brembati Coriolani tumulus 461.
de *Bubalo Quinctius* 410.

C

D. CÆciliæ laus pag. 197.
Calamitates 214.
Calamus ſcribens res amatorias 349.
Calumnia quæ mala gignat 44. victa ibid. reticenda 341.
de Cambray Ambroſius 16. 17.
Capellus Carolus 370.
Cardinalitia dignitas 104. 108. 203.
Carmina qui ſpernit, ferus eſt 6. 20. vincunt gemmas 19. pariunt famam 165.
Carolus V. 335.
Carolus Magnus laudatus 72.
Caſaubonus Iſaacus 411.
Caſonius Jacobus 341.
Caſtellius Hieronymus 246. Paulus 247.
Caſtor, & Pollux 496.
D. Catharina puero Jeſu nubit 191.
Cato habebatur pro centum millibus 343.
Charitatis vis 38. 39.
Charites Venerem ornant 429.
Chiabrera Gabriel 81.
Chriſti Natalis dies circa Kal. Januar. 34.
Chriſtianæ Reginæ Svecorum laudes 199.
Chriſtus naſcitur 35. 384. pauper ibid. moritur ib. naſcitur, & moritur pro nobis 32. 48. pœnæ, & mors 174. 176. &c. 384. 401. 411. 419. 443.
ad Chriſtum deprecatio 48. ejus vita 303. 304. ejus jugum ſuave 413.
Cicero exul 196. ejus orationes 213.
Ciconia Franciſcus 10.
Clælia flumen tranans 147.
Clementia Jul. Cæſaris 253.
Cleri Petri tumulus 462.

Cœlum vices non patitur 41.
Cœnobium Franciſcanorum 54.
Columna Hieronymus 254. *Victoria, & ejus tumulus* 460.
Comitolus Neapoleon 406. 410.
in *Concionatorem* 410.
Conjugium laudatur 91.
Conſcientia 237. 248.
Conſtantia Martyrum 50.
Conſtantia Fortunam ſuperat 346.
Convivium deſcribitur 481.
Coradellus Franciſcus 353.
Crapula deteſtata 221. 236. 241.
Creatio Mundi deſcribitur 29. 30.
Cretæ deſcriptio 370.
Creſus 12.
Crocodili natura 340.
Cupiditas hominum inexplebilis 71.
Curæ hominum 7. 40. 42. 43. 46. 70. 77. 83. 218. 220.
Curioſus nimis 239.
Curtnæus Eduardus 253.
Cybeles 9.
Cycinatus Romanus 21.
Cygnus 10. 349.
Cyrus 21. *expoſitus* 67.

D

D*Æmonis deſcriptio pag.* 400.
Dandolus Petrus 9.
Dandulus Matthæus 371. 377.
Daphnes 27.
Davalus Franciſcus 254.
David canens 28.
Delphus Ægidius 14.

Democriti dictum 343.
Demoſthenes exul 196.
Deucalionis fabula 302.
Deus tacendo colitur 34. *mundum e nihilo creat* 3. 29. *ad Deum hymnus* 29. *ejus clementia* 31. 32. *Deus preſens ubique* 235.
Detractio deſcripta 224. 247.
Detractor 240.
Dido ab Ænea relicta 127.
Diſceſſus a puella 114.
Divitiæ 12 13. *inſtabiles* 13. *earum mala* 231.
Divites difficulter vitam æternam conſequantur 354.
Divitius Angelus Franciſci Berni amicus 153. 155.
Domus ornatæ deſcriptio 45.
Doniſmundus Franciſcus 359.
Ducis exercitus labores 39.
Dudlæus Robertus 251.

E

EBrietas pag. 237.
Eccleſiæ firmitas 33.
Echo nympha 475.
Eclogæ 57. 87. 150. 257.
Egnatius Joannes Baptiſta 340.
Eleemoſina 236.
Elyſii campi deſcripti 320.
Epicurus non multis ſcribebat 343.
Epithalamium 232. 427.
Epitaphium Philelphi 13. *Ardolaphi Pini* 17. *Jacobi Medicis* 23 *Rodul. Agricolæ* 25. *Caroli Bembi* 142. *Petri Bembi* 107. 108. *ejus filii* 145. *Horiectæ Senenſis* 109. *ejuſque ſororis ibid. Herculis Strozzæ* 142. *M. Antonii Gabrielis* 143. *Philippi Beroaldi* 143. *Scythæ poëtæ ibid. Certaldi*

di Philoſophi 143. *Longolii* 144. *Leonici ibid. Puellæ ibid. Catellæ ibid. Sannazzarii* 145. *Raphaëlis Urbinatis* 145. *Jo: Pici Mirandulani* 145. *Molsæ* 148. *Franciſci Berni* 156. *Roberti Sanctoſeverinatis* 156. *Franciſci Davali* 254. *Antonii Levæ* 457. *Jo: Jacobi Marchionis Marignani* 462. V. Tumulus.
Eruditio ſine pietate inanis 39.
Eva 41.
Evangelii promulgatio 33.
Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutio 33. 183. 411.
Exempla multum poſſunt 243. 248.
Exules clari 196.

F

FAbbronius Nicolaus pag. 20. 22.
Fama venit a poëtis 112.
Farneſii Alexandri laudes 57. *&c. Maximi* 340.
Faunus, & ejus forma 120. *ad ipſum allocutio* 121. 122.
Favoritus Auguſtinus laudatus 179.
Felicitas humana fugienda 45 *&c.*
Ferraria recepta 72.
Finis 243. 245.
Flaminius M. Antonius 354. 355.
Fleri mortuos vanum eſt 238.
Florentia laudata 67. 269. 492. 493. 494. *in eam officia Laurentii Medicis* 446. *ad eum argumentatiuncula* 489.
Fluminum variorum deſcriptio 132.
Fons Mauritianus 24. *miri artificii* 68. 249. *Caſtalius* 82.
Forma perit 46.
Formicarum labor 218.

For-

Fortibracius Carolus 483. *laudatur* 484. 486. 487. 489. 495.
Fortuna 5. 358. *quid ſit* 5. *ejus rota volubilis* 12. 18. 238. *cuncta dominatur* 18. *adverſa fortiter ferenda* 346.
Fracanzana Laura 252.
Franciſcanorum Cœnobium 54.
Franciſcus primus Galliarum Rex 336.
Funus deſcribitur 61.
Fuſcus Leo 107.

G

GAguinus Robertus pag.* 15. 17.
Galilei vitrum, ſeu teleſcopium 83. *in Sole maculas detegit* 84.
Gandulphi rus deſcribitur 54.
Gazanus vicus deſcriptus 414.
Gedeon trecentos milites delegit 47.
Giberti Epiſcopi Veronenſis laudes 102. *ejusdem Matthæi Giberti laudes* 106. 131. &c. 380.
Goritius 137.
Gottifredus laudatus 71.
Græcum epigramma translatum 213. 214.
Gratiarum actio 106.
in *Grammaticam* 2.
Greppius Aloyſius 247.
Guimſia gens 181.

H

S. HElena Domini crucem adorandam proponit pagin.* 28.
Helena a Paride rapta 36. 125.
Herricus Jo: Alphonſus 427.
Her-

Hercules Stymphalidas fugat 44.
Heſiodi ſententia 5.
D. Hieronymus extremum judicium timet 47.
Hippolytus a Phædra amatus 37.
Homerus 15.
Hominum curæ vanæ. V. Curæ. *cor inquietum* 42.
Hortus deſcriptio 45. 149. 475. 476.
Hurtadus Mendoza 382.
Hyems 41. 173.
Hymenæus 437.
Hipocriſis deteſtata 228. 237. 240. 244.

I

Aſon vellus aureum obtinet pag. 75.
Ignavia 244.
Imperium amor firmat 3.
Impoſſibile factu 34. 267. 282. 287.
Ss. Innocentes 211.
Ingratus 239.
Invidia magnos viros premit 195.
Jo: Caſimirus Rex Poloniæ Regnum addicans 206.
D Joann. Evangeliſta 412.
Joſeph caſtus fugit 37. 44.
Judicis imago 337.
Jul. Cæſaris clementia 253.
Julii II. Pontificatus 142.
Jura dant opes 111.
Juſtitia 6.
Irus 12.

L

Ambertus Antonius pag. 195.
Lamola Joannes 113.
Laudes pueri 11. *Poëtæ* 14. 15. 80. 107. 180. 204.
Pon-

Pontificis 101. *Epiſcopi* 102. *Medici* 181. *Martyris* 187. 197. *Reginæ* 199. *Cardinalis* 201. *Pictoris* 205. *Juvenis bene canentis* 349. *Architecti* 462.
Lauretana Domus 393. 397.
Leges civitatem condunt 447.
Levæ Antonii Epitaphium 457.
Liberalitas 3.
Libido fugienda, vel fuganda 37.
Lingua refrenanda 224.
Lingua Etruſcæ ab Italis ſtudendum 131.
Lipſius 409.
Litteræ contemptui habitæ 423. 424.
Lucifer cœlo pulsus 44
Ludovicus XIV. Rex Galliarum duo maria committit 161.
Ludus litterarius deſcriptus 167.
Lugius Cæſar 352.
Luna fulgens inter ſidera 83.
Lunenſis Petrus 112.

M

M*Agalottus Laurentius pag.* 53.
Magiſtrorum ſævitia dum pueros verberant 166.
Mala enumerantur 1. 2.
Maledicus 4.
Malegutius Horatius 24.
Manutius Aldus 360.
Maria Virgo 137. 138. 345. 412. 497. *votum ipſi pro reſtituta ſanitate* 150. 153. *dolens ob mortem filii* 179. 418. *Lauretana* 393.
D. *Maria Magdalena* 413.
Maris Mediterranei cum Oceano conjunctio 161.
Martellus Bracius 491. 492. 495.
Martyrum conſtantia 50.

Mazolus Alexander 346.
Medices Coſmus M. D. Etruriæ laudatus 3. *Jacobus* 23. *Jo: Cardinalis* 87. *Clemens VII laudatus* 101. *Coſmus laudatus* 111. *Catharina* 252. *Leo X.* 343. *Laurentii laudes, & res geſtæ* 439. *Coſmi laudes* 463. *Laurentius* 487. 490. *Julianus & Laurentius fratres* 496.
Medicina quomodo paranda 49.
Melitas Jacobus 247.
Mendax 15.
Mercurius Argum occidit 85. 219.
Meretrix fugienda 241. 243.
Mida 12.
Militia Chriſtiana deſcribitur 38.
Milvinus Andreas 251.
Minerva pro ſuis cultoribus pugnat 499.
Miracula ſeptem orbis 476.
Mæcenates deſunt, ideo & poëtæ 438.
Miſſæ Sacrificium 54.
Molsæ epitaphium 148.
Momus 348.
de *Monte Jo:* 14.
Monteclarius Galateus 353.
Mora 244
Morbi enumerantur 2. *animi quomodo curentur* 49. *curatio longe petita* 182.
Mors benefacta non reſpicit 61. *inevitabilis* 82. *felix* 221. 231. *malorum* 244. *unde dicta* 246. *laborum finis* 257.
in *Morte Jo: Pauli Vicecomitis* 23. *Paulæ Vicecomitis Beccariæ* 23. *Julii* 60. *Reginæ Scotiæ* 69. *Auguſtini Neri* 70. *Petri Bembi* 107. 108. 459. 460. *Puellæ* 109. 144. *Paſtoris* 123. 150. *Politiani* 140. *Caroli Bembi* 142. *Herculis Strozzæ* 142. *Pueri* 143. *Philippi Beroaldi* 143. *Clementis IX.* 158. *Chriſti Domini* 174. 176. *&c. Salvatoris Roſæ* 204.

204. *Camilli Trivisani* 254. *Matris Caroli Sabaudiæ Principis* 255. *Nicolai Lomelini* 346. *Jani Pannonii Poëtæ* 358. *Uxoris conſolatio* 366. *Aloyſii Atlaſii* 454. *Poëtæ* 454. 455. *Paſſerculi* 457. V. Tumulus.

Mortis meditatio 42. 50. 221. *hora incerta* 50.

Moyſes quid cecinit 28. *expoſitus* 68. *ejus geſta* 302. 480.

Muretus laudatus 409.

Muſæ æternum vivunt 391. V. Poëtæ.

Muſas amare vult Jo: Boccaccius 267. *contemptui habitæ* 423. 424.

N

D. N*Arciſſus Dæmon revincit pag.* 397.

Navigatio animi gratia deſcripta 63.

Nautæ labores 39. *crematus in navi* 214.

Neſtoris anni 16.

D. *Nicolaus* 1. *ejus ſepulchrum* 184. *infans preces fundit* 212.

Nilus 191.

Niveum ſæculum 170.

Noctis pericula 6. *adventatio* 62. *pulchritudo* 83.

Nymphæ Faunum deſpiciunt 121.

O

O*Culorum uſus turpis pag.* 216. V. Puella.

Oratio ad D. Cæciliam 198.

Orator deſcribitur 196.

Orbem terrarum librum eſſe 209.

Oreſtes, & Pylades 9.

Orphaus 10. 20. 27.

Oſiris

Oſiris 9.
Otium vitandum 222.
Ova laudantur 3.

P

in PÆdagogum pag. 214.
Pan deprecantur paſtores 118. eluditur a Galatea 122. victus a Cupidine 338.
Pannonius Janus 343. 357. 358.
Parca 8. 357.
Paris Helenam rapit 36.
Parnaſſus deſcribitur 26. 75. 82.
Paſtorum chorus 118.
Patientia 247.
Patria 6.
Paulus V laudatur 55.
D. Paulus Romæ occiditur 33. laudatus 69. ejus effigies ſuper columnam Antonianam poſita 426.
Paupertas laudatur 231.
Pax Allobrogica 78. ejus triumphus 79. 80.
Peccatorum deteſtatio 396.
Pecunia 7.
Pegaſus 140.
de Peris Blaxius 21.
Perſeverantia 243.
Petrarcæ cantilenæ verſis 4. 392.
D. Petrus Romæ occiditur 33. ejus effigies ſuper Trajanam columnam poſita 425.
D. Petrus Parentius laudatus 187.
Phaſianinus Philippus 355.
Philadelphus Ptolemæus 372.
Philelphi epitaphium 13.
Philippus Macedo 335.
Philomela 475.
Philoſophia naturalis, quid docet 202. 218.

Picus Jioannes laudatus 238.
Picturæ varia genera 205.
Pietate temperanda inexplebilis mortalium cupiditas 71.
Piſanus Lycæus inſtauratus 447.
Piſcatio 208.
Piſcium luſus 63 *manus piſcatoris abrodunt* 212.
Pius Joannes Baptiſta 341.
Pluvia poſt ariditatem 136.
Pœnitentia non differenda 215. 243.
Poeſis decori primævo reſtituenda 26. *laſciva damnanda* 51. 52. 408. *extemporanea* 448. *honeſta laudanda* 52. 406. *non impedit res agendas* 52. 53.
Poëtarum multitudo 14. *poëtæ ſacri enumerantur* 52. *non remunerantur* 111. 112. *famam pariunt* 112. *a Regina Svecorum complectuntur* 200. 201. *Deo afflati* 448. *ab Apollo tuentur* 499.
Politiani tumulus 140. *laudatus* 235.
Pollux, & Caſtor 496.
Poloniæ Rex Regnum abdicat 206.
Polus Reginaldus 378. 379.
Polus. V. Urſa.
Polybius verſus in latinum a Caſaubono 411.
Polyphemus deſcriptus 270.
Pontifex ſummus Petri ſucceſſor 33.
Pontificia dignitas 101. 134. 201.
Populus ſpernendus 343.
Poſthumus Guidus 352. 353.
Preces ex Homero deſcriptæ 110.
Principes indocti 239.
Principis cura 3. 338. 339.
Priulus Hieronymus 250.
Prometheus 84. 137. 433.
Prudens vir qualis 157.
Puella pulchra, ſed ſuperba 10. 13. 17. 19. 94. *ad ſe trahit* 14. 36. 114. *amanti indulgens* 100. 146.

146. *ejus epitaphium* 109. *ab ipſa diſceſſus* 114. *pulchra & docta* 125. *choreis indulgens* 125. *ab amante relicta queritur* 126. 127. 128. *abſens* 129. *præſens* 129. *oculis enecans* 157 350. 352. *infida* 260. *pugnat adverſus amorem* 333. *ejus tumulus* 357. 358. *amore perempta* 365. *velum lavat* 392. *oculos avertens* 392.

Puerorum in diſcendo labor 166.

Pugna ad Actium 117.

Pulvis Cyprius 168. 199.

Punitio 241.

Pyramus & Tisbe 37.

Pythagoræ animarum tranſmigratio 14.

Q

QUueſtus in morte fratris pag. 61. *puellæ ab amante deſpectæ* 126.

Quies neceſſaria 4. 6. *dulcis* 6. *in terris non eſt* 42. *cordis noſtri Chriſtus eſt* 49.

R

RAmbertus Benedictus pag. 374.

Randulphus Thomas 351.

Raphaëlis Urbinatis epitaphium 145.

Redi Franciſcus 181.

Regum vita miſera 206.

Reges curam habeant ſubditorum 339.

Rhenus Guido pictor laudatur 70.

Ripa Lucas 13.

Riſus 6.

Romæ quædam ædificia procul viſa 55. *temporis injuria deſtructa* 391. *diripitur a Borbono* 477.

Romulus expoſitus 67.

Roſæ Salvatoris laus 204.
Roſellus Franciſcus 250.
Rullus Donatus 385.
a *Rupeforti Guido* 18. 19.
Rus laudatur 20. 21. 53. *&c.* 65. 81. 374. 386.

S

SAcrificium Phœbo pag. 101.
Sadoletus 367.
Salomon Rex 46. 480.
Samſon a femina victus 37.
Sanctorum omnium laudes 499.
Sanitatis receptæ votum 150. 153.
Sannazzarii epitaphium 145.
Sapientia vera 42. 342.
Saxatellus Franciſcus 351. 357.
Scipio exul 196. *Africanus laudatus* 253.
Sebuzzi Terpi tumulus 453.
Semper variis modis effertur 280. 314.
Senectus 215. 233.
Sermo hominem indicat 7.
Sfortia Aſcanius 340. *Jo: Pauli tumulus* 457.
Sicci Soccini tumulus 456.
Siccitas terræ 136.
Siderotomus Marius 347.
Similitudo clavi 12. *maris, & Scyllæ* 13. *Magnetis* 14. *roſæ* 46. *nemoris incenſi* 57. *quercus fulmine ictæ* 59. *æſtatis, & pluviæ aridæ* 136. *tempeſtatis* 171. 215. 423. *pruinæ oriente Sole* 194. *Apis libantis flores* 194. *arboris vento concuſſæ* 230. *argillæ* 240. *fluminis* 270. *Cygni* 349. *ſerpentis* 386. *Lupi* 476.
Simulacrum Veneris 19. 20.
Sirenum ſcopuli 233.
Socrates cicuta interemptus 157.

So-

a *Sole Lucia* 373.
Solis maculæ 84. *converſio anni tempora variat* 99. *ad Solem deprecatio* 99.
Solitudo laudata 230. 236. 237.
Somnum ciere cantu, & cunabula movendo 437.
in *Speculum* 360.
Spes 340.
Spiritus Sancti adventus 33.
Stella Franciſcus 252.
Stellæ variæ 83.
ad *D. Stephanum Hymnus* 138.
Strozza Joannes Baptiſta 80. 217.
Suardi Stephani tumulus 455.
Superbia 245.
Suſanna calumniata 44.
Suſpicio 239.

T

TAſſi Chriſtophori tumulus pag. 458.
Tempeſtas deſcripta 171.
Tempus non terendum 5. 8. 233. *irremeabile* 22. 240. *fugiens* 45. 49. 233.
Tenebræ in morte Chriſti 32.
Terei ſcelus 37.
Theologia quid doceat 203.
Theſeus 75.
D. Thomas Aquinas mulierem fugat 37.
Tormenta bellica 479.
Trenta Antonius 213.
Trinitas deſcripta 203.
Triviſani Camilli obitus 254.
Tumulus Leucippi, & Alcionis 123. *Franciſci Saxatelli* 351. 357. *Antonii Mariæ Carpenſis* 351. *Cæſaris Lugi* 352. *Baptiſtæ Biccardi* 352. *Pauli* Pan-

Pannonii 357. *Puellæ* 357. 358. *Doniſmundi* 359. *Conſtantiæ Zambecchariæ Bocchiæ* 359. *Nicolai Lomelini* 360. *Muris* 424. *Chriſti* 453. *Terpi Sebuzzi* 453. *Baptiſtæ Suardi* 455 *Soccini Sicci* 456. *Blancæ Comitis Colalti uxoris* 456. *Jo: Pauli Sfortiæ* 457. *Chriſtophori Taſſi* 458. *Danielis Venerii* 459. *Victoriæ Columnæ* 460 *Coriolani Brembati* 461. *Petri Cleri* 462.

Turcæ fuſi ad Naupactum 58. *in Chriſtiades arma meditantes* 86. *noſtra ignavia fortes* 105.

V

VAletudo ſtudiorum intermiſſione paranda pag. 63.

Vallis clauſa 307.

Vanitas humanarum rerum 242.

Varchius Benedictus 250. 424.

Ubaldinus Meliorinus 253.

Velserus Marcus 408.

Venatio 199. 258.

Venerius Daniel, & ejus tumulus 459.

Venus ornatur a Charitibus 429. *ejus ceſtus* 435.

Ver novus 16. 41. 65. 99. *deſcribitur* 361. 381. 386.

Veritas calumniam vincit 44.

Verona gratias agit Clementi VII. 101.

Via lactea 55. 76.

Vicecomites Jo: Paulus 23. *Paula* 23.

Vices rerum variæ 81.

Vinum Celticum, & Falernum, gelidum æſtate gratum 36.

Virtus fortunam vincit 6. *in noſtra poteſtate eſt* 18. *eruditione præſtat* 40. *colenda, non celebranda tantum* 64. *ad eam exhortatio* 74. *mortem effugit* 81. *divitis præponderat* 336.

Vita

Vita noſtra imbecillis 2.
Vita hominum militia 38. *longa* 137. 220. *pie ducta* 202. *periculis plena* 233. *brevis* 238.
Vitia enumerantur 61. 220. 223. 384. *in honore* 242.
Ulyſes Socii in feras converſi 37.
Ulyſſes laudatus 75.
Ulyſſes ventus in utre incluſit 385.
Voluptas cum virtute 6. *fugienda* 50. *inſatiabilis* 246.
Urbium laus, *&* *vituperatio* 91.
Urſa major 199. 203.
Urſinus Camillus 336.
Vulgus bellua multorum capitum 196.

X

X*Erxes ad Thermopylas fuſus pag.* 84.

Z

Z*Ambeccarius Alexander* 337. *Conſtantia* 358.

ERRATA. CORRIGE.

ERRATA.		CORRIGE.
Pag. 23. v. 12.	FLORENTINI	MEDIOLANENSIS
117. v. 3.	Actum	Actium
269. v. 1.	Tertia	Quarta
272. v. 30.	ad horas	ad oras
273. v. 18.	reflexos Ceſpite. Sic	reflexos? Ceſpite ſic
280. v. 11.	Abſtabunt	Adſtabunt
281. v. 21.	Crinibus exires	Crinibus exiret
282. v. 18.	Progredior	Progrediar
286. v. 32.	avarum	avarum?
287. v. 14.	infingere	infringere
289. v. 30.	Immeritos	In meritos
290. v. 23.	Galloſque	galloſque
311. v. 22.	hic inde	hinc inde
312. v. 3.	fatigent	fatigent?
v. 15.	Silveſtros	Silveſtres
313. v. 6.	forſan, mihi	forſan? mihi
v. 24.	inter labendo	interlabendo
315. v. 3.	Eolus	Æolus
v. 8.	Eolus	Æolus
318. v. 6.	Affixus letho,	Affixus, letho
v. 13	odores	odoros
321. v. 18.	Circumdat	Circumdant
525. v. 1.	Nonne piget	Non piget &
326. v. 1.	Muramque	Myrrhamque
328. v. 11.	canuſque	cantuſque

Date Due

Form 335—40M—6-39—S

851.08 B751C v.2 376485

Bottari

Carmina

DATE | ISSUED TO

851.08 B751C v.2 376485